BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
B
11
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

PROMETHEVS CHRISTIANVS SEV LIBER MORALIVM.

IN QVO PHILOSOPHIÆ MORALIS FINIS ET SCOPVS APERITVR.

Simulq; media quibus in homine formando in hominem vtitur declarantur: ex antiquorum Philoſophorum monumentis deducta.

AVCTORE.

R.P. THOMA COMPTONO CARLETON CANTABRIGIENSI, SOCIETATIS IESV, In Collegio Anglorum Leod. Sacræ Theologiæ Profeſſore.

Domus Prof. Neap.

Catal. Inscript.

ANTVERPIÆ.
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
M. DC. LII.

FLORENTISSIMÆ,

ORNATISSIMÆQVE

IVVENTVTI,

IN ACADEMIIS

Præſertim, cultoribuſque Muſarum ſedibus commoranti.

S.

ADOLESCENTES.

S*Ecurè & feliciter certatur*, inquit, Philoſophus, *Vbi virtus eſt anteſignana*: eoque citra periculum quiſque tendit, vbi illa vexillum explicat, vtpote quæ ſola fortes, ſola felices facit, & ſub ſuis ſignis merentes coronat ſemper, nobiliſſimiſque honeſtat, ac decorat triumphis.

Hunc itaque de vitæ morumque informatione & cultu Tractatum vobis potiſſimùm dicandum cenſui, vt virtutis (cuius hîc vbique recurrit mentio, laudeſque identidem & encomia recenſentur) dignitate vtilitateque perſpectâ, ad illius vos maturè caſtra recipiatis, eiuſque militiæ nomen dantes, armorum tractationi iam inde à primis annis ſub illius diſcipli-

na aſſueſcatis,& hoc pacto, in leuioribus modò velitationibus, & quaſi in vmbrâ virtute magiſtrâ, vincere edocti, glorioſiſſimas, vbi ætas firmior acceſſerit, victorias & trophæa, in ſolem educti & puluerem reportetis.

Lubricam ergo hanc ætatem virtutis ſubſidio firmate; illi habenas mentis, vitæque moderationem permittite, quippe quæ conatus geſtaque omnia feliciſſimo curſu diriget, ſecundiſſimoque fortunabit euentu. Nihil nimirum inauſpicatum, quod virtutis auſpiciis geritur: nec, quem illâ manu ducit, cui, inquam, virtus dextram porrigit, quidquam accidere poteſt ſiniſtri.

Ad pretioſiſſimi proinde huius theſauri adeptionem totis viribus incumbite, in quo ſcilicet vno bona omnia cumulatiſſimè contenta inueniuntur. Diuitias expetitis? In ſolâ eas virtute reperietis; inanes quippe facultates illæ ac diuitiæ, quæ animum non ditant, opes nullæ, quæ mentem relinquunt inopem. Imò incredibili poſſidentem ſollicitudine torquent ſemper & cruciant, ac mille anxietatibus implicant & moleſtiis, aurique & argenti theſauri non tam nummorum ſunt, quàm curarum cumuli; diuitiarum nomine, vel hoc nomine indigni.

Voluptatem quæritis? Hanc vna virtus ſuppeditat, & diuinam quandam ſuauitatem ac dulcedinem in ſui cultores copioſiſſimè deri-

uat.

uat. Qui verò vberrimo hoc, puriſſimoque deliciarum fonte relicto, fruſta quædam & fragmenta oblectationum à vanis ac vilibus rebus emendicant, & apicularum inſtar, mellis hinc inde guttulas è mundi floſculis delibant; dum neſciunt, fel ſugunt miſeri, quod ſenſim eorum animos occupat, ingentique tandem perfundit amaritudine. Et licèt foris præ ſe ſubinde lætitiam ferant, intus tamen acutiſſimis vrgentur acerbiſſimi doloris aculeis, corque tot ſpinis transfixum habent, quot vitiis.

Splendor vos nobilitatis oblectat? Sola virtus generoſus eſt animi ſanguis, quæ à plebe & communi ſorte homines ſegregat ac ſecernit & optimos dum reddit, reddit Optimates. Hac verò quiſquis caret, eſto trabeâ ornatus, ſceptroque ac diademate inſignitus incedat, ſub nobilitatis teſſerâ animum gerit plebeium, & ſub ſpecioſâ Regis appellatione latet mancipium.

Tandem, tranquillitatem cupitis? Nullum mari ſerenius fulget ſidus, quàm virtus animæ, vtpote quam benigno ſemper influxu temperat, internisque procellis & fluctibus, prauis ſcilicet affectibus ac perturbationibus ſedatis, halcyoneos eidem affert dies, redditque iactationis & tempeſtatum ſecuram. Quiſquis denique, virtute aſpirante vela pandit, nauigat in portu. Hæc in præſenti obiter; iſthæc

hæc enim, & id genus alia, huius decurſu tractatûs, qui ad vos totus dirigitur, ſuis quæque locis pleniùs diſcuſſa videbitis. Valete. Leodij in Collegio Anglorum, 21. Nouembris, 1651.

Digitized by Google

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

HOmo, quà parte ratione præditus eſt, duas in ſe complectitur facultates nobiles, intelligendi ſcilicet vim ac volendi. Harum directrix eſt Philoſophia; vtpote ad mortalium animos præſtantiſſimis quibuſque artibus ac diſciplinis imbuendum inſtituta, facemque quodammodo præferendam, ne tenebris obuoluti errent, & cæcorum more in incertum vagentur. Ea quippe eſt humanæ imbecillitas mentis, vt in mille ſe labyrinthos induat, illiſque ita implexa hæreat & irretita, vt non niſi Philoſophiæ ductu, nobiliſſimæq; huius ſcientiæ præſidio emergere, ſeque inde expedire poſſit.

Cùm ergo quæ ad rerum naturalium perueſtigationem, inſtitutionemque intellectus pertinent, in curſu nuper Philoſophico tradiderim, ad voluntatem ſermo transferendus, eique ſuæ etiam præceptiones, atque ad vitam honeſtè, ac iuxta rectæ rationis præſcriptum exigendam (quod alterum Philoſophiæ munus eſt, prioreque haud paulò præſtantius) leges proponendæ.

Non ſum neſcius id à ſapientiſſimis, omnique literaturæ genere inſtructiſſimis viris non ſemel ſuſceptum, feliciſſimeq; perfectum eſſe. Superuacanea proinde videri poſſit vlterior hæc de retractatio, parumque fructuosè impenſus labor, qui vel in condendis, vel congerendis huiuſcemodi præceptis inſumitur. At nullius hac in parte indu-

Digitized by Google

induſtriam vituperandam exiſtimo, conatumúe ſuperfluum. Nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. *Ars bene viuendi lectio eſt, quam nimis perfectè callere nemo poteſt, nimiamúe in eâ peritiam acquirere: Candor, inquam, morum, & vitæ integritas gemma eſt, cuius adipiſcendæ expeditam quiſquis viam aperiret, is non tam de re literariâ, & Philoſophorum ſubſelliis, quàm de toto humano genere optimè meritus iure eſſet habendus.*

Aliorum ergo conatibus hunc de vita & moribus tractatum adiungam; quem Prometheum Chriſtianum *inſcribo: vt enim is olim formaſſe hominis corpus, hauſtoque cœlo ac ſole igni vitam ei inſtillare dicebatur, ita hic animum formandum fingendum, ſuiſque quodammodo ducendum lineamentis, ac demum honeſtæ vitæ principiis præceptiſque, veluti quibuſdam è cœlo diuinoque ſole deriuatis ſcintillis, ac vitali igne animandum inſpirandumque aſſumpſi.*

Breuitati ſtudeo preſſoque potiùs quàm fuſo ſermone vti contendo: tùm quia ſtrictum dicendi genus vim quandam & robur addere dictis ſolet (Virtus quippe Vnita fortior *) tum maximè quia nil tædium affert citiùs, quàm prolixitas. Ea ſiquidem fere eſt hominum indoles, vt ſi quid, in iis præſertim quæ ad vitæ morumque informationem pertinent, fusè ſcriptum concinnatumque videant, ipsâ ſtatim mole terreantur, idque vel aggredi omnino non audeant, vel, ſi legere incipiant, longitudinis pertæſi deſiſtant, animumque deſpondeant.*

In Philoſophi cuiuſdam ſcriptum incidit aliquando Athenis Diogenes: quod cùm variâ eruditione, monitiſque

que ad rectam vitæ inſtitutionem ſpectantibus refertum eſſe cerneret, populo prælegit. Erectis initio animis aſtabant omnes, quæq; à Philoſopho legebantur, pronis auribus excipiebant. At vbi rem in longum protrahi perſpexerunt, deferbuit paulatim audiendi ardor, voluptateque in tædium verſâ, tantùm non diſceſſerunt. Id cùm animaduerteret Diogenes, quæ reſtabant folia manu leuiter conuoluens, finemque inſtare perſpiciens, Bono animo, *inquit,* eſte viri, terram video. *Quo facetè dicto languidas illorum mentes denuo erexit, & hac eos arte detinuit, alioqui dilapſuros.*

Ita enimuero eſt prolixitas ſatietatem, ſatietas nauſeam parit. Sed de his ſatis ne illius, quam hîc arguo, me reum culpæ conſtituam, dum iſthæc fuſiùs proſequor, & contra prolixitatem prolixè diſputo, domuiq; non magnæ amplam paro porticum.

ORDO
ET SERIES
DISPVTATIONVM,
ET CAPITVM.

DISPVTATIO PRIMA.

PRæmittuntur quædam circa notionem Philoſophiæ Moralis.

Cap.1. Moralis Philoſophiæ natura & dignitas declaratur.

Cap.2. Philoſophiæ Moralis præſtantia vlterius oſtenditur.

Cap.3. De philoſophiæ Moralis Origine.

DISPVTATIO SECVMDA.

Quis Moralis Philoſophiæ ſit ſcopus.

Cap.1. Singularum Artium fines curſim declarantur.

Cap.2. Omnes liberalium artium perfectiones in ſe continet Ethica.

DISPVTATIO TERTIA.

Ethicæ ſcopus magis in particulari declaratur.

Cap.1. Moralis Philoſophia homines homines facit.

Cap.2. Proſequutione eiuſdem oſtenditur quo pacto Philoſophia hominem reformando formet in hominem.

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA.

Ad quam ætatem ſpectent Moralis Philoſophiæ præceptiones.

In quot, & quas ætates, vita hominis diuidatur. *Cap.1.*

Pueritia Philoſophiæ Moralis præceptis imbuenda. *Cap.2.*

Philoſophiæ Moralis præcepta Iuuentuti neceſſaria. *Cap.3.*

Senectutem maximè decent præcepta Philoſophiæ. *Cap.4.*

DISPVTATIO QVINTA.

Ad quod hominum genus ſpectet Philoſophia Moralis.

Ad Reges primò & principes ſpectant Philoſophiæ Moralis præceptiones. *Cap.1.*

Quiſnam cenſendus ſit verus Rex: quod verum Regnum. *Cap.2.*

Non ad Reges tantum & Principes, ſed ad omnes omnino homines pertinent Philoſophiæ Moralis præcepta. *Cap.3.*

DISPVTATIO SEXTA.

De fine hominis, ad quem conſequendum eum iuuat Ethica.

Sitne vniuerſim rebus omnibus finis aliquis cōſtitutus. *Cap.1.*

In quo finis hominis conſiſtat. *Cap.2.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

Qua in re ſita ſit hominis Beatitudo.

Cap 1. Vtrum in diuitiis conſiſtat Hominis felicitas.

Cap.2. Oſtenditur vlterius, felicitatem in diuitiis non conſiſtere.

Cap.3. Ex alia diuitiarum conditione probatur in diuitiis ſitam non eſſe Hominis felicitatem.

DISPVTATIO OCTAVA.

Vtrum in voluptate ſita ſit felicitas.

Cap.1. Voluptariorum opinio.

Cap.2. Confutatur hic voluptariorum error, oſtenditurque in voluptate felicitatem conſiſtere non poſſe.

Cap.3. Roſa voluptatis ſymbolum, varia in illâ reperiri denotat veræ felicitati contraria.

Cap,4. Expeditiſſimus, num in voluptate ſita ſit felicitas, dignoſcendi modus.

DISPVTATIO NONA.

Vtrum in gloria, honoribus, & dignitatibus conſiſtat hominis felicitas.

Cap.1. In fama & honore ſtatui felicitas non poteſt.

Cap.2. Regum ac Principum, nihili res haſce terrenas facientium exemplo oſtenditur, felicitatem in honore, diuitiis & voluptatibus non conſiſtere.

Cap.3. Quàm infelix ſit terrenarum rerum felicitas, exemplis ab Angliâ petitis Regum eas contemnentium, oſtenditur.

Cap.4. Reginarum, illuſtriumque in Anglia fæminarum

rum exemplo probatur vanam eſſe mundi felicitatem.

DISPVTATIO DECIMA.

Concluſio circa hominis felicitatem.

Veræ diuitiæ. *Cap.1.*

In ſolo Deo vera felicitas. *Cap.2.*

Summum hominis bonum, & vltima Beatitudo. *Cap.3.*

DISPVTATIO VNDECIMA.

Media quædam ad moralis & honeſtæ vitæ conſecutionem maximè conducentia.

Præcipuum integræ & honeſtæ vitæ fundamentum eſt Dei notitia. *Cap.1.*

Demonſtratur dari Numen aliquod ſupremum, ſeu Deum. *Cap.2.*

Aliæ rationes quibus demonſtratur eſſe Deum. *Cap.3.*

DISPVTATIO DVODECIMA.

Deus vnus eſt, non plures.

Varia antiquorum figmenta circa Deorum numerum. *Cap.1.*

Rationes aliquot morales probantes plures admitti Deos non poſſe. *Cap.2.*

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

Duo Philoſophiæ Moralis principia ex anima hominis deſumpta, illam ſcilicet liberam eſſe, & eſſe immortalem.

Aſtruitur ac declaratur animæ humanæ libertas. *Cap.1.*

Ex antiquis Philoſophis oſtenditur hominem eſſe liberum. *Cap.2.*

Natio-

Digitized by Google

Cap.3. Nationum omnium conſenſu, rationeque inde deductâ probatur liberum hominis arbitrium.

Cap.4. Nullum fatum libertatem hominis infringit.

Cap.5. Expenditur aliud fati genus, & oſtenditur non obſtare libertati.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

Ad vitam iuxta Philoſophiæ Moralis regulas tranſigendam neceſſaria eſt animæ immortalitas.

Cap.1. Declaratur quantum ad vitam moralem & honeſtam conducat immortalitatis animæ cognitio.

Cap.2. Sitne anima hominis immortalis.

Cap.3. Rationes aliquot proponuntur ad probandam animæ immortalitatem.

Cap.4. Præcipuum argumentum ad animæ immortalitatem oſtendendam.

Cap.5. Alia quædam argumenta ad immortalitatem animæ probandam.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De tribus ad rem tum priuatam, tum publicam, conſtanſque virtutis & honeſtæ vitæ exercitium præcipuè conducentibus.

Cap.1. Veneratio & cultus Dei, firmamentum Reipublicæ.

Cap.2. Non ad ciuium tantum animos inter ſe conciliandos, impediendaſque ſeditiones, ſed ad hoſtium vim arcendam, plurimum conducit pietas.

Leges

Leges ſanctè obſeruandæ. *Cap.3.*
Iuuentuti optimi præceptores præficiendi. *Cap.4.*
Vlterius oſtenditur quantum bonum Reipublicæ afferant, virtute & literis præſtantes iuuentutis inſtitutores. *Cap.5.*
Breuis admonitio ad parentes. *Cap 6.*
Adhortatio ad iuuenes, de modo quo erga ſuos præceptores ſe habere debeant. *Cap.7.*

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

Quibuſdam virtutis proprietatibus & excellentiis propoſitis, homines ad eam amplectendam inuitantur.

Virtus, ſola fortitudo. *Cap.1.*
Seu
Virum non vires, ſed virtus facit.
Nulla ſine virtute ſapientia. *Cap.2.*
Seu
Solus probus ſapiens.
Virtus vnicum gaudium, vnicum affectæ mentis ſolatium. *Cap.3.*

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

Nihil ad vitam rectè traducendam, conſtantemque virtutis exercitationem magis iuuat, quã memoria mortis.

Viue memor quàm ſis breuis æui. *Cap.1.*
Nulli, aut paruo, aut magno, lethi fuga. *Cap.2.*
Vitæ breuitas & incertitudo mortales admonet, maximi omnium intereſſe, vt eam ſemper rectè habeant inſtitutam. *Cap.3.*
Sera nimis vita eſt craſtina. *Cap.4.*

DISPV-

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

Præcipuum moralis vitæ fundamentum: *Noſce teipſum.*

Cap. 1. Quantum vniuſcuiuſque ad vitam rectè inſtituendam interſit, vt ſui habeat notiam.

Cap. 2. Miſer hominis ſtatus & conditio proponitur, vt inde ſe quiſque meliùs cognoſcat.

Cap. 3. Ex nullo clariùs, quam ex Dei conſideratione homo ſibi innoteſcit.

Cap. 4. Proſecutione eiuſdem oſtenditur quantum ad ſui co nitionem conducat conſideratio Dei.

DISPVTATIO VLTIMA.

Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

F I N I S.

SEN-

Nihil in terris magnum præter hominem, nihil in homine magnum præter mentem.d.5.c.3 n.11.

Nihil firmum, quod in populi voluntate fundatur. d.9. c.1.n.7.

Nihil amittit, qui virtutem retinet. diſputat.10.cap.1. num.4.

Nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur. diſputat.d.13.c. 1.num 5.

Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylua ſurrexit d.12 c.2 n.3.

Non ex quolibet ligno fit Mercurius. diſputat.13 cap.4. num.3.

Non faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni vel mali amores.d.15 c.4.n.7.

Non annorum, ſed animorum canities laudanda.d 4.c. 2.num.8.

——Non ſic inflectere ſenſus,
Humanos edicta valent, vt vita regentis. *d 5.c.1. num 2.*

Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt.d.7. c.3.n 8.

Non eſt tuum fortuna quod fecit tuum. diſput.10.c.1. num 3.

Noſtrum viuere à vita tranſire eſt.d.17.c.1.n.9.

Noſce tempus.d.17.c.4.n.5.

Noſce teipſum.d.18.

Nullus naſcitur artifex.d.1.c.3.n 2.

Nullum hîc mel non felle mixtum. d.8.c.3.n.7.

Nullum fortius vinculum, quàm pietatis. diſputat.15.c. 1.num.3.

Nulla inter malos amicitia.d.15.c.1 n.10.

Nulla harmoniâ curatur animus ſibi diſſonus. d.16.c.3.num.7.

Nulla pulchrior virtutum imago quàm cui vmbras adiicit mortis meditatio.d 17.c.1 n 9.

Nullum ſidus ſerenius fulget mari quàm virtus animæ. In epiſt. dedicat:

Nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. In Præfat.ad lectorem.

Nunquam antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.*d.8.c.4.n.5.*

O.

OMne verbum prius ad lineam bis veniat, quàm ſemel ad linguam.d.2.c.2.n 2.

Omni ætate eſt diſcendum. d.4.c.4.n.1.

Omnis mutatio eſt quædam mortis imitatio. d.10.c.3.num.4.

Omnis malus eſt ignorans.d 16.c.2.n.5.

Omnino calamitoſa res eſt homo. d.18.c.2.n.8.

Opes corporeæ mentem relinquunt inopem. diſp.10.c.1.num.9.

Opes ſapienti ſeruiunt ſtulto imperant.diſputat.7.cap.1.num.12.

Opinionem & famam eo loco habeamus, tanquam quæ non ducere ſed ſequi debeant d.1 c.1.n.11.

Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. d.10.

Optimis quibuſque capiuntur generoſæ mentes. d.4.c.3.num.9.

Optimum non naſci,proximum, quamprimum mori.d.8.c.2.n.11.

Opus

Opus naturæ eſt opus intelligentiæ diſputat.6. cap.1.numer.1.

P.

PArce tempori.d.17.c. 4.n.5.

Pares omnes naſcimur , & ſolâ virtute diſtinguimur. d.18.c.2 n.6.

Pars,ſuo poſthabito,totius bonum ſpectare debet.d.6.c.1. num.3.

Pecunia neminem diuitem facit d 7.c.1.n.2.

Philoſophia aliud nihil eſt,quàm mortis meditatio.d.17. c.1.n.1.

Placet ſuapte naturâ adeoq́ gratioſa virtus eſt, vt inſitum ſit etiam malis probare meliora.d.11.c.1.n.4.

Plures occidit crapula,quàm gladius d.3.c.2 n.9.

Plus vident oculi,quàm oculus.d.12.c.2.n.4.

Præmium & pœna duo cardines Reipublicæ. d.11.c.1. num 4.

Pretioſiſsimum impendium temporis.diſputat.17.cap 4. num 5.

Primum in intentione, eſt vltimum in executione. d.6. c.2.n.1.

Primum in vnoquoque genere,menſura eſt reliquorum. D.18.c.1.n.1.

Principes ſibi ſolis,nec boni vnquam ſunt, nec mali.d.5. c.1.n 3.

Princeps animus Reipublicæ.d.5.c.2.n.7.

Principis vita aliis viuendi norma.diſputat.5. cap.1 numer.7.

Propè Deus eſt,tecum eſt,intus eſt;bonorum malorumq́ noſtrorum obſeruator.d.11.c.1.n.3.

Pun-

Digitized by Google

Punctum eſt quod viuimus, & adhuc puncto minus.d.4.c.1.n.5.

Q.

QValis dux, tales ſubditi.d.5.c.1.n.6.

Qui plures ſequitur lepores, nullum capit.diſput.6.c.2.num.1.

Qui multa complectitur nihil ſtringit. diſputat.3.c.2.num.5.

Qui plures, quàm vnum Deum ſtatuit, nullum ſtatuit.d.11.c.4.n.1.

Qui peccatum animo infixam gerit, ſuum ſecum fert carnificem.d.16.c.3.n.3.

Qui aliorum mores curioſius obſeruant, negligunt vt plurimum ſuos.d.17.

Quod facit Princeps, iubet.d.5.c.1.n.8.

Quod diſcitur facilè, haud ita facilè dediſcitur. d.4.c.2.num.8.

Quod non dedit fortuna, non eripit. diſputat.3.cap.1.num.10.

Quod omnes pariter curant, omnes negligunt. d.3.c.2.num.11.

Quod in naui gubernator, in curru auriga, in exercitu imperator, &c. hoc in mundo Deus. diſputat.11.cap.2.num.5.

R.

REges praui, non ſoles ſunt, ſed cometæ. diſp.5.cap.2.num.7.

Regum vitia tranſeunt in ſubditos.d.5.c.1.n.4.

Reipublicæ ſalus in legibus ſita eſt. diſputat.15.cap.3.num.5.

Rex

Rex auaritiæ deditus, aureum mancipium. diſput.7.cap. 1.num.3.

Rex ſol quidam terreſtris.d.5.c.2.n.7.

Rex ſui priùs eſſe quiſque debet, quàm aliorum. d.5.c.1. num.1.

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. diſp.5.cap.1. num.2.

Roſam vbi præterieris, eam denuo ne quærito. d.8.cap.3. num 4.

S.

SApiens dominabitur aſtris.d.13.c.4.n.7.

Sæpe fit, vt qui diu vixit, parum vixerit.diſp.17.c.4. num.6.

Segniùs irritent animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.*d.9.c.2. num.1.*

Sera nimis vita eſt craſtina.d.17.c.4.

Sera eſt parſimonia in fundo.d.17.c.4.n.3.

Serò ſapiunt Phryges.d.7.c.3.n.6.

Sexcentis oculis te circumſpicito.diſputat.18.cap 1. numer 2.

Singulos dies, ſingulas vitas puta. diſputat. 4.cap.1.numer 3.

Sola mens ſeneſcens iuueneſcit.d.10 c.1.n.2.

Soli viuunt, qui vacant ſapientiæ. diſputat. 16. cap.2. num.12.

Solius virtutis laus eſt immortalis. d.9.c.1.n.10.

Solus probus ſapiens d.16.c.2.

Sol & Rex ſimulachra Dei.d 5 c.2.n.6.

Spes ſpem excitat: Ambitio ambitionem. d.10.c.2.n.5.

Securè,

Digitized by Google

Securè, & feliciter certatur, vbi virtus eſt anteſignana. In epiſt. dedic.

Stabilimentum Reipublicæ, animorum coniunctio. d.15. c.1.n.3.

T.

Tacere quiſquis neſcit, hic neſcit loqui. diſp.2. cap.2. num 3.

Tantum quis vixit, quantùm bene vixit. diſputat.17.c. 4.num 6.

Tecum habita d 18.c.1.n 4.

Tela pietate tincta acutiora. d.15.c 2.n.17.

Terribilium omnium terribiliſſimum eſt mors. d.8.c.4. num.9.

Tum demum beatæ erunt Reſpublicæ, quando aut Philoſophi regnant, aut reges philoſophantur. d.5.cap.1. num.1.

Tuo te pede metire. d.18.c.2.n.2.

V.

Varium & volatile quiddam, gloria. diſput.9.c.1. num.9.

Vbi theſaurus, ibi cor. d.16.c.1.n.8.

Vera felicitas eſt felicitate dignum videri. diſp.9. cap.1. num.10.

Veritas odium parit. d 7.c.3.n.6.

Veritas vna: via errandi infinita. d.6.c.2.n.3.

Verbum ſapienti ſat eſt. d.3.c 2 n.5.

Virtutem cole dum viuis, famam inuenies in ſepulchro. d.9.c.1.n.11.

Virtus eſt diffuſiua ſui. d.9.c.3 n 4.

Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. d.10.c.3.n.4.

Virtus

Digitized by Google

Virtus inuentu difficilis: vitia etiam ſine magiſtro diſcuntur.d.4.c 2 n 2.

virtutis vberrimum alimentum, honos. diſputat.13.c.3. num.6.

Virtus quantùm à gratitudine deficit, tantùm deficit à ſeipſa.d 15.c.7 n.5.

Virtus vnita fortior.In Præfat.ad lectorem.

Virum non vires, ſed virtus facit. diſputatio. 16. cap.1.

Viro probo quiuis dies feſtus eſt. diſputat.17. cap 3. numer.3.

Vitium ſibi ſemper ſimile. diſputatio. 3. cap. 2. numer.14.

Vitam delige optimam, dulcem eam conſuetudo efficiet. d.17.c.4 n.9.

Vita vita mortalis ſpes eſt vitæ immortalis d. vltima C. vnic.n.5.

Viuere imprudenter,intemperanter impiè non tam viuere eſt, quàm ſenſim mori. diſputat. 3. cap. 2. numer.13.

Viue memor quàm ſis breuis æui. *diſputat.17. cap 1.*

Viuere qui diſcit, diſcit mori. diſputat. 17. cap.3. numer.4.

Voluptas, mel Colchicum. diſputatio. 10. cap. 2. numer.5.

Voluptas Sireni ſimilis d 3.c.1.n.4.

Voluptas tinea virtutis d 8.c 2 n.5.

Voluptatis roſa, nunquam ſine ſpina naſcitur.diſp.8.c.3. num.7.

Voluptas,

*Voluptas, Sodoma pomis ſimilis. diſputat.*8.*cap.*2. *numer.*2.

*Vna hora hilaris inſaniæ, longam parit triſtitiam. d.*8. *c.*3 *num* 8.

*Vnica cuſtodia pietas.d.*15.*c.*2.*n.*17.

*Vnius temporis honeſta eſt auaritia d.*17.*c.*4.*n.*4.

*Vt ſol annorum, ita Rex animorum eſt arbiter. d.*5.*c.*2. *num.*8.

F I N I S.

PROME-

Digitized by Google

SENTENTIÆ,

QVÆ IN HOC

TRACTATV

SPARSÆ REPERIVNTVR,

In gratiam ſtudioſi lectoris in vnum collectæ, & ordine alphabetico digeſtæ.

A.

Adoleſcentis eſt, maiores natu reuereri. diſp.15.c.7. num.1.

Ad vitia non prona tantùm eſt, ſed præceps via d.14.c.1. num.4.

Amor amore compenſandus. diſputat.15. cap.7. numer.2.

Amor haud æquus rerum arbiter. diſputat.8.cap.2. numer 1.

Anima magis eſt vbi amat, quàm vbi animat. diſp.16. c.1. num.8.

Anima à paßionibus occupata, pharetra eſt ſagittis venenatis plena. d.5.c.3.n.11.

Animorum faber Philoſophus. diſputat. 3.cap.1. numer.12.

Animus ſceleratus, carcer ſibi. diſputation.3.cap.1.numer 5.

Annulum arctum ne geſtato. diſputation. 16.cap.3. numer.5.

Ars artium, regere poſſe ſeipſum. d.5.c.2.n.9.

Digitized by Google

Ars magna ſilere poſſe in tempore.d 2.c 2.n.3.

Aſinus portans ſacra.d 18.c.4.n.3.

Auaro tam deeſt id quod habet, quàm quod non habet. d.7 c.1.n 4.

Auarus nulli bonus eſt ſibi autem peſſimus. d.7.c.1.n.5.

Auri cupiditas amando lædit,nudat ditando. d.7.cap.1. num 3.

Auri & argenti theſauri, non tam nummorum ſunt, quàm curarum cumuli In epiſt dedicat.

Aurium munimenta pueris potiùs,quam athletis apponenda.d.15.c.4 n 5.

Aurum animarum laqueus mortis hamus. d.7.c.2.n.4.

B

Beatitudo eſt cumulata bonorum complexio.d.7.c.1.num.2.

Beatitudo vera non eſt, de cuius æternitate dubitatur.d.14.c 3.n.4.

Bonum ex integra cauſa.d.4.c.3.n.6.

C.

Canities galeâ premenda.d.4.c.4.n.1.

Centrum animæ Deus. *d.10.c.2.n.1.*

Characteres illi pulcherrimi, qui virtutis penicillo ducuntur.d.15 c 17.n.3.

Citiùs contrahuntur maculæ, quàm eluuntur. d.4.c 2. num.8.

Ciuium diſcordia peſtis Reipublicæ. *d.15.c.1.n.1.*

Cœlum idiotarum liber.d.11.c.2.n.1.

Cœlum non animum mutant,qui trans mare currunt. d.16.c.3.n.3.

Concor-

Digitized by Google

Concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur d.15.l.1.n.2.
Conſcientia mille teſtes d.13.c.1.n.6.
Conſuetudo, altera natura d.15.c.4.n.7.
Corporis oblectamenta morbos animi non ſanant.d.16.c.3.n.3.
Corruptio optimi peſſima.d.8 c.3.n.4.

D.

DEus bonum virum in deliciis non habet.d.2.cap.2.num.7.
Dei ignoratio peſtis eſt Reipublicæ.d.11.c.1.n.7.
Deo, parentibus & magiſtris par rependi gratia non poteſt.d.15.c.7.n.6.
Deus eſt quo maius, aut melius cogitari nihil poteſt.d.12.c.2.n.2.
Deus & natura nihil faciunt fruſtra.d.11 c.3.n.4.
Deus eſt circulus cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam.d.15.c.1.n.4. & d.18.c.3.n.4.
Deus mundi oculus. d.11.c.1.n.3.
Deus ſol ſolis.d.11.c.1.n.4.
Dij laneos habent pedes.d.14.c.4.n.3.
Diadema non ſanat dolorem capitis, nec annulus pretioſus reduuiam.d.16.c.3 n.5.
Difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt. d.4.c.3.n.1.
Difficilia quæ pulchra. d.9.n.2.
Difficile eſt ſimul amare & ſapere.d.16.c.2.n.5.
Diſciplina adoleſcentiæ, vitæ viaticum.d.4.c.2.n.3.
Diſce viuere, diſce mori.d.17.c.3.n.4.
Diu vixit, qui bene vixit. d.17.c.3.n.2.

Diuitiæ, doloris & curæ filiæ. d.7. c.1. n.2.
Diuitiæ homicidæ. d.7 c 1. n.13.
Diuitiæ vitiorum origo d 7. c.2. n.1.
Diuitiarum vermis ſuperbia. d.7 c.2. n.2.
Diuitiarum amor, omnis improbitatis Metropolis. d.7. c.2. n.3.

E.

EST modus in rebus d.9 c.2. n.1.
Exempla dictis potiora. d.9. c.2 n.1.
Exempla optimi oratores. d 9. c.3 n.10.
Experientia rerum omnium magiſtra. diſput.10. cap.2. num.3.
Ex ſpinis naſcuntur roſæ, ex roſis ſpinæ. diſputat.10. c.2. num.5.
Ex vero nil niſi verum. d.14. c 5 n.5.
Ex vitiatá radice nihil ſinceri expectari poteſt d.15. c.4. num.6.

F.

FAber quiſque fortunæ ſuæ d.14. c.4. n.10.
Faciliùs excluduntur vitia, quàm extirpantur. d.15. c.4. n.2.
Facta etiàm habent linguas ſuas. d.17. c.3. n.7.
Fatum non ponunt niſi fatui. d.13. c.4. n.7.
Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit. diſputat.7. c.1. num.13.
Felicitas incerta, eſt certa infelicitas. diſputat.10. cap.1. num.1.
Finiti ad infinitum nulla eſt proportio. d.18. c.3. n.1.
Fons & radix virtutis eſt inſtitutio proba. d.15. cap.5. num.7.

Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet frangitur. diſp.3 c.1. num.10.

Fortuna multis dat nimis, nulli ſatis. diſputat.7. cap.1. num 8.

Fortiſſimum neceſſitas, ſapientiſſimum tempus, maximum cor hominis. d.10.c.2.n.3.

G.

GAudia inter, & gaudia, diſcernendum. diſput.16.c. 3.num.1.

Gratitudo generoſus animæ ſanguis & nobiliſſima indolis indicium d.15.c 7.n 4.

Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel. d.15.c.7.n 4.

H.

HAbent & mores colores ſuos, habent & odores. d. 4.c.2.n.5.

Haud facilè quiſquam gratuitò bonus eſt. diſp.11.c.1. num.6.

Homines permulti, viri perpauci. diſputat. 16.cap.1.numer.2.

Homo herba ſolſtitialis d.4.c.1.n.5.

Homo eſt mancipium mortis hoſpes loci, viator tranſiens acervus nivis diſp. vlt.c. vnic.n.1.

Homo arbor inuerſa. d.5.c.3 n.7.

Homo homini lupus. d.3.c.1.n.2.

Homo eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus inconſtantiæ imago Trutina calamitatis. d.17.c.2.n.5.

Honor alit artes. d.9.n.2.

Humana vita eſt curſus velociſsimus ad mortem. d.17. c.2.n.4.

I.

ILle quærendæ diuitiæ, quæ ſimul cum naufrago enatant. d.10.c.1.n.7.

Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi. diſputatio.9 cap.1.n 8.

Impunitas maxima peccandi illecebra. diſputat. 11.c.1. num 7.

Infœlix fœlicitas in ore vulgi ſita. diſputat.9. cap.1.numer.6.

In improbum non cadit ſapientia. diſputat.16.cap.2. num.3.

In medio conſiſtit virtus d 12.

Inopi deſunt multa auaro omnia diſputat.7. cap.1.numer 4.

Inſipiens eſt, qui ſuiipſius non nouit quantitatem. d.18. c.4.n.14.

In virtutis oculis viuendum. d.11.c.1.n.1.

L.

LÆta initia triſtes ſæpenumero pariunt exitus. d.3. c.1.n.4.

Leges, nerui Reipublicæ. d.15.c.3.n.1.

Lentè molunt Deorum molæ ſed molunt minutim. d.14. c.4.n.3.

Lex eſt ſpirans Dei imago. diſputatio.15. cap. 3. numer.6.

Longum iter per præcepta, breue per exempla. d.9.cap.2. num.1.

M. Ma-

M.

Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſsiſtat. d.11.c.1.n 4.

Magna corporis cura, magna virtutis incuria. d.8.c.2. num.5.

Magna ars eſt animorum tractatio. diſputat.4. cap.3. num.8.

Mala pertinaciùs hærent d.4.c.2.n.6.

Malorum initia extinguenda. d.4.c.3 n.2.

Malus etiamſi regnet, ſeruus eſt. diſputat.5.cap.2.numer.2.

Malè parta malè dilabuntur. d.16.c.1.n.8.

Mane ſerenum veſper ſæpe excipit procelloſus. d.7.c.3. num.6.

Marcet ſine aduerſario virtus d.2.c.2.n.7.

Maximum imperium eſt imperare ſibi. diſputat.5.c.2. num.9.

Mel abſinthio miſcendum. d.4.c.3.n.9.

Mens regnum bona poſsidet. d.5 c.2.n.5.

Mens vitiis infecta, virtutis tincturam vix recipit. d.4. c.2.n.8.

Mens & conſilium, & ratio in ſenibus eſt. diſp.4.cap.4. num.9.

Mora morbus periculoſiſſimus. diſputat.17. cap.4.numer.8.

Mortale eſt omne mortalium bonum. diſputat.7.cap.3. num.8.

Mortis memoria, mentis myrrha. d 17.c.1 n.2.

Mortem nulla diligentia euitat, nulla fœlicitas domat, nulla potentia vincit. d.17.c.2 n.12.

Mortis articulus, lapis lydius voluptatis. diſput.8.cap.4. num.1.

Multos reges ſi ratio te rexerit d.5.c.1.n.1.

Multa dulcia gloria obtentu vita mentitur. d.9.cap.1. num 9.

Mundus theatrum miſeriarum, malorum congeries. d.9. c.2.n.2.

Mutat lectos æger, febris manet. d.16.c.3.n.7.

N.

N*Atura vox omnibus vna d 11.c.3 n.4.*

Naturâ tenaciſsimi ſumus eorum quæ rudibus annis percepimus. d. 15.c.4 n.6.

Natura abhorret vacuum. d.6.c.1.n.3.

Nemo quàm bene viuat, ſed quamdiu curat cùm omnibus poſsit contingere, vt bene viuant, vt diu, nulli. d. 17.c.3 n.1.

——— Neque vlli,

Aut magno, aut paruo, lethi fuga. *diſputat.17.c.2. num.3.*

Nequid nimis d.4.c 2.n.6.

Nil turpius, quàm ſenex viuere incipiens. d.17.cap.4. num.7.

Nihil nouit animus ſui neſcius d.18.c.1.n.5.

Nil in terra ſpirat, nil repit homine miſerius. d.18.c.2. num 8.

Nil infœlicius eo, cui nihil vnquam accidit aduerſi. d.2. c.2.n.7.

Nihil cauendum magis, quàm diſsidium pectoris & linguæ. d.2.c.2.n.4.

Nihil

PROMETHEVS CHRISTIANVS SEV LIBER MORALIVM.

DISPVTATIO PRIMA.

Præmittuntur quædam circa notionem Philoſophiæ Moralis.

REctus de quacunque arte & ſcientia diſputandi modus poſtulat, vt quædam ad illius naturam ac proprietates inueſtigandas ſpectantia præmittantur, idque viros quoſque doctiſſimos, in Philoſophis præſertim diſciplinis tradendis, paſſim obſeruare animaduerto. Vt ergo mori huic à Philoſophicis inducto morem geram, pauca de illius, quam hîc tractandam ſuſcepi, artis præſtantiâ, eiuſque fine, ac procedendi ratione, in ipſo Tractatûs initio exponam, vt horum diſquiſitione ars ipſa meliùs innoteſcat.

CAPVT PRIMVM.

Moralis Philoſophiæ natura, & dignitas declaratur.

I.

PHILOSOPHIA generatim ſumpta, vt eam ſapientiſſimi quique antiquorum definiunt, *eſt humanarum diuinarumque rerum cognitio*: quæ ijs, res præſtans adeò *Quid ſit Philoſophia.*

Digitized by Google

adeò planeque diuina, & humano generi vtilis ſemper ac neceſſaria eſt viſa; vt tum demum ſpirare homines cenſerentur, cùm auram primò Philoſophicam ducerent Nullum proinde excellentius donum mortalibus datum exiſtimabant, nihil ad excolendam mentem, cæleſtibuſque imbuendam diſciplinis accomodatius. Eam itaque, non vt in terrâ natam, ſed vt de cœlo lapſam amplectebantur, quoque ſapientiâ quis magis præſtabat, eo illam & in ſe perficere magis, & aliorum mentibus tanquam diuinum quiddam inſererere contendebat.

II. *Triplex Philoſophia partitio.* *Philoſophia Rationalis.*

Eſt verò Philoſophia celebri illâ partitione triplex, *Rationalis*, *Naturalis*, & *Moralis*. *Rationalis* diſſerendi ſubtilitatem, modumque acutè & ingenioſè concludendi, nodoſque artificioſos nectendi viam præſcribit, & intellectum omni apparatu Dialectico inſtruit, fallacium item & captioſarum argumentationum ſeu ſophiſmatum fucum ac fraudem aperit; &, vt verbo dicam, docet vera dicendi, fallendi artem dedocet.

III. *Philoſophia Naturalis.*

Naturalis in Naturæ in contemplatione defixa, Mundi inter ſe partium ſymmetriam & ordinem, Elementorum diſpoſitionem ac ſitum, Corporum cæleſtium cum ſublunaribus conſenſionem, rerum denique omnium ad conſtitutionem & fabricam Vniuerſi, conſpirationem ac veluti contentum perpendit.

IV. *Philoſophia Moralis.*

Moralis denique in animo componendo, vitâque iuxta rationis præſcriptum inſtituendâ verſatur. Priores ergo duæ ad virtutem intellectricem, tertia ad voluntatem pertinet: illæ rectè intelligendi, hæc bene viuendi præcepta tradit: mentem illæ hæc mores dirigit: illæ doctos hæc probos facit. Meritò proinde ſibi hæc primas vendicat, aliaſque duas Philoſophiæ partes, vt vtilitate, ita dignitate & præſtantiâ multis gradibus antecellit.

V. *Moralis.*

Eſt ergo *Moralis* Philoſopia magiſtra morum, ac vitæ cultrix, vtpote quam ad omnem honeſtatem, virtutiſque

tiſque exercitationem informat. Eſt regula, ad quam explorare ſua omnia quiſque debet vt rectè procedant. Eſt animæ oculus, cui nimirum quid homine dignum ſit, quid amplectendum, quid fugiendum, indicat. Eſt medicina mentis, quam ſcilicet ægram ſubinde, morbiſque variis affectam & afflictam reficit ac recreat, & inordinatis affectibus ac perturbationibus ſedatis, æſtuque animi depulſo, aureæ demum mediocritati reſtituit. Eſt Theſei filum, cuius ductu via ad innumera vitiorum monſtra intra abditos animi receſſus, ac veluti labyrinthos latitantia, extinguenda recluditur. Eſt Amphionis lyra quæ non ſaxa & lapides in ciuitatis aut muri ſtructuram, ſed homines dulci harmoniâ delinitos in eandem vitæ ſocietatem perducit: quæ, inquam, corda ſaxis duriora, menteſque efferatas maximè ac barbaras arbitratu ſuo fingit, & à brutorum moribus tranſlatas, in humanam ſenſim formam ac ſpeciem, mirâ metamorphoſi transmutat. Eſt viæ dux, quæ virtutis ſemitam tot difficultatibus interclusam, tot interceptam anfractibus, tot ſpinis ac vepribus coopertam aperit, perque eam incedentes, ad optatum finem ſine errandi periculo deducit. Eſt denique portus, quo variis animi motibus iactati, ſe tanquam ad aſylum recipiunt, ibique velut in tranquillâ ſtatione conquieſcunt, ac laborioſâ nauigatione perfuncti, honeſtiſſimo otio perfruuntur.

II. *Philoſophia eſt vitæ cultrix.*

Medicina mentis.

Amphionis Lyra.

Portus tranquilliſſimus.

CAPVT SECVNDVM.

Philoſophiæ Moralis dignitas vlterius oſtenditur.

I. *Philoſophia Moralis Phœnici ſimilis.*

PHiloſophia itaque Moralis hominem omnibus animi ornamentis ditat, mentemque in qua ſedem fixit, ſibique nidum, vt ita dicam, effecit, cunctis fragrantiſſimarum virtutum odoribus, omnique deliciarum genere perfundit: Phœnici, celeberrimæ illi Arabiæ aui non abſimilis. quæ, vt ait ille.

Securè & feliciter certatur, vbi virtus eſt anteſignana. In epiſt.dedic.

Stabilimentum Reipublicæ, animorum coniunctio. d.15. c.1.n.3.

T.

TAcere quiſquis neſcit, hic neſcit loqui. diſp.2. cap.2. num 3.

Tantum quis vixit, quantùm bene vixit. diſputat.17.c. 4.num 6.

Tecum habita d 18.c.1.n 4.

Tela pietate tincta acutiora. d.15.c 2.n.17.

Terribilium omnium terribiliſsimum eſt mors. d.8.c.4. num.9.

Tum demum beatæ erunt Reſpublicæ, quando aut Philoſophi regnant, aut reges philoſophantur. d.5.cap.1. num.1.

Tuo te pede metire. d.18.c 2.n.2.

V.

VArium & volatile quiddam, gloria. diſput.9.c.1. num.9.

Vbi theſaurus, ibi cor. d.16.c.1.n.8.

Vera felicitas eſt felicitate dignum videri. diſp.9. cap.1. num.10.

Veritas odium parit. d 7.c.3.n.6.

Veritas vna: via errandi infinita. d.6.c.2.n.3.

Verbum ſapienti ſat eſt. d.3.c 2 n.5.

Virtutem cole dum viuis, famam inuenies in ſepulchro. d.9.c.1.n.11.

Virtus eſt diffuſiua ſui. d.9.c.3 n 4.

Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. d.10.c.3.n.4.

Virtus

Virtus inuentu difficilis: vitia etiam ſine magiſtro diſcuntur.d.4.c 2 n 2.

virtutis vberrimum alimentum, honos. diſputat.13.c.3. num.6.

Virtus quantùm à gratitudine deficit, tantùm deficit à ſeipſa.d 15.c.7 n.5.

Virtus vnita fortior.In Præfat.ad lectorem.

Virum non vires, ſed virtus facit. diſputatio. 16. cap.1.

Viro probo quiuis dies feſtus eſt. diſputat.17. cap 3. numer.3.

Vitium ſibi ſemper ſimile. diſputatio. 3 cap. 2. numer.14.

Vitam delige optimam, dulcem eam conſuetudo efficiet. d.17.c.4 n.9.

Vita vitæ mortalis ſpes eſt vitæ immortalis d. vltima C. vnic.n.5.

Viuere imprudenter,intemperanter impiè non tam viuere eſt. quàm ſenſim mori. diſputat. 3. cap. 2. numer.13.

Viue memor quàm ſis breuis æui. *diſputat.* 17. *cap* 1.

Viuere qui diſcit, diſcit mori. diſputat. 17. cap.3. numer.4.

Voluptas, mel Colchicum. diſputatio. 10. cap. 2. numer.5.

Voluptas Sireni ſimilis d 3.c.1.n.4.

Voluptas tinea virtutis d 8.c 2 n.5.

Voluptatis roſa, nunquam ſine ſpina naſcitur.diſp.8.c.3. num.7.

Voluptas,

Voluptas, Sodoma pomis ſimilis. diſputat.8.cap.2. numer.2.

Vna hora hilaris inſania, longam parit triſtitiam. d.8. c.3 num 8.

Vnica cuſtodia pietas.d.15.c.2.n.17.

Vnius temporis honeſta eſt auaritia d.17.c.4.n.4.

Vt ſol annorum,ita Rex animorum eſt arbiter. d.5.c.2. num.8.

FINIS.

PROME-

Digitized by Google

SENTENTIÆ,

QVÆ IN HOC

TRACTATV

SPARSÆ REPERIVNTVR,

In gratiam ſtudioſi lectoris in vnum collectæ, & ordine alphabetico digeſtæ.

A.

Adoleſcentis eſt, maiores natu reuereri.diſp.15.c.7. num.1.

Ad vitia non prona tantùm eſt, ſed praceps via d.14.c.1. num.4.

Amor amore compenſandus. diſputat.15. cap.7. numer.2.

Amor haud æquus rerum arbiter. diſputat.8.cap.2.numer.1.

Anima magis eſt vbi amat, quàm vbi animat.diſp.16. c.1.num.8.

Anima à paßionibus occupata, pharetra eſt ſagittis venenatis plena.d.5.c.3.n.11.

Animorum faber Philoſophus. diſputat. 3.cap.1. numer.12.

Animus ſceleratus, carcer ſibi. diſputation.3.cap.1.numer 5.

Annulum arctum ne geſtato. diſputation. 16.cap.3. numer.5.

Ars artium, regere poſſe ſeipſum. d.5.c.2.n.9.

Ars magna ſilere poſſe in tempore.d 2.c 2.n.3.

Aſinus portans ſacra.d 18.c.4.n.3.

Auaro tam deeſt id quod habet, quàm quod non habet. d.7 c.1.n 4.

Auarus nulli bonus eſt ſibi autem peſſimus. d.7.c.1.n.5.

Auri cupiditas amando lædit,nudat ditando. d.7.cap.1. num 13.

Auri & argenti theſauri, non tam nummorum ſunt, quàm curarum cumuli In epiſt dedicat.

Aurium munimenta pueris potiùs,quam athletis apponenda.d.15.c.4 n 5.

Aurum animarum laqueus mortis hamus. d.7.c.2.n.4.

B.

B*Eatitudo eſt cumulata bonorum complexio.d.7.c. 1.num.2.*

Beatitudo vera non eſt, de cuius æternitate dubitatur.d. 14.c 3.n.4.

Bonum ex integra cauſa.d.4.c.3.n.6.

C.

C*Anities galeâ premenda.d.4.c.4.n.1.*

Centrum animæ Deus. d.10.c.2.n.1.

Characteres illi pulcherrimi, qui virtutis penicillo ducuntur d.15 c 17.n.3.

Citiùs contrahuntur maculæ, quàm eluuntur. d.4.c 2. num.8.

Ciuium diſcordia peſtis Reipublicæ. d.15.c.1.n.1.

Cœlum idiotarum liber.d.11.c.2.n.1.

Cœlum non animum mutant,qui trans mare currunt, d.16.c.3.n.3.

Concor-

Digitized by Google

Concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur d.15.l.1.n.2.
Conſcientia mille teſtes. d.13.c.1.n.6.
Conſuetudo, altera natura. d.15.c.4.n.7.
Corporis oblectamenta morbos animi non ſanant. d.16.c.3.n.3.
Corruptio optimi peßima. d.8 c.3.n.4.

D.

DEus bonum virum in deliciis non habet. d.2.cap.2.num.7.
Dei ignoratio peſtis eſt Reipublicæ. d.11.c.1 n.7.
Deo, parentibus & magiſtris par rependi gratia non poteſt. d.15.c.7.n.6.
Deus eſt quo maius, aut melius cogitari nihil poteſt. d.12.c.2.n.2.
Deus & natura nihil faciunt fruſtra. d.11 c.3.n.4.
Deus eſt circulus cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam. d.15.c.1.n.4. & d.18.c.3.n.4.
Deus mundi oculus. d.11.c.1.n.3.
Deus ſol ſolis. d.11.c.1.n.4.
Dij laneos habent pedes. d.14.c.4.n.3.
Diadema non ſanat dolorem capitis, nec annulus pretioſus reduuiam. d.16.c.3.n.5.
Difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt. d.4.c.3.n.1.
Difficilia quæ pulchra. d.9.n.2.
Difficile eſt ſimul amare & ſapere. d.16.c.2.n.5.
Diſciplina adoleſcentiæ, vitæ viaticum. d.4.c.2.n.3.
Diſce viuere, diſce mori. d.17.c.3.n.4.
Diu vixit, qui bene vixit. d.17.c.3.n.2.

Digitized by Google

Diuitiæ, doloris & curæ filia.d.7.c.1.n.2.
Diuitiæ homicidæ.d.7.c.1.n.13.
Diuitia vitiorum origo d 7.c.2.n.1.
Diuitiarum vermis ſuperbia.d.7.c.2.n.2.
Diuitiarum amor, omnis improbitatis Metropolis. d.7. c.2.n.3.

E.

EST modus in rebus d.9 c.2.n.1.
Exempla dictis potiora.d.9.c.2.n.1.
Exempla optimi oratores.d 9.c.3.n.10.
Experientia rerum omnium magiſtra. diſput.10.cap.2. num.3.
Ex ſpinis naſcuntur roſa, ex roſis ſpina. diſputat.10.c.2. num.5.
Ex vero nil niſi verum.d.14.c.5 n.5.
Ex vitiata radice nihil ſinceri expectari poteſt d.15.c.4. num.6.

F.

FAber quiſque fortuna ſua d.14.c.4.n.10.
Faciliùs excluduntur vitia, quàm extirpantur. d.15. c.4.n.2.
Facta etiam habent linguas ſuas. d.17.c.3.n.7.
Fatum non ponunt niſi fatui d.13.c.4.n.7.
Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit.diſputat.7.c.1. num.13.
Felicitas incerta, eſt certa infelicitas. diſputat.10.cap.1. num.1.
Finiti ad infinitum nulla eſt proportio.d.18.c.3.n.1.
Fons & radix virtutis eſt inſtitutio proba. d.15. cap.5. num.7.

Fortuna

Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet frangitur. diſp.3 c.1. num.10.

Fortuna multis dat nimis, nulli ſatis. diſputat.7. cap.1. num 8.

Fortiſſimum neceſſitas, ſapientiſſimum tempus, maximum cor hominis. d.10.c.2.n.3.

G.

GAudia inter, & gaudia, diſcernendum. diſput.16.c. 3.num.1.

Gratitudo generoſus animæ ſanguis, & nobiliſſima indolis indicium d.15.c 7.n.4.

Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel. d.15.c.7.n.4.

H.

HAbent & mores colores ſuos, habent & odores. d. 4.c.2.n.5.

Haud facilè quiſquam gratuitò bonus eſt. diſp.11.c.1. num.6.

Homines permulti, viri perpauci. diſputat. 16.cap.1.numer.2.

Homo herba ſolſtitialis d.4.c.1.n.5.

Homo eſt mancipium mortis hoſpes loci, viator tranſiens acervus nivis diſp. vlt.c. vnic.n.1.

Homo arbor inuerſa. d.5.c.3 n.7.

Homo homini lupus. d.3.c.1.n.2.

Homo eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus inconſtantiæ imago Trutina calamitatis. d.17.c.2.n.5.

Honor alit artes. d.9.n.2.

Humana vita eſt curſus velociſsimus ad mortem. d.17. c.2.n.4.

I.

ILle quærendæ diuitiæ, quæ ſimul cum naufrago enatant. d.10.c.1.n.7.

Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi. diſputatio.9 cap.1.n 8.

Impunitas maxima peccandi illecebra. diſputat. 11.c.1. num 7.

Infœlix fœlicitas in ore vulgi ſita. diſputat.9. cap.1.numer.6.

In improbum non cadit ſapientia. diſputat.16.cap.2. num.3.

In medio conſiſtit virtus d 12.

Inopi deſunt multa, auaro omnia diſputat.7. cap.1.numer 4.

Inſipiens eſt, qui ſuiipſius non nouit quantitatem. d.18. c.4.n.14.

In virtutis oculis viuendum. d.11.c.1.n.1.

L.

LÆta initia triſtes ſæpenumero pariunt exitus. d.3. c.1.n.4.

Leges, nerui Reipublicæ. d.15.c.3.n.1.

Lentè molunt Deorum molæ, ſed molunt minutim. d.14. c.4.n.3.

Lex eſt ſpirans Dei imago. diſputatio.15. cap. 3. numer.6.

Longum iter per præcepta, breue per exempla. d.9.cap.2. num.1,

M.

Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.d.11.c.1.n 4.

Magna corporis cura, magna virtutis incuria. d.8.c.2. num.5.

Magna ars eſt animorum tractatio. diſputat.4. cap.3. num.8.

Mala pertinaciùs hærent d.4.c.2.n.6.

Malorum initia extinguenda.d.4.c.3 n.2.

Malus etiamſi regnet, ſeruus eſt. diſputat.5.cap.2.numer.2.

Malè parta malè dilabuntur.d.16.c.1.n.8.

Mane ſerenum veſper ſæpe excipit procelloſus. d.7.c.3. num.6.

Marcet ſine aduerſario virtus d.2.c.2.n.7.

Maximum imperium eſt imperare ſibi. diſputat.5.c.2. num.9.

Mel abſinthio miſcendum.d.4.c.3.n.9.

Mens regnum bona poſsidet. d.5 c.2.n.5.

Mens vitiis infecta, virtutis tincturam vix recipit. d.4. c.2.n.8.

Mens & conſilium, & ratio in ſenibus eſt. diſp.4.cap.4. num.9.

Mora morbus periculoſiſsimus. diſputat.17. cap.4.numer.8.

Mortale eſt omne mortalium bonum. diſputat.7.cap.3. num.8.

Mortis memoria, mentis myrrha.d 17.c.1.n.2.

Mortem nulla diligentia euitat, nulla fœlicitas domat, nulla potentia vincit.d.17.c.2 n.12.

Mortis articulus, lapis lydius voluptatis. diſput.8.cap.4. num.1.

Multos reges ſi ratio te rexerit d.5.c.1.n.1.

Multa dulcia gloria obtentu vita mentitur. d.9.cap.1. num 9.

Mundus theatrum miſeriarum, malorum congeries. d.9. c.2.n.2.

Mutat lectos æger, febris manet. d.16.c.3.n.7.

N.

Natura vox omnibus vna d. 11.c.3 n.4.

Naturâ tenaciſsimi ſumus eorum quæ rudibus annis percepimus. d. 15.c. 4 n.6.

Natura abhorret vacuum. d.6.c.1.n.3.

Nemo quàm bene viuat, ſed quamdiu curat cùm omnibus poſsit contingere, vt bene viuant, vt diu, nulli. d. 17.c.3 n.1.

——— Neque vlli,

Aut magno, aut paruo, lethi fuga. *diſputat.17.c.2. num.3.*

Nequid nimis d.4.c 2.n.6.

Nil turpius, quàm ſenex viuere incipiens. d.17.cap.4. num.7.

Nihil nouit animus ſui neſcius d.18.c.1.n.5.

Nil in terra ſpirat, nil repit homine miſerius. d.18.c.2. num 8.

Nil infœlicius eo, cui nihil vnquam accidit aduerſi. d.2. c.2.n.7.

Nihil cauendum magis, quàm diſsidium pectoris & linguæ. d.2.c.2.n.4.

Nihil

PROMETHEVS CHRISTIANVS SEV LIBER MORALIVM.

DISPVTATIO PRIMA.

Præmittuntur quædam circa notionem Philoſophiæ Moralis.

RECtus de quacunque arte & ſcientia diſputandi modus poſtulat, vt quædam ad illius naturam ac proprietates inueſtigandas ſpectantia præmittantur, idque viros quoſque doctiſſimos, in Philoſophis præſertim diſciplinis tradendis, paſſim obſeruare animaduerto. Vt ergo mori huic à Philoſophicis inducto morem geram, pauca de illius, quam hîc tractandam ſuſcepi, artis præſtantiâ, eiuſque fine, ac procedendi ratione, in ipſo Tractatûs initio exponam, vt horum diſquiſitione ars ipſa meliùs innoteſcat.

CAPVT PRIMVM.

Moralis Philoſophiæ natura, & dignitas declaratur.

I. *Quid ſit Philoſophia.*

PHILOSOPHIA generatim ſumpta, vt eam ſapientiſſimi quique antiquorum definiunt, *eſt humanarum diuinarumque rerum cognitio*: quæ ijs, res præſtans

Digitized by Google

adeò planeque diuina, & humano generi vtilis ſemper ac neceſſaria eſt viſa; vt tum demum ſpirare homines cenſerentur, cùm auram primò Philoſophicam ducerent. Nullum proinde excellentius donum mortalibus datum exiſtimabant, nihil ad excolendam mentem, cæleſtibuſque imbuendam diſciplinis accomodatius. Eam itaque, non vt in terrâ natam, ſed vt de cœlo lapſam amplectebantur, quoque ſapientiâ quis magis præſtabat, eo illam & in ſe perficere magis, & aliorum mentibus tanquam diuinum quiddam insererere contendebat.

II. *Triplex Philoſophiæ partitio. Philoſophia Rationalis.* Eſt verò Philoſophia celebri illâ partitione triplex, *Rationalis*, *Naturalis*, & *Moralis*. *Rationalis* diſſerendi ſubtilitatem, modumque acutè & ingenioſè concludendi, nodoſque artificioſos nectendi viam præſcribit, & intellectum omni apparatu Dialectico inſtruit, fallacium item & captioſarum argumentationum ſeu ſophiſmatum fucum ac fraudem aperit; &, vt verbo dicam, docet vera dicendi, fallendi artem dedocet.

III. *Philoſophia Naturalis.* *Naturalis* in Naturæ in contemplatione defixa, Mundi inter ſe partium ſymmetriam & ordinem, Elementorum diſpoſitionem ac ſitum, Corporum cæleſtium cum ſublunaribus conſenſionem, rerum denique omnium ad conſtitutionem & fabricam Vniuerſi, conſpirationem ac veluti contentum perpendit.

IV. *Philoſophia Moralis.* *Moralis* denique in animo componendo, vitâque iuxta rationis præſcriptum inſtituendâ verſatur. Priores ergo duæ ad virtutem intellectricem, tertia ad voluntatem pertinet: illæ rectè intelligendi, hæc bene viuendi præcepta tradit: mentem illæ hæc mores dirigit: illæ doctos hæc probos facit. Meritò proinde ſibi hæc primas vendicat, aliaſque duas Philoſophiæ partes, vt vtilitate, ita dignitate & præſtantiâ multis gradibus antecellit.

V. *Moralis.* Eſt ergo *Moralis* Philoſopia magiſtra morum, ac vitæ cultrix, vtpote quam ad omnem honeſtatem, virtutiſque

tiſque exercitationem informat. Eſt regula, ad quam explorare ſua omnia quiſque debet vt rectè procedant. Eſt animæ oculus, cui nimirum quid homine dignum ſit, quid amplectendum, quid fugiendum, indicat. Eſt medicina mentis, quam ſcilicet ægram ſubinde, morbiſque variis affectam & afflictam reficit ac recreat, & inordinatis affectibus ac perturbationibus ſedatis, æſtuque animi depulſo, aureæ demum mediocritati reſtituit. Eſt Theſei filum, cuius ductu via ad innumera vitiorum monſtra intra abditos animi receſſus, ac veluti labyrinthos latitantia, extinguenda recluditur. Eſt Amphionis lyra quæ non ſaxa & lapides in ciuitatis aut muri ſtructuram, ſed homines dulci harmoniâ delinitos in eandem vitæ ſocietatem perducit: quæ, inquam, corda ſaxis duriora, menteſque efferatas maximè ac barbaras arbitratu ſuo fingit; & à brutorum moribus tranſlatas, in humanam ſenſim formam ac ſpeciem, mirâ metamorphoſi transmutat. Eſt viæ dux, quæ virtutis ſemitam tot difficultatibus interclusam, tot interceptam anfractibus, tot ſpinis ac vepribus coopertam aperit, perque eam incedentes, ad optatum finem ſine errandi periculo deducit. Eſt denique portus, quo variis animi motibus iactati, ſe tanquam ad aſylum recipiunt, ibique velut in tranquillâ ſtatione conquieſcunt, ac laborioſâ nauigatione perfuncti, honeſtiſſimo otio perfruuntur.

Philoſophia eſt vitæ cultrix.

Medicina mentis.

Amphionis Lyra.

Portus tranquilliſſimus.

CAPVT SECVNDVM.

Philoſophiæ Moralis dignitas vlteriùs oſtenditur.

1\. *Philoſophia Moralis Phœnici ſimilis.*

PHiloſophia itaque Moralis hominem omnibus animi ornamentis ditat, mentemque in qua ſedem fixit, ſibique nidum, vt ita dicam, effecit, cunctis fragrantiſſimarum virtutum odoribus, omnique deliciarum genere perfundit: Phænici, celeberrimæ illi Arabiæ aui non abſimilis. quæ, vt ait ille.

Meta-morph. 15. *——— Thuris lachrymis, & ſucco viuit amomi,*
Et ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaque cùm fuluâ ſubſtrauit cinnama myrrhâ,
Se ſuperimponit, finitque in odoribus æuum.

II. *Menti robur addit.* Cunctis etiam vitæ præſidiis ſui, cultorem in omnem fortunam inſtruit ac munit, vt nec ſecundis elatus rebus euaneſcat, nec aduerſis fractus ſuccumbat, ſed occurrentibus, vt fit, vitæ incommodis & calamitatibus preſſus non oppreſſus, erectâ ſemper ceruice, inuictoque animo in mediis ærumnis perſiſtat, ipſamque etiam vitam & ſanguinem, ſi res ita poſtulet, pro virtute, pro æquitate, pro patriâ profundat, & mori queat, vinci nequeat.

III. Ita ergo hominem diuinis ſuis præceptionibus firmat Philoſophia, eas ei vires, id robur indit, vt non vitia tantùm, omnemque turpitudinem declinet, ſed ad ſublimia etiam virtutum opera, reſque maximè heroicas aſſurgat: vt, inquam, ardua quæque magno excelſoque animo ſuſcipiat, ſuſceptaque fortitudine ſummâ & conſtantiâ exequatur. *Socratis de Philoſophia morali iudiciũ.* Hac nobiliſſimæ huius ſcientiæ præſtantiâ captus Socrates, aliis omnibus relictis, ad vnius Ethices ſtudium ſe totum contulit, in eâque addiſcendâ, operam ſuam omnem ſummâ animi contentione, incredibilique aſſiduitate poſuit. Quo facto quid aliud teſtatus eſt vir ille ſapientiſſimus, quàm eam, diſciplinam eſſe diſciplinarum, gemmam artium, & inter facultates omnes ac ſcientias, quæ naturæ acquiri viribus poſſunt, primam.

Ethices encomia. Hæc totius Antiquitatis vox eſt, vbi doctiſſimi quique in hac arte exornandâ toti ſunt, eiuſque dignitate & excellentiâ prædicandâ. Illam *vitam animæ, legem vitæ, latricem legum, ciuitatum conditricem & parentem, Rerum denique publicarum robur, ac firmamentum appellant,* quâ ereptâ, hominum ſocietatem communemque viuendi rationem eâdem operâ ereptum nobis iri exiſtimabant. *O vitæ Philoſophia Dux* (inquit Romanus Orator,

Orator, *virtutum indagatrix, expultrix vitiorum, quid, non modò nos; ſed omnino hominum vita ſine te eſſe potuiſſet?* Hinc Philoſophos veluti quædam clariſſima temporum ſuorum ſidera, orbem fulgentiſſimis ſapientiæ radiis illuſtrantia omnes intuebantur, cunctoſque tanta illorum ceperat veneratio, vt eorum dicta, non tanquam hominum effata, ſed vt data de cœlo reſponſa, certiſsimaque oracula amplectetentur.

V. *Honor Philoſophis habitus.*

Nihil verò ad nobiliſsimæ huius ſcientiæ commendationem illuſtrius, quàm ſummus vbique gentium honos iis habitus, qui in ea præ cæteris excellebant. Demetrio Phaleræo præſtantiſsimo illorum temporum Philoſopho, quòd Athenienſem vrbem ſummâ integritate & prudentiâ annis aliquot adminiſtraſſet, omneſque ſaluberrimis monitis ac præceptis ad virtutem inſtituiſſet, tot ex ære ſtatuas erexerunt Athenienſes, quot ſunt in anno dies: vt nimirum ſignificarent, illum ciuitatis ſolem eſſe, annumque multo fertiliorem feliciorémque conficere, atque vberiores excellentioreſque fructus interiùs in eorum animis producere, quàm Sol corporibus producat exteriùs.

Demetrius Phaleoreus.

IV. *Pompeius faſces ſubmiſit Poſsidonio.*

Illud etiam in hoc genere eximium, quod Magnus ille Pompeius Conſul, cùm Poſsidonij (erat is ſingularis ſapientiæ vir, ac Philoſophiæ laude ſuo tempore celeberrimus) domum eſſet ingreſſurus, lictoribus, ne de more fores virgâ percuterent, interdixit, faſceſque honoris causâ ſubmiſit: ſicque cui ſe orbis, ob ſummum illud in vrbem & orbem imperium ſubmiſerat, ipſe ſe, & in ſe orbem ſubmiſit Philoſopho.

VII. *Duo in maxima felicitate ponebat Sylla.*

Tandem (vt exemplis, quæ innumera afferri poſſunt, modum faciam) Sylla victoriis, ac belli gloriâ, rebuſque geſtis, ſiquis alius, Româ triumphante, clarus, dicere ſolebat, duo ſe in maximâ felicitate ponere, primum, quòd neceſsitudinem cum Metello Pio, Philoſophiæ ſtudio morumque integritate, illâ tempeſtate, nobili, quique hoc nomine in omnium ore & oculis

verſabatur, contraxiſſet: ſecundum, quòd Athenas (vrbem tot Philoſophorum ſedem, altricem, parentem) bello captas non euertiſſet, nec militum furori permiſiſſet. Quo facto teſtatum omnibus reliquit, Athenas non vi & armis, ſed Philoſophiæ commendatione ſtetiſſe, nec tam ſuis munimentis quàm Philoſophorum monumentis tutas fuiſſe: denique mortuos Philoſophos plus ad eius vrbis ſecuritatem incolumitatemque contuliſſe, quàm viuos milites, quantumuis numero ac robore præſtantes. Quo quid ad præſtantiſſimæ, qua de agimus, diſciplinæ laudem auguſtius dici aut cogitari poteſt?

Athenæ Philoſophis mortuis quàm viuis militibus tutiores.

CAPVT TERTIVM.

De Philoſophiæ Moralis origine.

I. *Omnibus innaſcuntur quædã Ethices principia.*

VT aliarum omnium artium & ſcientiarum, ita & *Ethices* quædam, etiam natis nobis innaſcuntur principia, omnium nimirum animis, non alterius quàm ipſius naturæ manu & calamo inſcripta, vel vt diuinitatis. infinitæque illius ſapientiæ ſcintillæ quædam ab ipſo naturæ auctore cunctorum mentibus infuſæ. *Virtutem*, verbi cauſâ, *amplectendam eſſe*, veritas tam aperta eſt tamque perſpicua, vt ipſo ſtatim naturæ lumine innoteſcat, nec quiſquam mentis compos poteſt eam omnino non percipere, ſed quantumuis occludere mentis oculos, animumque in contrarium obfirmare conatur, vltro tamen ei hæ ſe hæc veritas ingerit, & vel nolenti illuceſcit. *Placet ſuapte naturâ*, inquit Romanus Philoſophus, *adeoq; gratioſa virtus eſt, vt inſitum ſit etiam malis probare meliora. Vitium etiam fugiendum eſſe*, vel ipſo rationis ductu conſtat, cui proinde Principio refragari quiſquis contenderit, id reclamante naturâ fecerit, nec vllâ arte aut induſtriâ efficiet, vt iſtud ei oraculum identidem non recurrat. neque huius lumen veritatis, vt velit, vnquam extinguet.

lib. 4. de beneficijs c. 17.

Nos

Nos verò in præſenti, non hanc inſitam à naturâ, omnibuſque congenitam *Philoſophiam*, quam *naturalem* vocant, inquirimus; ſed artem illam ac diſciplinam, ex variis conſtantem regulis & præceptis; ad virtutis adeptionem, vitamq; iuxta rectæ rationis præſcriptum exigendam à ſapientibus viris traditam, quæ non naturâ duce, ſed labore & induſtriâ diuturnoque vſu & exercitatione acquiritur. Quo ſenſu, ſicut *Nemo naſcitur artifex*, ita nec Philoſophus.

II. *Sicut Nemo naſcitur artifex, ita neq Philoſophus.*

Ad moralis ergo Philoſophiæ originem, nobiliſſimæque huius ſcientiæ primordia quod attinet, Ægyptios aliosque ijs antiquiores vt omittam, quorum traditæ hac de re præceptiones iniuriâ temporum interciderunt, eam in lucem edidit Græcia, politioris omnis literaturæ, bonarumque artium fœcunda parens, vbi illi ſeptem, *Sapientum* nomine inſigniti, (quos ſingulæ fere primariæ Græciæ ciuitates ſingulos protulere) prima eius fundamenta poſuerunt, ac veluti ſeptemplici chordâ ſuauem hanc, mundoque ſalutarem muſicam inuenerunt. Hos ſequuti, quos diſciplinarum propè omnium inuentrices Athenæ magno numero aluerunt, eandem variis erectis gymnaſijs (vbi auditores ſuos hanc inprimis artem docebant) mirè illuſtrarunt, ſcriptiſque præterea commentariis, plurima longè vtiliſſima præcepta poſteris reliquerunt.

III. *Ex Græcia originem ducit Philoſophia: Septem Sapientes:* Thales, Solon, Periander, Cleabulus, Chilon, Bias, Pittacus.

Hîc itaque ſummus vigebat philoſophandi ardor, & in plures partiti ſectas. Platonem Academici, Peripatetici Ariſtotelem, Zenonem Stoici, Cynici Antiſthenem, alii alios ſequebantur, omnes ſequebantur virtutem: ſequebantur, inquam, omnes, non aſſequebantur; in pleriſque enim cum maximo Philoſophandi ſtudio, maxima cernebatur agendi licentia, & vita dictis decolor, dumque omnia virtutem adipiſcendi, præcepta callerent, alioſq; ad integritatem morum, vitamq; homine dignam reducere niterentur, ipſi nihilo ſecius vitiis manebant implicati: Æthiopum inſtar, qui, cùm

IV. *Philoſophorum vita eorum dictis decolor.*

primi videant ſolem orientem, colorem tamen retinent noctis Fortiter loquebantur, molliter viuebant, quodque verbis dicebant, moribus contradicebant; ſicque dum à præfixâ ſibi honeſtate deflecterent, & à Virtutis ſemitâ, quam aliis præſcripſerant, deuiarent ipſi, in Auditorum animis quod alterâ ædificabant manu, alterâ diruebant.

Erant inſtar Æthiopum.

Ad momentum ergo ac robur iis addendum, quæ operis huius decurſu ex primis hiſce Philoſophiæ ſectatoribus proferentur, alios, eoſque haud paulò priſcis excellentiores Philoſophos producam, ſanctiſſimos ſcilicet Eccleſiæ Patres, Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſtomum, ac reliquos, quorum dictis, dicta Antiquorum firmabo; quæ tum demum digna cenſebuntur quæ ab omnibus admittantur, cùm talium iis virorum auctoritas acceſſerit. Lacedæmonios hac in parte imitatus, apud quos cùm quiſpiam, præſtanti quidem ingenio, vitæ tamen non vſque adeò probatæ, præclarum aliquod ac ſalutare Reipublicæ dictum protuliſſet, alium ſpectatis moribus virum idipſum denuo proloqui iubebant, ſicque illud amplectebantur. Hos inquam Philoſophos adducam, qui nimirum, non dictis magis quàm factis voce quà vita rectè viuendi præcepta tradebant: faciendoque potiùs quàm loquendo omnes ad virtutis exercitationem hortabantur.

Peculiaris Lacedæmoniorum conſuetudo.

DISPVTATIO SECVNDA.

Quis Moralis Philoſophiæ ſit ſcopus.

NOnnulla hac de re dicta obiter ſunt ſuprà, nunc pleniùs eſt diſcutienda, quemq; noſtra hæc ſcientia ſibi ſcopum præfigat, inquirendum. Priùs tamen de aliis artibus, ad quid ſcilicet ſingulæ ordinentur, quædam præmittemus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

Singularum Artium liberalium fines curſim declarantur.

ARtes liberales vt plurimum numerantur ſeptem: quarum vnaquæque ſuum ſibi peculiare munus ſortitur, omnes ordinantur ad hominem, eiuſque vtilitati alicui deſeruiunt. Sunt verò, *Grammatica. Dialectica*, R*hetorica, Muſica, Arithmetica*, Geometria, *Aſtrologia.* Ad quas memoriâ meliùs retinendas, hos verſus, in quibus prima cuiuſque artis Syllaba continetur, compoſuerunt curioſi harum rerum inquiſitores: I. *Septem Artes liborales,*

Gram: *loquitur*, Dia: *vera docet*, Rhe: *Verba colorat*,
Mu: *canit*, Ar: *numerat*, Geo: *ponderat*, Aſt: *colit aſtra.*

Grammatica ergo ſermonis proprietatem, correctumque loquendi modum ſpectat, & vt mentem ſuam homo, internoſque animi ſenſus aliis congruè conuenienterque exponat. Eſt itaque prima linguæ moderatrix, quam perficit Rhetorica, quæ non loqui tantùm, ſed ornatè appoſiteque ad perſuadendum loqui edocet, ac mentem variis Eloquentiæ præceptis imbuit, omniique ſermonis apparatu orationem illuſtrat: quæ inquam mirâ dicendi ſuauitate & copiâ, diuinâque facundiæ vi, captos auditorum animos, in omnem partem ſuo arbitratu flectit, ac veluti catenis quibuſdam conſtrictos tenet. II. *Grammaticæ munus.* *Munus Rhetoricæ.*

Dialectica ſermonem internum dirigit, hominemque ſecum loquentem, ſubtiliterque de variis diſcurrentem iuuat, viamque, veritatem in re quauis inueſtigandi, ac methodum præſcribit. Hinc *veritatis indagatricem, & ſcientiarum clauem*, eam appellarunt antiqui, cuius nimi- III. *Dialectica ſermonem internum dirigit.*

Digitized by Google

nimirum operâ ſcientiæ reliquæ in rerum difficillimarum diſquiſitione vtuntur, eiuſque ductu abſtruſiſſima quæque, maximeque recondita euoluunt. *Dialectica,* inquit S Auguſtinus l.2.de Ordine, c. 13. *docet docere, docet diſcere: ſcit ſcire, ſola ſcientes facere, non ſolùm vult.ſed etiam poteſt.*

IV. *Muſica obiectum ſonus artificioſus.*

Muſica, Artium Syren, concentum artificioſum ſpectat, & numeros ſonoros. Ex vocum neruorumque inter ſe contemperatorum diſpari varietate oritur; dum toni acuti grauibus permiſti, concorde quâdam diſcordiâ ſibi conſonant, & ſuauem faciunt harmoniam: Homini, non ad delicias tantùm datur, aureſque permulcendas, ſed ad moleſtiarum, quæ frequentès accidunt, leuamen aliquod, atque ad labores ſuſcipiendos incitamentum. Mentes quippe languidas, inertiâque torpentes, ac veluti ſopitas excitat, & ad quiduis audendum viuaciores vegetioreſque efficit.

V. *Getæ cur legationes cum citharis obibant.*

Feroces etiam animorum impetus cohibet ac frænat, ſeque blandè in audientes inſinuans, ad lenitatem eos & manſuetudinem diſponit. Hinc Getæ legationes, de pace præſertim & concordia, cum citharis obibant, vt eos ad quos mittebantur, illo neruorum concentu delinitos, pronos ſibi ac faciles redderent, & in ſuam pellicerent ſententiam. Imò bruta ipſa animantia oblectari muſicâ compertum eſt, eâque auditâ manſueſcere interdum, omnemque feritatem deponere.

VI. *Feræ Muſicâ manſueſcunt.*

Hinc Poëtarum commentis occaſio data: qui non feras tantùm, ſed arbores etiam & ſaxa, ac res quaſque inanimatas Orphei voce & citharâ captas, & viuentis plectrum ſequutas fingunt, & perempti funus lachrymis eſſe proſequutas. Vnde & luſciniæ in demortui ſepulchro ſæpe conſediſſe ferebantur, ſuauiſſimaque vocis inflexione, eius veluti exequias celebraſſe, defunctique cineribus penſum quoddam ac tributum perſoluiſſe. Quò fortaſſis alludebat Poëta, dum de eo iam extincto, ſic caneret.

Te mœſtæ volucres, Orpheu, te turba ferarum, *Metam. 11*
Te rigidi ſilices, toties tua fila ſequuta
Fleuerunt ſylua: poſitis te frondibus arbos
Tonſa comas, luxit: lachrymisquoque flumina dicunt
Increuiſſe ſuis.

VII. *Arithmetica ſpectat numeros.*

Arithmetica à numerando dicta: hæc pares numeros ungens imparibus, & æquales inæqualibus confetens, eorundem proportiones & conuenientias perpendit, atque addendo, detrahendo, multiplicando, diuidendo, ad ſuos omnia calculos reuocat, ſuiſque ſubiicit rationibus, non modicum aliis artibus adiumentum, quarum pleriſque non vtilis tantùm eſt, ſed etiam neceſſaria.

VIII. *Geometria in pondere procedit, numero & menſura.*

Geometria, pars Matheſeos præcipua, reliquas inter artes quandam præſefert ſpeciem grauitatis, vtpote quæ in pondere præcedit, numero, & menſurâ. Tota in propoιtionibus, rerumque dimenſionibus verſatur. Omne formarum & figurarum genus contemplatur, ſphærica, plana, triangula, quadrangula, & mutat quadrata rotundis. *Quadraturam* tamen *Circuli*, in cuius inueſtigatione tantum laboris & induſtriæ poſuit, tot annos, imò tot ſæcula impendit, vereor vt inuenerit.

IX. *Aſtronomia moratur inter ſidera.*

Aſtrologia, ſeu, *Aſtronomia*, (de vtraque enim hîc loquimur promiſcuè) altiùs volat, terrâque *Geometria* relictâ, inter ſidera moratur, ſphærarumque cæleſtium harmoniam, magnitudinem, ſitum ſtellarum numerum, pulchritudinem, influxum conſiderat: imò aquilinis oculis in ipſo etiam ſole obtutum figit. Concordem præterea aſtrorum diſcordiam, varios planetarum aſpectus, occurſus eorundem, & recurſus perpendit. Totam denique illam Machinam, cuius comparatione tellus punctum tantùm eſt exiguum, euoluit.

X.

Aſtrologi ergo varios cœlorum motus, errores planetarum, ſolis ac lunæ labores, diei item & noctis, æſtatis & hyemis, lucis ac tenebrarum viciſſitudinem certò cognoſcunt: in aëris mutationibus, ventis, pluuiâ, ſerenitate

Aſtrologi dum nimium ſapere volunt deſipiunt.

renitate, tempeſtatibus, & iſtiusmodi aliis prædicendis, falluntur ſæpe & fallunt. Dum verò libetas hominum actiones ex ſtellis dignoſcere, & nimium ſapere volunt, deſipiunt. In ea enim, quæ voluntatis arbitrio ſubſunt, audaci ſe temeritate ingerete, deque illis ex aſtris diuinare, delirare eſt, cerebrique parum ſani iudicium.

CAPVT SECVNDVM.

Ethicæ cum liberalibus artibus comparatio.

I. *Ethica artes liberales longè ſuperat.*

HÆc artium liberalium ſunt munera: quæ velut lucidiſſimæ ſtellæ hominem radiis ſuis illuſtrant, eiuſque & vtilitati deſeruiunt, & ornamento. Iis verò hac in parte non cedit Moralis Philoſophia, quam proinde vnam cum ſeptem illis hîc conferam, & quo pacto in homine tum iuuando, tum ornando eas omnes vel ſuperet, oſtendam.

II. *Quo pacto Ethica ſit moderatrix linguæ.*

Linguæ ergo, vt dixi, moderatrix eſt *Grammatica*: eiuſdem, idque modo longè præſtantiori moderatrix eſt Ethica. Illa ad artis ſuæ, hæc ad prudentiæ regulas dictionem omnem reuocat, & vt ordinata ſit, loci, temporis, perſonarum circumſtantias perpendendas docet. Ne autem vox vlla erumpat quæ proferentem minùs deceat, aliiſque eſſe poſſit offendiculo, id inprimis cauendum præcipit, ne ſcilicet lingua præcurrat mentem, ſed *vt verbum omne priùs ad linam* (id eſt, matùræ deliberationis trutinam) *bis veniat, quàm ſemel ad linguam.* Quodque Auguſto ad præcipites iræ impetus compeſcendos, grauiſſimaque quæ inde oriri ſolent incommoda vitanda, præceptum dedit Athenodorus, vt quoties irâ ſe corripi ſentiret, nihil antè vel diceret vel faceret, quàm viginti quatuor Alphabeti literas apud ſe tacitus recenſuiſſet, hoc ad omne linguæ vitium declinandum præſcribit *Philoſophia.*

Athenodori regula Auguſto data.

Rheto-

Rhetorica verborum floſculis, omnique ſermonis apparatu elegantiâque orationem veſtit: *Philoſophia* rationum momenta, quæ orationis nerui ſunt, ac ſapientum dicta quaſi gemmas quaſdam ad illius ornatum, rerum denique ad perſuadendum aptarum ſuppellectilem ſubminiſtrat: ſine his enim omnis, quantacunque dicendi copia, loquacitas eſt, non eloquentia, quippe quæ aliud nihil eſt, quàm *copioſè loquens ſapientia*. Has ergo ita coniungendas ſemper exiſtimarunt ſapientes viri, vt ſapientiam ſine Eloquentia dicendique facultate parum apud alios poſſe iudicarint. Eloquentiam ſine ſapientiâ nihil, eſſeque inſtar pugionis plumbei in theca auro gemmiſque diſtincta, imò nocumenti plus quàm commodi, ſui poſſeſſoribus afferre. *Me quidem*, inquit Romanus Orator, *diu cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimùm ſententiam ducit, vt exiſtimem ſapientiam ſine Eloquentia parum prodeſſe, Eloquentiam verò ſine ſapientia plurimum nocuiſſe, prodeſſe nunquam.* Nec loqui tantùm docet *Philoſophia*, ſed tacere, quod, vbi res ita poſtulat, oratione quantumuis elegante & polita, longè eſt præſtantius. Imo, vt dici ſolet, *Tacere quiſquis neſcit, hic neſcit loqui.*

Ethica confertur cum Rhetorica.

In Prolog. Rhetor.

Magna ars eſt ſilere in tempore.

IV.

Dialectica verborum, Ethica morum ſophiſmata auerſatur.

Dialectica, vt dixi, *eſt vera dicendi docendique ſcientia.* Fucatas argumentationes & ſophiſmata, verborum captiunculis ſubdolè contexta auerſatur, & à ſe, tanquam non ſuam, ſed adulterinam ac ſuppoſititiam prolem reiicit, atque ementito Dialectici artificii nomine denudata, veluti larua detracta, riſui omnibus & ludibrio exponit. Hoc ſingulari etiam ratione præſtat Ethica, fictoſque ac fucatos agendi modos, vbi aliud in mente eſt, aliud in ore, aliud foris obtenditur, vt huiuſmodi morum, vt ita dicam ſophiſmata, communi hominum ſocietati & conuictui perniciosa, maximè deteſtatur, & nihil cauendum magis docet quam *diſſidium pectoris & linguæ*

V.

Odit virus melle tectum; rancorem, inquam, animi, malique

malique alicuius machinationem, officioſis verbis, & mille ſimulationum inuolucris, ac beneuolentiæ ſignis occultatum, vt incogitantem circumueniat, & ex tot fictæ amicitiæ indiciis, ſui iam ſecurum improuiſò opprimat.

Muſica lyram aut citharam, *Philoſophia* animum temperat, itaque facultates eius omnes & paſſiones moderatur, vt ſuauiſſimâ inter ſe harmoniâ conueniant, miraque conſenſione ad virtutis adeptionem conſpirent. *Muſica* motus animi vehementes ſopit potiùs quàm ſanat, qui proinde poſtea maiore vi & impetu reuiuiſcunt. *Philoſophia* quicquid in mente turbidum eſt & inordinatum, ita ſedat, vt ipſam perturbationum radicem tollat aut minuat, atque animorum morbis certiſſimam opem ferat.

Muſica lyram, Ethica mentem temperat.

VI. *Philoſophia omni armorum genere hominem inſtruit. Seneca.*

Muſica curas lenit, vitæque calamitates & moleſtias ſuauitate quâdam mitigat, ac veluti melle obducit, nè ſentiantur. *Phiỹoſophia* nihil de malorum acerbitate minuit, ſed mentem præceptis roborat, hominemque omni armorum genere inſtruit, quibus cataphractus, per medias etiam ærumnas imperterritus graditur, nec vitæ huius incommoda declinat, ſed potiùs, ſibique occaſionem exercendæ virtutis dari exoptat. Hinc voces illæ viris & Philoſophis dignæ: *Marcet ſine aduerſario virtus. Nihil infelicius eo cui nihil vnquam accidit aduerſi. Deus bonum virum in delicijs non habet: experitur, indurat, ſibi illum præparat.*

VII. *Ethica & Arithmeticæ comparatio.*

Arithmetica ad ſuos omnia numeros & calculos reuocat; *Ethica* ad ſuos: in eamque tota curam incumbit, vt vita omnis, & quæuis vitæ actio ſuis procedat numeris abſoluta. Hominē proinde vt in ſe oculos ſemper defixos habeat, ſe intus, ſe foris diſcutiat, hortatur; ſecū rationem & computum ineat, ſiquid deſit addat, ſubducat ſuperflua, ſeque in omnibus ſibi Arithmeticum præſtet. Vnam tantùm *Arithmeticæ* partem homini cauendam docet, *Detractionem.*

Geome-

Geometria terram, reſque alias oculis ſubiectas ponderat; ponderat *Philoſophia*, &, ſi cum virtute, ſapientia, cæteriſque animi bonis conferantur, nullius eſſe ponderis demonſtrat. Hinc plurimi ſolo naturæ lumine, ac *Philoſophiæ* vi, diuitias, aliaque vitæ commoda, magnâ animi conſtantiâ abiecerunt, ne ſcilicet in virtutis ſtadio currentibus forent impedimento, mentemque ad ſumma aſpirantem deprimerent. Sic Crates Hiogenis, diſcipulus, nobili apud ſuos loco natus, ſummæque opulentiæ, ducenta & amplius, quæ ex vendito patrimonio collegerat, talenta in ciues diſtribuit, quò ad philoſophandum eſſet expeditior, animoque à curis ſoluto, liberiùs ſeſe in virtutum palæſtrâ exercet. VIII. *Quomodò Philoſophus agat Geometram.* *Singulare Cratis exemplum.*

Nec minore laude extollitur Zeno, Cratis huius auditor: qui ob pretioſiſſimas quas ex Phæniciâ in Pyræum tranſuehebat merces naufragio amiſſas, cùm ſe ad Philoſophiæ ſtudium contuliſſet, tantum inde commodi, tantum voluptatis percepit, vt triſtem illum caſum, non ſiniſtrum ſibi ſed proſperum, infortuniumque fortunatiſſimum duceret. Se proinde hoc facto feliciter calamitoſum prædicabat, in hæc ſæpe verba prorumpere auditus: *tum bene nauigaui, quando naufragium feci.* Secundis nimirum ſe tunc vſum ventis exiſtimabat, vtpote qui illum ex rerum caducarum moleſtiis mundique ſcopulis, ad tranquillum Philoſophiæ portum tranſtuliſſent, curas ſubmerſiſſent. IX. *Zeno tunc bene nauigauit, quando naufragium fecit.*

Aſtrologia denique Cœlum ſtellis, Philoſophia animam virtutibus fulgentem conſiderat, cœlum illo, quod oculis cernimus, haud paulò præſtantius, ſtelliſque clarioribus ornatum. Horum ergo aſtrorum pulchritudinem, varietatem, numerum inquirit *Ethica*, eorumque naturam ac proprietates ſedulò perueſtigat. Hæc obiter in præſenti: de iis enim omnibus, poſtea redibit ſermo. X. *Aſtrologia ſtellas, Ethica virtutes conſiderat.*

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

Ethicæ ſcopus magis in particulari declaratur.

SVperiori Diſputatione moralem Philoſophiam cum Artibus liberalibus contuli: & quo pacto, eius finis illarum omnium in ſe fines, idque modo longè præſtantiore complectatur, oſtendi. nunc eiuſdem munus enucleatius explicandum, quidque homini beneficij præſtet, plenius aperiendum.

CAPVT PRIMVM.

Moralis Philoſophia, homines, homines facit.

I. *Iuſta Socratis de hominibus querela.*

SApientiſſimus Græcorum Socrates lapicidas intuens quanto labore & artificio ſaxa polirent, & in ſtatuas formando, hominum in ea ſenſim figuram inducerent, mirari ſe dicebat, homines tanta vti ſedulitate & induſtria, vt lapides hominibus ſimiles reddant, ipſos tamen interim rudes manere, & impolitos, ac lapidum ſimiliores quàm hominum.

II. *Homines beſtias hominibus ſimiles reddere conantur, ipſi beſtijs euadunt ſimillimi.*

Quod lapicidis vitio vertit Socrates, id hominum pleriſque vſuuenire iure queri poſſumus, qui nimirum omni ſæpe operâ nituntur, vt bruta quædam animantia inſitam à natura feritatem dedoceant, & vt depoſitâ ferociâ, hominem manſuetudine referant; ipſi nihilominus in mores brutorum tranſeunt, iiſque ſe reddunt quàm ſimillimos. Equos domant, frænumque pati cogunt, effrænes tamen ipſi & indomiti iugum omne excutiunt, & quo eos cunque animi impetus rapit, præcipites feruntur. Aues, vt articulatum ſonum, humanaſque forment voces, erudiunt: ipſi verò humanum nihil,

hil, ſed barbarum ſemper & belluinum ſonant, rixis omnia & contentionibus miſcent, ſeque fœdum ſanè in modum probris paſſim & contumeliis proſcindunt. Feras cicurant, ſyluescunt ipſi. Leones, vrſos, Elephantos homini blandos reddunt ac familiares, ipſi vrſo omni ac tigride crudeliores euadunt, quamq; brutis exuunt immanitatem induentes, rabie pluſquam belluinâ mutuò ſeſe vulnerant, cædunt, mactant, nihilque auidiùs quàm ſanguinem humanum ſitiunt, & *Homo homini ſit lupus.* *Homo hominilupus.*

III. Hæc, inquam, iure queri poſſumus, homines ſcilicet, ſe relictis, indigna planè Metamorphoſi in beſtias transferri, fœdiſque voluptatum illecebris, veluti præſtigiis quibuſdam, aut Circæo poculo de ſtatu mentis deturbatos, ſuique oblitos, in ſcelerum ac turpitudinum cœno volutari, & pudore omni abiecto, *luxuriari*, vt ait ille, *etiàm inoperto capite.* Eoque cum iis agitur infeliciùs, quo ſe autumant feliciores, & in mediis miſeriis beatos.

IV. His ergo malis vt medeatur Philoſophia, hominemque ſibi reſtituat, varia pharmacorum genera expedit, quibus, ægris mentibus opis aliquid, & ſubſidii ferat. Hinc pulchritudinem virtutis, illinc vitii fœditatem ob oculos ponit, vt illius honeſtate, huius turpitudine perſpectâ, vitio relicto, virtutem quiſque amplectatur, totumque ſe illius adeptioni ac ſtudio addicat. Vt enim virtute, ſi quis æquis eam oculis intueatur, nihil amænius aut amabilius, nihil ad hominum animos in ſui amorem pelliciendos accommodatius, ita vitium, ſuis ſi coloribus exprimatur, res adeò fœda eſt ac turpis, vt omnibus odium ſui moueat & horrorem. Docet præterea, voluptatem eſſe blandum malum, & fucata, quam præ ſe fert, dulcedine, veram amaritudinem, imò mortem occultare, & lætis initiis triſtes parere exitus: eſſe demum ſireni quàm ſimillimam, quæ dum blanditur, interficit. *Omne medicinæ genus parat Philoſophia.* *Voluptas ſireni ſimilis.*

V. *Non eodem cum omnibus modo agit Philoſophus.*

Varia inſuper hominum ingenia, diuerſamque eorum indolem perpendit, nec eodem omnes modulo metitur, ſed ſuæ quemque naturæ ac propenſioni congruenter moderatur ac regit. Imitatur nimirum hac in re artifices, qui pro materiæ, qua ad opera ſua conficienda vtuntur, diuerſitate, diuerſum in eam inducunt artificium. Quemadmodum ergo illi, ad ſua opificia exercenda, æris, ligni, ferri, ceræ, lapidis, aliarumque rerum, ita mentium, in quibus non minor relucet diuerſitas, varium temperamentum, ad ſuum etiam, vt ita dicam, artificium inducendum conſiderat, opifex haud paulò iis præſtantior Philoſophus.

VI. *Quomodo cum duro, & perfrictæ frontis homine agat.*

Si itaque in durum ac perfrictæ frontis hominem incidat, obfirmatoque in vitiis animo perſiſtentem, acrioribus eum vrget ſtimulis, vehementioreque oratione redarguit, vt ab inueterata ſcelerum conſuetudine abducat. Tetram mentis eius faciem ei ante oculos ſtatuit, illumque non hominem, ſed monſtrum eſſe hominis oſtendit, ac generis humani probrum, quippe cùm eum natura hominem genuiſſet, ipſe ſe tranſmutauerit in beſtiam. Addit, à communi hominum conuictu & conſortio ſeparandum, & quàm longiſſimè ablegandum eſſe, ne noxia eos conſuetudine inficiat, fœdaque morum corruptela, velut quadam contagione corripiat. Tandem vita ipſa indignum eſſe pronunciat, vtpote cuius pars melior, anima nimirum, ſit mortua, imò cadaueroſa, turpitudinum ſcilicet tabo diffluens, ac vitiorum ſcatens vermibus.

Viuentis in vitijs anima mortua.

VII. *Horatius.*

Hinc Diogenes, cùm quendam ad virtutem, morumque honeſtatem acriùs cohortaretur, iſque reſponderet, ſe vitam Philoſophicam, id eſt, à vitiis immunem degere non poſſe, quid ergo, inquit, viuis? Et alius: *Viuere ſi rectè neſcis, diſcede peritis.* Satius nempe ducebant, non omnino, quàm non congruè conuenienterque naturæ hominum, rationiſque præſcripto ac legibus viuere, meritoque expirare debere eum, cuius

anima

Digitized by Google

anima dudum animam agebat, imò, vt antè dixi, expirauerat.

VIII. *Quo pacto mollioris naturæ hominem tractet Philoſophus.*

Siquem mollioris eſſe temperamenti deprehendat, & ad quaſcunque impreſſiones capiendas facilem, blandè ſe in eius animum inſinuans, variis eum præceptis ac monitis firmat, ſuauiſſimique ex amara radice prouenturi aliquando fructûs ſpe atque exſpectatione erigit, efficitque ne timore difficultatis ab incepto reſiliat, ſed cùm omni alacritate ac ſtudio in ea, quam ingreſſus eſt, virtutis ſemita progrediatur.

IX. *Diogenes cur canis dictus.*

Sic idem ille Diogenes, ob morum aſperitatem *Cynicus* & *Canis* dictus, vtpote qui dentes in omnes exacueret, & obuios quoſque mordacibus exciperet verbis, vnicam nimirum hanc viam autumans ad eos à vitiis, ad quæ toto impetu ferebantur, coërcendos, & ad honeſtatem impellendos: hic, inquam, cùm adoleſcentulum à parentibus, vt ab ipſo inſtitueretur, adductum, vidiſſet erubeſcentem, & mollioris eſſe naturæ animaduertiſſet, non ſeuerè eum & aſperè, vt alios, alloquebatur, ſed blandè compellans, *Confide*, inquit, *Fili, hic enim eſt virtutis color.* Sicque omni lenitate cereum illum animum ad virtutem informabat.

Verecundiæ rubor, virtutis color.

X. *Qua ratione gerat ſe Philoſophus cum arrogante.*

Arrogantem aliquem, elatoque animo nactus, ſeque ob honores, potentiam, opes, aliaque Fortunæ bona extollentem; vana iſthæc eſſe omnia demonſtrat, & inanem felicitatem: nempe non à virtute & animi bonis quæ ſola felices faciunt, ſed aliunde, & ab extraneis ac vilibus rebus emendicatam. Inconſtans ergo inſtabile id omne eſſe oſtendit, quod tam lubrico ac fragili innititur fundamento, videlicet Fortunæ, quæ *vitrea eſt, & dum ſplendet, frangitur.* Solas ergo mentis opes hominem diuitem ac beatum facere docet, has enim ſolas ſecurè quis poſſidet, vtpote in animo, & extra omnem fortunæ aleam conſtitutas, *Quod enim non dedit Fortuna, non eripit.* Externa verò noſtra non ſunt, ſed mutuò ab aliis accepta: quod ſi ſuum res quæque repoſcat, eodem

Quod non dedit, Fortuna, non eripit.

cum aue illa loco erimus alienis, quibus ſe ornauerat, pennis ſpoliata: de qua Poëta.

——— *Moueat cornicula riſum Furtiuis nudata coloribus.*

XI. *Crœſi arrogantiam quo pacto retundat Solon.* Crœſus aliquando auro gemmiſq; ornatus, pretioſiſſimiſque indutus veſtibus, cùm in ſublimi ſe, ac ſplendido ſolio magnificè collocaſſet, à Solone, petiit an vnquam pulchrius ſpectaculum vidiſſet. Solon, vt hominis retunderet vanitatem & ſuperbiam, imò verò, inquit, gallos enim gallinaceos vidi, faſianos, & pauones proprio nitore fulgentes, cùm tu fulgeas alieno. Plura de hac re poſtea.

XII. Omni ergo hominum generi præſtò eſt *Philoſophia*, cunctis monita ſua & præcepta aptat & accommodat, ac prout è re cuiuſque fuerit, opem iis ſuam atque operam præbet. Nullus morbus tam periculoſus, ad quem depellendum idoneam in promptu medicinam non habeat. Nulla herba tam venenata, cui ſalutarem ex ſuo horto aliam non opponat, vimque eius hoc pacto ac virus non elidat. *Herbæ omni venenatæ ſalutarem opponit Philoſophia.* Si quis parum conſentaneè rationi vitam inſtituat, ſibique degener vitiis ac voluptatibus in brutorum mores tranſeat, renocat eum paulatim, ſibique reſtituit. Imò quantumuis ita obdureſcat, vt ſenſum etiam omnem boni amittat, & in lapidem abeat, nihilominus format eum denuo in hominem, ac lapicidam agens, priſtinam in eum rurſus figuram inducit *Faber*, vt ita dicam, *animorum Philoſophus.*

XIII. Varia, eaque clariſſima in hanc rem proferri poſſent exempla, quibus Philoſophiæ, in homibus omni vitiorum genere coopertis, ad ſanam mentem reducendis, diuina vis elucet. *Xenocrates Platonis auditor, & in Academia ſucceſſor.* Ne verò nimius ſim, vnicum producam, idque antiquorum omnium monumentis teſtatiſſimum. Xenocrates magni nominis Philoſophus, Platonis auditor, ſummo omnium applauſu Academicorum ſcholæ præerat. Degebat ea tempeſtate Athenis Polemon quidam, luxurioſus admodum iuuenis, & ob notam

tam libidinem, ac cœtera vitia ad quæ procliuis eſt adoleſcentia, tota vrbe decantās. Hic, cùm die quodam ſe vino ingurgitaſſet propè iam ebrius & coronatus in Xenocratis ſcholam Bacchantis more cum ſodalibus irruit, animo Philoſophum interturbandi. Xenocrates re tam inſueta & inopinata nihil commotus, inchoatum ſermonem (is erat de Temperantia) ſumma grauitate & conſtantia perfecit, imò hac occaſione longè acriùs in intemperantiā eſt inuectus, ac vitium illud iis coloribus depinxit, iuuenemque ſibi, appoſito veluti ſpeculo ita obiecit, vt Polemo, qui internam animi ſui faciem antea nunquam viderat, horribili illa ſui ſpecie perculſus, alius longè a ſchola illa, & Philoſophi, vt ita dicam, incude redierit, quàm acceſſerat, viuendique rationem & inſtitutum ita immutauit, vt virtutum omnium exemplar breui ſit effectus, ac Xenocrati in ſchola illa regenda ſucceſſerit, omneſq; pellexerit in admirationem ſui. Clariſſimum Victricis Philoſophiæ monumentum.

Polemon in Xenocratis ſcholam Bacchantis more irruit.

Victrici Philoſophia adem in ſe extruxit Polemon.

CAPVT SECVNDVM.

Proſequutione eiuſdem oſtenditur, quo pacto Philoſophia, hominem reformando, formet in hominem: vbi varij noſtri temporis hominum mores notantur

LVmen illud Africæ, imò orbis, Auguſtinus, inter alias hominum conſuetudines, hanc inprimis mirari ſe aiebat: ſi enim, inquit, lingua quis impingat, & inter loquendum ſyllaba& longam contrahat, aut breuem producat, maſculini generis loco vocem ſtatuat fœmininā, obliquo vtatur proiecto, & ſimilia, ac contra Grammaticorum regulas peccet, rident ſtatim omnes eumque ſibilis excipiunt: in moribus tamen ac vita impingunt ſæpe homines, & contra rectæ rationis regulas offendunt, & nullus ridet. I.

Obſeruatio S. Auguſtini circa mores hominum.

II. *Leuia carpunt homines, grauia diſſimulant.* Ita enimuero res ſe habet: leuiores hoſce linguæ lapſus reprehendunt paſſim homines, & accuratè corrigi volunt: animi vitia diſſimulant. Siquis incongruè loquatur, delicatæ hominum aures non patiuntur, quàm incongruè viuat, nil penſi habent. Si in ſermone Vox fortè barbara, aut ſolæciſmus excidat, monſtri inſtar habetur, remque clamant omnino non ferendam: Vitæ ſoleciſmi, morum ſunt elegantiæ.

III. Iuuenem, exempli cauſa, videbis ſincinnatum, calamiſtratum, cæſarie diſcriminatâ, confectoque ex variis odoramentorum generibus puluere conſperſâ, voce ac verbis molle neſcio quid & effæminatum præ ſe ferentem, greſſu affectato, ac penè ad numeros compoſito incedentem, quodque intolerabilis ineptiæ, imo *Summa in viris quibuſdam dementia.* dementiæ eſt, maculas quaſdam nigras ad venuſtatem augendam faciei ſubinde affigentem, & vt verbo dicam, fronte, oculis, vultu, toroque corporis geſtu fæminam mentientem, nec rident homines, ſibiuè diſplicere oſtendunt: & ſi puer quiſpiam in ſcholis per inaduertentiam dicat, HÆC VIR, ſoleciſmum inclamant omnes, & à ſodalibus exploditur: nihilominus HÆC VIR, hic, inquam, morum ſolæciſmus ciuitatem *Morum ſolæciſmus.* obambulat liberè, in foro ſe, in templo, in plateis publicè oſtentat, nec riſum cuiquam mouet: cùm tamen ludibrio omnibus eſſe, ſibilìſque excipi deberet, ac ſtolidæ vanitatis meritas pœnas dare. De hoc hominum genere optimè Seneca: *Noſti*, inquit, *complures iuuenes, barbâ & comâ nitidos, de capſulâ totos: nihil ab illis ſperaueris* *Sen. ep. 15.* *forte, nihil ſolidum.* Sed ad alia pergamus.

IV. *Lapſus linguæ ab omnibus ridetur.* Siquis, inquit S. Auguſtinus, ſyllabam longam incautus contrahat, res omnibus riſu videtur digna. Vnde cùm quidam Euphratem, penultimâ correptâ, pronunciaſſet, cùm eam debuiſſet producere, ſtatim arrepto quis calamo, lapſum illum linguæ hoc diſticho poſteritati ſolemniter commendauit, tanquam rem æterna memoria, & Grammaticorum faſtis digniſſimam:

Venit ad Euphratem, ſubitò conterritus hæſit,
Vt citò tranſiret, corripuit fluuium.

Iſtud verò in vita & moribus quoties contingit, nec à quoquam ridetur. Accedunt aliqui ad templum, & vbi altero flexo poplite, ac circumſpectando, oculoſque in omnem partem conijciendo, preces oretenus tantiſper fuderint, *Ne quid nimis*; inquiunt, *Breuis oratio penetrat cœlum*: & abeunt Accedunt ad concionem alii, cumq; dicenti aures aliquantulum præbuerint, nauſeam illico patiuntur, & terga uertentes abſcedunt. Ne verò nihil huic ſuæ ſocordiæ excuſationis loco obtendant, *verbum*, inquiunt, *ſapienti ſat eſt*: *Qui multa complectitur, nihil ſtringit*: Præſtat pauca audire, & aliquid retinere, quàm audiendo multa, omnium obliuiſci; ſe nimirum labilis eſſe dictant memoriæ, nec tot poſſe documentorum recordari: debilioris eſſe ſtomachi, quique tot nequeat cibos digerere: parciùs proinde ſibi aiunt eſcis huiuſmodi veſcendum Tandem, nihil magis optandum aſſerunt, quàm vt concionatores omnes loqui diſcant laconicè. V. *Quidam producenda contrahunt.*

Sicut verò producenda contrahunt, ita è contrario contrahenda producunt, & obliquum pro recto collocant: conuiuia enim, quæ contrahi par eſt, ad multas horas extendunt, & cùm recti eò acceſſerint, obliqui diſcedunt, imò interdum ſummo ſuo dedecore auferuntur, ita nimirum vino obruti, vt in terram prolabantur: caſus ſanè luctuoſus, & non riſu, ſed lachrymis proſequendus. VI. *Contra vero contrahenda producunt. Obliquum ſtatuunt pro recto.*

Quoniam autem huc ſermo deuenit: dolendum inprimis eſt, noſtro hoc tempore, etiam inter Chriſtianos, quorum perfectioris præ nationibus diſciplinæ profeſſio; lexque ad omnem honeſtatem, vitæque ſanctitatem inducens, maiorem integritatem poſtulat: dolenlendum, inquam, eſt, brutum hoc vitium ita dominari impunè, nulloque prohibenti graſſari. Homines nimirum ipſis etiam beſtiis peiores (quæ datos ſibi hac in VII. *Homines in quibuſdam peiores beſtijs.*

Digitized by Google

parte à natura limites non excędunt) nullis coërceri limitibus volunt, dumque modum ipſis ac menſuram, quam ſeruare debeant, ratio præſcribit, rationem ipſi proſcribunt, ſeque obruendo, illius in ſe lumen pro viribus extinguunt.

VIII. *Apud lacedæmonios ſeueriſſimè interdicta ebrietas.*

Apud lacedæmonios olim ſeuerè adeò interdicebatur immoderatus vini vſus vt quiſquis ebrius fuiſſet deprehenſus, grauiſſimas ſubiret pœnas. Cumque à lacedæmonio quodam quæreretur, cur tanto cum rigore ſtatueretur, & exceſſus in potando prohiberetur, *Ne*, inquit, *alij pro uobis conſulent.* Ne nimirum huic vitio dediti, vinoque ſepulti, res ad ciuitatis adminiſtrationem ſpectantes negligerent, ſicque ſui, ac Reipublicæ obliti, rerum ſuarum penitus ignari fierent, & lacedæmonij lacedæmone peregrini. Quæ ebrietatem vitandi conſuetudo quamdiu ſtetit, ſtetit lacedæmoniorum Reſpublica; vbi verò ex huius neglectu legis, in eam irruit ebrietas, quaſi vltra conſiſtere pedibus non poſſet, lapſa eſt, & in ſeruitutem redacta.

IX. *Mala ex ebrietate prouenientia.*

Si ergo ſolo naturæ ductu fœdum hoc vitium tanta illi ſeueritate interdixerunt, & tanquam homine indignum è Republicâ proſcripſerunt, quis pudor, Chriſtianos non maiori cura ac diligentiâ in eo declinando vti, imò vltro ei manus dare, volenteſque in illius iura concedere? Quod eo magis mirandum ſi quis ex hoc vno malo, quot velut è fonte, naſcantur mala, conſideret, quantaque non corpori tantùm, ſed etiam animæ, afferat incommoda. Vinolentia, Hippocrate & Galeno teſtibus, morborum omnium eſt eſt ſcaturigo: qua de cauſa, non inſcitè olim antiqui Baccho comitem iungebant Aeſculapium. Exhauriuntur nimirum per eam vires, hebetantur oculi, langueſcit ſtomachus, laxantur nerui, putreſcunt inteſtina, totum denique corpus labefactatur, homineſque immatura planè morte extinguuntur. Hinc ortum prouerbium, *Plures occidit crapula, quàm gladius.* Bacchus,

Cur Baccho olim datus comes Æſculapius.

quàm

quàm Mars; dum ſcilicet immodica cibi potûſq; ſumptione vltro ſibi mortem conſciſcunt.

Animæ verò grauiſſima etiam per ebrietatem inferri damna, quotidiana conſtat experientia. Sopitur per illam ratio, obtunditur memoria, extenuatur iudicium, & vt verbo dicam, mens amens redditur, ſuo nimirum vigore ac viribus deſtituta. Vnde, qui huic deditus eſt vitio, nihil ferme hominis præter externa hominis lineamenta ſeruat, nec in ſe quidquam homine dignum continere meritò cenſetur. Imò, apud nationes quaſdam, ſi quempiam vel ſemel vino obrutum deprehendiſſent, arcebatur publicis conſiliis, quaſi, qui eiuſmodi eſt, ſecretum ſeruare nihil poſſit: quod enim ſobrius audit, effutit ebrius, & *dolij pertuſi* inſtar *hac illac diffluit*. Quare Plato in ſua Republica Magiſtratibus eo anno quo hoc officium gerebant, vſu vini interdixit, ne nimirum aliquid ſe & Republica indignum committerent. Quis ergo non miretur, hominibus non magis honorem ſuum & exiſtimationem cordi eſſe, quàm vt in tam infame vitium, totque malorum fomitem tam facilè prolabantur? tantumque dedecoris tantillâ voluptate, ſi tamen voluptate, coëmant? X.

Vino dediti, iure arcentur publicis conſilis.

Plato vſu vini Magiſtratibus interdixit.

Verùm non hîc querelis agendum; de ſe namque, vbi iis denuo illuceſcit (ſobria enim quædam habent interualla) queruntur ipſi, ſuam deplorant miſeriam, nihilque in votis magis eſſe dictitant, quàm vt communi huic malo efficax adhibeatur remedium: idque curæ omnibus fore pollicentur. Sed, *Quod omnes pariter curant, omnes negligunt*, hanc enim poſteà curam facilè diluunt, & in id vnum ſeriò incumbunt, vt liquidò fluant dies, iucundeque inter ſe ætatem agant: curam verò huic malo medendi, ſicut eam ipſi à maioribus acceperunt, ita poſteris relinquunt. XI.

Quod omnes pariter curant, omnes negligunt.

Ex iis verò quidam non vſque adeo inhoneſtam, vt nos hactenus aſſeruimus, hanc eſſe conſuetudinem contendunt, imò & illius patrocinium vtcunque ſuſcipiunt, XII.

Nonnullorum, qua

piunt, ſeque, ſi non laude, veniâ certè hac in parte dignos eſſe pronunciant. Nam, quid agas, inquiunt? ſalutant te familiares, quique in eâdem tecum menſa ſunt conuiuæ, an non denuo eos ſalutare fas eſt? an non ſanitatem amicis apprecari, ſibiq; apprecantibus reſpondere? ſane quiſquis id renuit, ab omnibus habebitur inhumanus. Pulchrè: dum imaginariam amicis ſanitatem precantur, certam ſibi, immodicè bibendo, corporis inualetudinem, imò animæ mortem ebibunt, & hominem exuunt, ne videantur inhumani: ſicque præpoſterâ beneuolentiâ, dum alios ſanos volunt, ſe reddunt inſanos.

Sæ defendunt excuſatio.

XIII. *Conuiuijs decorum Modeſtia ſemper interſint, præſit temperantia.*

Honeſta amicorum ſeſe inuicem ſubinde inuitantium conuiuia non improbo: id enim ſummis etiam viris in more fuiſſe animaduerto, pluimumque ad animorum coniunctionem, fouendamque amicitiam conducere exiſtimaſſe. Solùm dico, eiuſmodi ea eſſe debere, quibus decorum & modeſtia conuiuæ interſint, præſit temperantia: quæque honeſto ac iucundo ſermone condiantur, vt animo ſuæ etiam præbeantur epulæ. Se verò cibo potuque immoderatè ingurgitare & obruere, fini ad quem inſtituuntur conuiuia, honeſtæ ſcilicet relaxationi, refectionique virium, penitus aduerſatur, imò hominem eneruat paulatim, mirumque in omnes corporis partes languorem ſenſim inducit, efficitq; vt morientē ducat vitam. In quam rem pulchrè Democrates: *viuere*, inquit, *imprudenter, intemperanter, impiè, non tam malè viuere eſt, quàm ſenſim mori.*

Democrates.

XIV. *Vitium ſibi ſemper ſimile.*

En vt S. Auguſtinus in ſui temporis erratis, noſtræ etiam ætatis labes adumbrauerit, & vtriuſque ſæculi mores (adeò ſibi ſemper ſimile eſt vitium) eodem delineauerit penicillo. His proinde vt occurrat, in omnem ſe vertit partem Philoſophus: nunc cum *Heraclito* miſeram hominum conditionem ac cæcitatem flendo; nunc cùm *Democrito*, eorumdem vanitatem & ineptias ridendo: nunc acriter increpando vitia, & mordendo cum

cum *Diogene*: nunc cum *Xenophonte*, qui ob ſermonis ſuauitatem, *Muſa Attica* dicebatur, leniter ſe in eorum animos inſinuando: nunc cum *Platone*, pleno alueo influendo, ac mirâ dicendi vi & copiâ, omnia ante ſe agendo: nunc tandem cum *Socrate*, ſummi ingenii acuminis, mentiſque perſpicaciæ viro, in intimos etiam animorum receſſus penetrando, expulſiſque inde vitiis, ad omnem honeſtatem, virtutiſque exercitationem informando. ſic nimirum hominem ſibi peregrinum, prauiſque animi affectibus à ſe longiſſimè abſtractum, domum reducit denuo, ſibique demum reſtituit. *Xenophon dictus Muſa Attica.*

DISPVTATIO QVARTA.

Ad quam ætatem ſpectent Moralis Philoſophiæ præcepta.

VT clariùs hac in re procedamus, ſcitu neceſſarium eſt, in quot, & quas ætates, hominum vita commodiſſimè diuidatur. Hoc enim ſemel ſtatuto, minimè laborioſum erit de hac quæſtione decernere.

CAPVT PRIMVM.

In quot, & quas ætates vita hominis diuidatur.

HVmanæ vitæ ætates ſeu tempora, varii variè diſtinxerunt. Hippocrates & alii nonnulli, ſeptem ſtatuunt, ſeptem planetis, quos ſingulos, ſingulis præeſſe hominis ætatibus dicebant, reſpondentes. Cicero ingenioſiùs, & propiùs vero, quinque numerat, quinque actus in abulâ, (cui hominis vitam ſimillimam eſſe docet) referentes. I. *Hippocrates ſeptem, Cicero quinque ſtatuit hominis ætates.*

Pythagoras & Galenus vitam anno comparant, quam proinde in quatuor anni partes, *Ver, Æſtatem, Autumnum,*

Digitized by Google

II. *Pythagoras & Galenus vitam hominis in quatuor partes diuidunt.*

num, Hyemem, diuidi poſſe conuenientiſſimè, exiſtimant. Habet nimirum homo *vernum tempus*, quando in primâ ætate floreſcit. Habet *Æſtatem*, dum firmus iam, ac vegetus, maturo eſt iudicio, & viribus integris. Habet *Autumnum*, dum vis eum & robur nonnihil deficit, & capilli è capite, velut frondes ab arboribus, cadere incipiunt. Habet demum *Hyemem*, quando calore natiuo maximâ iam ex parte imminuto, frigus omnia occupat, & canis, tanquam niuibus, operitur. Ad quod, & breuitatem humanæ vitæ, alludens ſic cecinit Poëta quidam:

Ver, Æſtas, Autumnus, vbi fluxerit anno,
Dic breue momentum, ſomnus & vmbra fluit.

III. *Homo diei comparatur.*

Mihi verò, exiguo vitæ huius curriculo ſpectato, diei aptiùs, quàm anno, conferri videtur, quatuorque has ætates per hæc quatuor, *Mane*, ſcilicet, *meridiem*, *veſperam*, & *Noctem*, aptiſſimè declarari; & homo diei vnius ambitu circumſcribendus, iuxta dictum illud:

Singulos dies, ſingulas vitas puta.

IV. *Hominis Mane, Meridies, Veſpera & Nox.*

Habet igitur homo ſuum *Mane*, dum in lucem primùm editus, in quadam veluti Aurorâ, curſum ſuum inchoat. Habet *Meridiem*, cùm altiſſimè ſupra vitæ, vt ita dicam, Horizontem prouectus, in calore mediæ ætatis ferueſcit, æqualique à viuendi initio ac fine diſtat interuallo. Habet *Veſperam*, cùm languente iam naturâ, vergit ad occaſum. Ac tandem (morte accedente, *in longam clauduntur lumina Noctem.*

V. *Homo herba ſolſtitialis.*

Hanc ob cauſam, hominem nonnulli herbæ illi, vel flori ſolſtitiali, vt vocant, non inſcitè comparant; cui nimirum idem ſemper dies & initium vitæ eſt, & finis: ſole quippe *Oriente*, oritur: *Meridie* folia ſua, velut quoſdam radios, expandit: *Sole ad occaſum* vergente, marceſcit: Sole denique *Occidente*, occidit. Sic homo

Homo temporis ſpolium.

Flos breuis æui, *naſcitur, floret, langueſcit, interit: Oritur*, inquam, & *Moritur*, verè *temporis ſpolium*, &, vt quidam vocant, *Spithama*; cuius nimirum vita palmi fere vnius

ſpatio

ſpatio continetur: imò, multo adhuc minore, ſi Senecæ credimus: *Punctum, inquit, eſt quod viuimus, & adhuc puncto minus.* *Seneca. Ep. 49.*

Alij, retentâ hac hominis cum die vnico ſimilitudine, vitæ eius ſpatium in tres tantùm ætates diuidunt, quas vocant *Mane, Meridiem, & Veſperam.* Huc alludebat celeberrimum illud Sphingis Ænigma, & apud totam antiquitatem decantatiſſimum. Quodnam ſcilicet ſit animal illud quod *Mane* quadrupes eſt; *Meridie* bipes, *Veſpere* tripes: quod Ænigma poſt Oedipodem omnes interpretantur de Homine, qui *Mane*, id eſt, in vitæ exordio, manibus & pedibus reptando, ac veluti quadrupes incedit: *Meridie*, in firmiore ſcilicet ætate, vbi vis ei ac robur acceſſit, ſuis inſiſtit pedibus, & incedit bipes. *Veſperè* demum ingraueſcentibus annis, languentibuſque ætate viribus, baculum veluti pedem tertium aſſumit, ſicque incedit tripes. VI. *Alij tres tantùm ſtatuunt hominis ætates.*

Hos inter humanæ vitæ tempora diſtinguendi modos, tertius & quartus commodiores videntur, & propiùs ad veritatem accedere. Mihi verò hac in parte antiquus placet Romanorum mos, qui à quarta diuiſione differre parum videtur, vitam hominis in tres ætates diuidentium. *Pueritiam, Iuuentutem, & Senectutem.* Cui diſtributioni conſonat illud Poëtæ. VII. *Quo pacto Romani ætates hominis diuidebant.*

Exultat leuitate puer, grauitate ſenectus:
Inter vtrumque manens ſtat iuuenile decus.

Pueritiam ſeptemdecim annorum termino definiebant. *Iuuentus* ad annum vſque ſextum & quadrageſimum protendebatur; quam demum excipiebat *Senectus.* Ætas prima, *Viridis* dicebatur; vtpote tenera adhuc & imbecillis: ſecunda *firma*, ad quiduis nimirum perficiendum idonea: Tertia *præceps*, in qua ſcilicet homo quodam naturæ pondere ad mortem fertur, & in tumulum decidit, ibiq; velut in centro conquieſcit. Hanc itaque vitæ hominis partitionem, tanquam ad præſens inſtitutum longè accommodatiſſimum, hîc ſequemur. VIII. *Ætas viridis, firma, & præceps.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Pueritia Philoſophia Moralis præceptis imbuenda.

I. PAradoxi inſtar non nemini hoc fortè pronunciatum videbitur; in illâ enim ætate velle quemquam ad ſublimes Philoſophorum diſciplinas conſcendere, perinde eſt ac Nanos velle eſſe Gigantes, pueros ſenes, eoſque qui vix ſapere cœperunt, ſapientes. At, *Eſt modus in rebus*: ita pueros Ethices imbuendos præceptis aſſero, vt præfixos ætati limites non excedant, ſeque dum maior animo vis, & ætas firmior acceſſerit, certos intra terminos coërceant. Volo in imo ſpatientur, & in amœnis Philoſophiæ vallibus flores carpant, faciliora ſcilicet quædam rectè vitam inſtituendi præcepta addiſcant, non ad ſumma montium cacumina aſcendant. Volo litus legant, non in altum prouehantur, Philoſophorum limen terant, non in ſubſellia proſiliant, & Platones ſtatim fiant, aut Ariſtoteles. Volo, inquam, iam inde à primis annis virtus eorum mentibus inſeratur, quæ noua indies incrementa capiat, & vnà cum ipſis adoleſcat.

Eſt modus in rebus.

II. Puerorum ergo mentes, recti honeſtique præceptis, velut armis quibuſdam inſtruendæ, ac vitiis ex omni parte turmatim irruentibus aditus matura intercludendus. Cerea namque hæc ætas, & in quamcunque partem flexibilis, niſi tempeſtiuè præueniatur, opportuniſque monitis & conſiliis in bono firmetur, illico à virtutis ſemita deflectit, voluptatumque illecebris delinita, penitus labefactatur. Roſa eſt, auræ noxiæ afflatu ſubitò deflorescit. Gemma eſt, offuſcatur facilè, igneuſque ille vigor, quo intuentium oculos oblectat, momento extinguitur. Nix eſt maculas citò contrahit, candoremque illum ſuum, & natiuum decus amittit. Lubrica

Pueritiæ ætas Cerea.

Eſt Roſa.
Gemma.

Nix.

Lubrica demum eſt, niſi prudenti moderatoris alicuius ductu regatur, facilè labitur, imò præceps ruit, & ad vitia deuoluitur. *Virtus*, inquit ille, *difficilis inuentu eſt. Rectorem ducemque deſiderat: etiam ſine Magiſtro vitia diſcuntur.* *Sine Magiſtro vitia diſcuntur. Seneca, l. 3. nat. QQ. cap. vii.*

III. Si verò iam inde à primis annis, pueri ad integritatem vitæ, morumque honeſtatem informentur, candor ille innocentiæ, cuius iam amore capi incipiunt, puritatiſque ſtudium altiùs ſenſim infigetur, ſeſeque in eorum animos penitus induet, ac totâ deinceps vitâ, ſuaui quodam impulſu eos ad optima quæque incitabit. Siquidem, quæ in molli hac terrâ, nulliſque adhuc ſpinis coopertâ ſparguntur virtutum ſemina, vberrimam poſtea meſſem, fructuſque omni ſubſequente ætate proferent iucundiſſimos. Quâ de causâ, Ariſtoteles diſciplinam Adoleſcentiæ, *vitæ* appellabat *viaticum*, ſumptuſque eam dicebat itineris ad ipſam vſque ſenectutem ſuppeditare. Opes quippe animæ, cùm non abſumantur inſtar corporearum, imò ipſo vſu augeantur, in immenſum, vt ita dicam, cumulum decurſu temporis excreſcunt, menteſque poſſidentium infinitis propè diuitiarum theſauris locupletant. *Diſciplina Adoleſcentiæ, vitæ viaticum.*

IV. Hinc conſtat quanti ad vitam cum laude traducendam interſit, vt teneræ hæ mentes iam inde ab initio ad omnem rectitudinem fingantur: quam etenim modò formam habitudinemq; recipiunt, eandem ſubſequentibus deinceps annis, velut quendam impreſſum ſibi characterem ſeruabunt, & reliquâ fere vitâ, primæ ætatis retinebunt lineamenta. *Quanti interſit, rectè primam ætatem inſtitui.*

V. Curioſi naturalium rerum inſpectores obſeruant, ſi plantarum quarundam radicibus, dum primò terræ infiguntur, aromata applicentur, gratiſſimum inde odorem, vbi creuerint, in flores earum fructuſque deriuandum, miramque accedentibus ex iis afflari ſuauitatem. *Habent & mores colores ſuos*, vt rectè S. Bernardus, *habent & odores*, quos ex primâ vt plurimum ætate, tanquam Habent & mores colores ſuos. Ser.

ex

Serm. 71. in Cantic. ex quadam vitæ radice, hauriunt: quæ proinde radix ſi ſedulò excolatur, ſi optimis diſciplinis velut odoramentis quibuſdam imbuatur, flores omnes & fructus, dicta, inquam, omnia, & facta pietatem ſpirabunt, ac tota deinceps vita incredibili virtutum omnium redolebit fragrantiâ. Si verò ab initio irrepant vitia, & ætas prima inficiatur, non illic ſiſtet virus, ſed ſerpet paulatim, ſeque noxiâ contagione in reliquam ſenſim vitam diffunder, omniaque vitiatum quiddam ac motum corruptelam ſapient. Ex affectâ nimirum ſtirpe nihil ſani nihil *Si radix in vitio eſt, & ramus.* ſynceri & integri prouenire poteſt, adeò verum eſt illud Diui Bernardi dictum, *Si radix in vitio eſt, & ramus.*

VI. Hinc laudatiſſimus ille Romanorum mos, qui vt liberi in omni honeſtate educarentur, moreſque addiſcerent Romanis dignos, in præcipuis eos collocabant Senatorum familiis, ſpectatæ ſcilicet probitatis & ſapien- *Laudatiſſima Romanorum conſuetudo.* tiæ viris, omnique virtutum genere conſpicuis illos adiungendo, vt tanquam ſurculi Cedris adhærentes, à primis ipſis annis recti creſcerent, Orbiſque lumina intuendo, inde viuendi exemplum ſumerent, & in virtute ſtabilirentur.

VII. *Prima ætas inſtitutioni aptiſſima.* Luce ergo clarius eſt, teneros puerorum animos maximo cum fructu Philoſophiæ præceptis, honeſtæque vitæ rationibus imbui. Addo, aptiſſimam ad id munus eſſe hanc ætatem, vtpote quam arbitratu ſuo fingit, quiuis, &, vt in ceram artifex, ita quamcumque in eam formam ac ſpeciem inducit. Nihil nimirum hîc, quod rectę inſtitutioni obſiſtat, impedimentum nullum, & ad cuius ablationem magnâ opus ſit contentione & conatu, ſed quicquid affertur, pronis id animis & auribus excipiunt, atque vltro in moderatoris poteſtatem concedunt.

VIII. *Expeditiſſima ad* Rogabat aliquando Antiſthenem iuuenis, qui ei ſe erudiendum tradere volebat, quid facto opus eſſet, vt quis diſciplinis Philoſophicis inſtitueretur: *librum,* inquit, *afferto nouum, ſtylum nouum, & tabellam nouam:* *hac*

hac expeditiſſima Philoſophiam addiſcendi ratio. Noua omnia affert hæc ætas: librum nouum, nullis nimirum vitiorum literis, aut lituris potius inſcriptum, & tabellam nouam, animam ſcilicet nullâ adhuc infectam labe, nullis maculis deformatam, & in qua, virtutis manu ac ſtylo, characteres ducantur, aptiſſimâ. Si verò nouitas hæc mentis & candor deperdatur, ſi tantillum minuatur innocentia, quæ per rimas primò, & quaſi furtim ingrediuntur vitia, mox, patefactâ ſibi portâ, turmatim irruunt, ſicque paulatim peſſum eunt omnia, ac mens plenè ſemel poſſeſſa, (vt *pertinaciùs hærent mala*) ægrè ſe ab illâ morum corruptelâ expediet, priſtinamque recuperabit integritatem. *Lanarum nigra nullum colorem imbibunt.* Mens vitiis infecta, virtutis tincturam vix recipit. Citiùs nimirum contrahuntur maculæ, quàm eluuntur; quodque diſcitur facilè, haud ita facilè dediſcitur. Momento amiſſa innocentia, diuturni temporis labore, ſummâque contentione redintegratur. Plura hac de re infra, D. 15. Capite quarto, & quinto.

Philoſophandum ratio.

Mala pertinaciùs hærent.

CAPVT TERTIVM.

Philoſophiæ Moralis præcepta Iuuentuti neceſſaria.

I.

ACrior hîc inſtat pugna, omnes proinde vires Philoſophia exerat neceſſe eſt, ſeque ad prælium comparet, & armatæ Palladis inſtar, tela in Gorgonas ac monſtra expediat. Feruida namque hæc ætas, maximeque ad vitia procliuis, non niſi ſummâ expugnari vi poterit, & intra rationis, officiique limites coërceri.

Iuuentus difficulter coërcetur.

II.

Primæ ætatis, vt vidimus, non admodum laborioſa eſt inſtitutio; in puerorum quippe mentes, vtpote nullo adhuc obſtaculo impeditas virtus facilis illabitur. Iuuenes vero, quibus vehementiores ſunt animi impetus, vbi uoluptatum illecebris deliniri cœperint, luxuque ac deliciis diffluere, falsâ illâ & fucatâ dulcedine capti,

 pleno

Digitized by Google

pleno inde ore bibunt, viruſque toto hauriunt pectore, & in intimas etiam venas ac viſcera diffundunt, ſeque vitiis indies magis magiſque implicant, à quibus non niſi ſummâ cum difficultate expediuntur. *Facile eſt*, inquit Seneca, teneros *adhuc animos componere. Difficulter reſcinduntur vitia quæ nobiſcum creuerunt.* Quamuis enim haud ita magno labore præueniri, penituſque excludi potuiſſent, vbi tamen radicem fixerint, mentemque plenè poſſederint, difficillimè expelluntur.

Difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt.

III. Adoleſcentibus ergo, vbi firmior iam ætas, animique ardor acceſſerit, efficaciſſima remedia, eaque tempeſtiuè paranda, vt inordinati illi affectus, propenſioneſque peruerſæ ſtatim ab initio elidantur. Si enim à recto ſemel honeſtoque deflexerint, ſeque datis habenis, in libertatis & licentiæ campo præcipites egerint, ægrè hic eorum curſus ſiſtetur, ægrè ad virtutis, vnde digreſſi ſunt, ſemitam reducentur. Adeò verum eſt, *Malorum initia eſſe extinguenda.*

Malorum initia extinguenda.

IV. Imò ita augentur interdum vitia, diuturnoque eorum vſu ita obdureſcunt Adoleſcentum animi, vt frangi citiùs quàm flecti poſſint, & ad rectum honeſtumque reuocari. Viuebat Syracuſis in Sicilia Dion, vir tum generis nobilitate, tum virtutis laude, quæ ſola nobilitas eſt, clariſſimus. Hunc auerſabatur maximè Dionyſius Siciliæ Tyrannus, vtpote moribus ſibi diſſimillimum. Huius filium adhuc penè puerum, cùm in ſuam redegiſſet poteſtatem Dionyſius, luxu eum ſtatim ac mollitie eneruat, omnique flagitiorum genere in parentis odium corrumpit, fœdiſque voluptatibus, ac nefariæ libidini (mirum vindictæ genus) implicat. Dion è Sicilia Dionyſio, filioque recepto, alio tamen longè quàm amiſerat, blandè eum primò hortatur, vt infami illâ turpitudine relictâ, dignam maioribus vitam inſtituat, nihilque intentatum relinquit, vt ad ſaniorem eum mentem reducat. Sed ſurdo canit: altiùs inſederat animo malum, quàm vt facilè poſſet euelli. Iuuenis ſiquidem

Dionis & Dionyſij ſimultas. Plutarch: in vita Dionis.

Mirum vindictæ genus.

quidem ſuum, ſuorumque honorem, reliquaque, poſt fœdas, quibus iam aſſueuerat, voluptates, habet omnia, quas proinde vt relinquat, nullâ induci ratione poteſt. Dion filium cernens adeò hac in re obfirmatum, domi eum continet, ſperans fore vt, occaſione omni ablatâ, ad ſe tandem rediret. Sed fruſtra: is enim, vbi ad priſtinas conſuetudines omnem interclusum ſibi aditum perſpexit, ira & deſperatione correptus, ac veluti furiis quibuſdam actus, è ſupremâ ſe domûs parte præcipitem egit: ſicque vitam infelicem morte longè infeliciore finivit: terribile luxurioſis adoleſcentibus documentum. *Vita infelicis finis infelicior.*

V. *De nullius emendatione deſperandum.*

Addo tamen, de nullius, quantumuis profligatæ vitæ, curatione eſſe deſperandum: quantumcunque enim enim quis vitiis ſit irretitus, reſipiſcere nihilominus poteſt, & è cœno cui ſe immerſit, emergere. Sicut enim in morbis corporis ſanandis, natura ſingulis ſua parauit medicamenta, quibus tollantur; ita ad morbos animi ſubleuandos opportuna non deſunt remedia, quibus, ſi vti iis homines velint, depellantur.

VI. *Zeno ex auaro, factus diuitiarum contemptor.*

Huius rei exemplis plena ſunt Antiquorum monumenta: pauca è multis proferam. Zeno, de quo ſuprà Diſp. Secunda, cap. ſecundo, in iuuenili ætate, lucro & auaritiæ nimirum in modum fuit deditus, totamque in eo curam ponebat, vt facultatibus abundaret. Accidit, vt dum in naui opibus, quas magno ſtudio collegerat, plenâ veheretur, in ipſo penè portu naufragium ſit paſſus, indeque vehementiſſimo dolore, vbi tanta ſe ſpe excidiſſe vidit, eſt correptus. Æger ergo animi, Athenas ſe contulit: vbi, cùm in quendam Xenophontis librum incidiſſet, illius lectione minui ſibi nonnihil dolorem ſenſit ac mentem, quæ grauiùs quàm corpus, naufragium paſſa fuerat, paulatim componi. Petiit itaque vbi homines illi, qui iſtiuſmodi de animorum motibus ſedandis tradebant præcepta, habitarent. Ductus ad Philoſophos, ita eorum, Cratis præſertim conſue-

ſuetudine ac monitis pro fecit, vt affectum omnem auaritiæ penitus depoſuerit, ſeque hoc nomine beatum exiſtimabat, quòd tantâ ſollicitudine & curâ, quæ ex augendis conſeruandiſque diuitiis naſcebatur, fuiſſet ſolutus. Vnde & ſummâ cum animi voluptate identidem dicere ſolebat: *Gratias tibi Fortuna, quæ me ad pallium* (teſſera id erat Philoſophi) *reduxiſti.* Hoc ipſum multò adhuc clariùs conſtat in Polemone, cuius mentio facta eſt ſuprà Diſp. 3. cap. primo. Scintillæ nimirum quas in eius mente accenderat Xenocrates, ita breui tempore creuerunt, vt non Athenas tantùm, ſed Græciam illuſtrauerint vniuerſam.

Mira Polemonis mutatio.

VII. Nullus itaque perditis adeo eſt moribus, quin ad meliorem reuocari mentem poſſit, & iuuentutis impetus, quantumuis vehementes, ſiſti, Chriſtianæ præſertim Philoſophiæ monitis, & affulgente de cœlo luce, ſine qua nemo vnquam plenam animi ſanitatem eſt conſecutus. Philoſophi namque illi antiqui licèt ad virtutem aſpirarent, in eâque adipiſcendâ magnam vitæ partem ſummo ſtudio ac diligentiâ collocarent, ad perfectam tamen illius rationem non peruenerunt. Imò virtutes (ſi tamen virtutes) quas habebant, vitiis coniunctas. Dixi, *ſi tamen virtutes*; præſtantiſſimi enim quique ex illis, quicquid in hoc genere præſtiterunt, ex gloriæ titillatione, exiſtimationiſque apud homines conſequendæ deſiderio præſtiterunt. Actus itaque non puros & integros, ſed hac infectos labe elicuerunt; ſicque virtutis in iis perfectionem (bonum enim ex integrâ causâ) corruperunt.

Philoſophi virtutes habebant vitijs permixtas.

Bonum ex integrâ causâ.

VIII. Vt verò Adoleſcentibus in feruidâ hac & præcipite ætate meliùs conſulatur, notanda cuiuſque indoles, ingeniorumque varietas obſeruanda, vt ſingulis opportunum adhibeatur remedium. Nec enim omnibus morbis eadem congruit medicina, ſed diuerſa diuerſis, pro ratione mali, applicanda. Magna proinde ars eſt animorum tractatio, nec minor in ægris mentibus, quàm corpo-

In curatione, cuiuſque indoles notanda.

corporibus curandis, Imò maior multo, requiritur peritia.

Quibus ergo nobilior eſt animi indoles, vel ipſum virtutis ſplendorem dignitatemque proponi ſufficit: optimis enim honeſtiſſimiſque capiuntur generoſæ mentes, & ſuopte quaſi ingenio ad ſumma quæque, velut ignis in ſphæram, feruntur. Si quis è contra abiectus adeò, anguſtique animi ſit, vt ob exiguum, quem ſuſcipere debet laborem, ad nihil excelſum, homineq; dignum aſſurgere audeat, ſed terrenarum rerum affectu, veluti quodam pondere, ad ima deprimatur, vilibuſque ſemper rebus adhæreſcat; huic, ſingularium, quæ ex virtutis exercitatione proueniunt, commodorum ſpe erigendus animus, vt inani hoc timore ac ſocordiâ depulſis, excutiat ſe aliquando, & ad altiora aſpiret Si voluptatum illecebris quiſpiam, deliciiſque ſopitus iaceat, faces ei admouendæ, metus ſcilicet grauiſſimi, quod ei incumbit periculi, incutiendus; vt à tam pernicioſo ſummo excitetur. XI. *Optimis quibuſque capiuntur generoſa mentes.*

Tandem, ſi qui vitiis ita ſint addicti, pertinaciterque adeò iis inhæreant, vt reſipiſcere omnino nolint, benigneque monentis conſilia omnia præceptaque obſtinati reijciant, ad reprehenſiones recurrendum, ac vehementiùs cum illiuſmodi hominibus agendum, acriuſque ſunt coarguendi, vt nihil omittatur quo ad ſaniorem mentem reducantur. Fuſiùs hac de re dixi ſuprà, Diſp. tertiâ, capite primo, dum de agendi modo quem cum variis hominum generibus obſeruat Philoſophus, ſeque naturæ cuiuſque, & propenſioni accommodat. X. *Cum quibuſdam vehementiùs agendum.*

Solum addo, ipſas etiam reprehēſiones, quando adhibentur, benignitate amoriſq; îndiciis, velut condimēto quodam, eſſe temperandas; vt non ex indignatione oſtenſoque animo, ſed beneuolentiâ ſynceroque affectu proficiſci intelligantur; rigorq; ne omnis manſuetudinē miſcendus, vt vnius acerbitas alterius dulcedine mitigetur. *Miſceamus abſinthio mel,* (ex aliâ occaſione inquit XI. *Reprehenſiones manſuetudine temperanda.* *Mel miſcendum abſinthio.*

Serm. 44. in Cant. quit S. Bernardus) *vt ſalubris amaritudo prodeſſe tunc poſ ſit, cùm immixto temperata dulcore, bibi poterit.* Qui verò admonitione, quantumuis miti ac beneuolâ, non mouetur, ſed efferueſcit magis, fitque pertinacior, (Tigridis inſtar, quæ auditâ muſicâ, quâ animantes aliæ manſueſcunt, reddi dicitur ferocior) is hominis naturam penitus exuiſſe, & mõſtrum quoddam iure eſt cenſendus.

CAPVT QVARTVM.

Senectutem maximè decent præcepta Philoſophica.

I. *Omni ætate diſcendum.* OMni ætate eſt diſcendum. Ita ſapientiſſimi quique florentibus quondam Athenis; apud quos hoc dictum oraculi inſtar habebatur. Hinc eo tempore Philoſophi paſſim appellabantur *Quærentes virtutem*, nec, quantumcunque ingraueſcentibus annis ab illius conſectatione deſiſtebant, ſed in vltima etiam ſenectute *Canities galeâ premenda.* ſe in virtutis palæſtrâ exercebant, atque in hoc militiæ genere nullum vnquam exauctorandum affirmabant, ſed *Canitiem galeâ premendam.*

II. Eudamidas. Quare, militariter magis quàm ſcienter loquutus eſt ſtrenuus ille Lacedæmoniorum Dux, qui Athenas cùm veniſſet, & in Philoſophos quoſdam, cano capite, & in ætate planè decrepitâ ibidẽ incurriſſet, petiit quinã eſſẽt illi ſenes, cumq; reſpõſum fuiſſet, eſſe eos *Quærentes vir-* *Philoſophi quærentes virtutem.* *tutem*; ſi eam, inquit, etiamnum quærant, quando vtentur? verùm, rem hanc non intellexit vir ille, caſtris aptior quàm lyceis, ac martis ſtudioſior quàm Mineruæ, lituiſque quàm libris familiarior; quantumuis enim virtutem quis inuenerit, magnoſque etiam in eâ progreſ- *Virtus fons eſt, qui nunquam exhauritur.* ſus fecerit, adhuc eam quærere poteſt, nec ab illius indagatione deſiſtere vnquam debet. Puteus nimirum eſt, ex quo quantumcunque haurias, nunquam tamen eum exhaurias; fodina in qua nouæ ſemper auri venæ ſeſe quæ-

quærentibus offerunt, quibus eorum mentes locuplétentur.

III. Semper ergo quærenda virtus, nullaque ætas eſt cui Philoſophiæ præcepta maiori ornamento ſint, quàm ſint ſenectuti. Vt enim ipſa oris ſpecies in ſenibus quandam præ ſe fert dignitatem, ſuoque iure venerationem poſtulat, ita animæ ſua etiam accedere debet præſtantia, ſapientiæque commendatio, vt non corpore magis quàm mente cani, ætatis ſuæ decus auctoritatemque tueantur. Auctoritas quippe non tam annorum numero, quàm maturitate morum, virtutiſque laude acquiritur. *Canities illa venerabilis*, inquit S. Chryſoſtomus, *quæ canitie digna gerit*: quæ ſcilicet conſilio vitæque ſummâ integritate prædita, internam animi canitiem grauitatemque demonſtrat, omniaque ita præſtat, vt cunctis prælucear, quique natu minores ſunt, inde exempla viuendi deſumant. Interrogatus aliquando lacon, cur tam longos aleret capillos; *vt*, inquit *canos meos intuens, nihil ijs indignum in me admittam*: vt nimirum ætatis memor, honoriſque quem apud omnes conſecuta fuerat ſenectus, nullâ eam labe inficeret, nec degenere aliquo facinore, eius imminutum iret exiſtimationem.

Mens in ſenibus corpori eſſe debet concolor.

Dignum Lacone reſponſum.

IV. Hinc conſtat, omnibus virtutum ornamentis, Philoſophiæque præſidiis inſtructam eſſe debere hanc ætatem, ad decus ſcilicet dignitatemque, quam in eo cuncti agnoſcunt conſeruandam. Nationes quippe omnes communi in hoc conſenſione conſpirant, ipſoque naturæ lumine inſitum videtur, ætate prouectis obſeruantiam venerationemque eſſe exhibendam. Et vt pauca de plurimis, quæ in rem hanc proferri poſſent, adducam: apud lacedæmonios, cultam præ reliquis Græciæ populis gentem, lege cautum erat, vt adoleſcentes, eos qui ad ſenilem iam ætatem peruenerant, omnibus officijs, honoriſque teſtificationibus proſequerentur. Quod ſi quis hac in parte, ſuo defuiſſe muneri deprehenderetur

Apud nationes omnes honorata ſenectus.

tur, grauiſſimis pœnis, tanquam læſæ ſenectutis reus plectebatur. Ad quam fortaſſe conſuetudinem alludebat Poëta, dum diceret:

Iuuen. ſatij: 13. *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,*
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat.

Vnde, vt refert Plutarchus, cùm ſenex quidam Olympica certamina ſpectaturus, ad diuerſarum Græciæ ciuitatum incolas, qui hos ludos ſpectandi gratiâ aſſederant, locum quæſiturus acceſſiſſet, & ab omnibus, cum ſibilis fuiſſet reiectus, ad lacedæmonios tandem cùm veniſſet, non pueri tantùm, ſed ex viris plerique ei aſſurrexerunt, locumque illi ſuum vltro conceſſerunt, magnâ intuentium approbatione, Spartanæque ciuitatis, ob iuuentutem optimè inſtitutam, commendatione. *Pulchrum lacedæmoniorum facinus.*

VI. Maiore adhuc honore ſenes affecerunt quidam Hiſpaniæ populi, qui ob ſingularem, quæ in eâ ætate elucere ſolet, ſapientiam, humanis laudibus non contenti, *Aram ſenectuti*, quaſi diuinum quiddam ſpiranti, poſuerunt. *Ara ſenectuti erecta.*

VII. Sed vt alia, quæ in hoc genere afferri infinita poſſent, prætermittam, quo apud Romanos loco fuerint ſenes, teſtatur factum illud Auguſti ingraueſcentibus iam annis; qui, cùm exercitum tumultuantem cerneret, nec vllâ ratiône coërceri poſſe, hac vnâ voce, concitatam illam multitudinem compeſcuit: *Vos* inquit, *iuuenes, audite me ſenem, qui iunior ſenes audiui.* Sicque quod nec Imperatoria Maieſtas, nec ſumma, quæ penes ipſum erat, potentia, nec ob tot annis adminiſtratam cum laude Rempublicam parta apud omnes auctoritas efficere in Auguſto potuit, effecit his omnibus anguſtior ſenectus. *Vis ſenectutis.*

VIII. Si ergo ſenibus tantum ab omnibus deferretur, ſingulariſque adeò haberetur honos, eniti pro viribus debet, quiſquis ad hanc ætatem peruenerit, vt ſui dignitatem gradûs ſuſtineat, ſeque talem præſtet, vt qui annis inferiores

tiores ſunt, meritò eum ſuſpiciant ac venerentur. Virtutis proinde, ſapientiæque laude ſe omnibus commendet, & decreſcentibus viribus, creſcat animæ robur, ſitque in effœto corpore mens vegeta, quæque ſuo vigore cano etiam capiti ornatum addat. Senectutis namque decus, vt dixi, non à corporis formâ, ſed maturitate mentis, grauitateque proficiſcitur: *nec annorum: ſed animorum canities laudanda.* *In effœto corpore ſit mens vegeta.* *Non annorum, ſed animorum canities laudenda.*

IX.

Hinc Socrates, (vt ex aliâ occaſione ſuprà aduerti,) in vltimâ etiam ſenectute, *Morali* ſe *Philoſophiæ* totum addixit, eamque ad finem vſque vitæ, vt maximum illius ætatis ornamentum coluit, nec quantumcunque ingraueſcentibus annis, eius vnquam ſtudium intermiſit. Hunc ergo eximium, prudentiæque commendatione celeberrimum ſui temporis Philoſophum imitentur, quibus cordi eſt ætatis decus, atque in Philoſophiæ præceptis, morumque ac vitæ diſciplinâ ſeſe indies perficiant, clariſſimaque virtutum omnium exempla Adoleſcentibus præbeant. Et, vt verbo concludam, dictum illud vetus, in ſeuerum quiſque efficere ſtudeat. *Mens & Concilium, & ratio in ſenibus eſt.* *Senectutis ornamentum Philoſophia.* *Mens & conſilium, & ratio in ſenibus eſt.*

DISPVTATIO QVINTA.

Ad quod Hominum genus ſpectet Philoſophia Moralis.

Omnem, vt vidimus, ætatem ornat & perficit Philoſophia, cunctiſque honeſtæ vitæ præſidiis ac virtutum apparatu inſtruit. Nunc ad quam Hominum conditionem hæc morum diſciplina, ac Philoſophicis excoli informarique præceptis pertineat, inquirendum.

CAPVT PRIMVM.

Ad Reges primò ac Principes ſpectant Moralis Philoſophiæ præceptiones.

I. *Princeps in Repub. ſicut caput in corpore.*

TVm demum *beatas fore Reſpublicas*, dicebat Plato, *quando aut Philoſophi regnant, aut Reges Philoſophantur.* Et meritò, vt enim in corpore humano caput, hominis pars ſuprema, vim quandam ac vigorem in reliquos inſtillat, ita Princeps ſupremo in Republicâ loco conſtitutus, ſi vitæ morumque integritate excellat, virtutem inde in ſubditos, velut in membra, deriuabit, quamque ipſe ſpirat pietatem, aliis inſpirabit. Si verò Philoſophiæ præceptis, ad vitam vt par eſt, inſtituendam, inſtructus non ſit, moreſque ſuos ad virtutis normā rectæque rationis præſcriptū nō exigat, ſed blandimentis ſenſuum abreptus, vitiis obrui ſe ſinat, nunquam rectè Principis munere fungetur. Qui enim rem priuatam, ſe, inquam, ſuoſque regere affectus nequit, nunquam rectè adminiſtrabit publicam, nec aliorum bonum ſeriò curabit is, qui negligit proprium. Quiſquis proinde aliorum Rex eſſe vult, prius oportet eſſe eum Regem ſui. *Si tibi vis omnia ſubijcere*, inquit Seneca, *te ſubijce rationi: multos reges, ſi ratio te rexerit.*

Rex ſui prius quis eſſe debet, quàm aliorum. Seneca Epiſt. 37.

II. *Magni in vtramque partem eſt vita Principis.*

Deinde cùm Princeps, ob ſupremam illam dignitatem, in omnium oculis ſit poſitus, magni in vtramque partem eſt eius viuendi ratio: ita enim hominibus à naturâ eſt comparatum, vt, quos in veneratione habent, eorum vitam ſibi imitandam proponant, nihilque vel honorificentius ſibi, vel Principibus gratius arbitrantur, quam vt in eorum mores tranſeant. Si ergo qui loco ſuperiores ſunt, aliiſque cum auctoritate præſunt, vitæ etiam integritate, virtutiſque commendatione iiſdem antecellant, atque honeſtiſſima quæque exercēdo, ſpecimen ſui vbique præbeant, haud difficulter alios in

eiuſ-

eiuſdem virtutis honeſtatiſque amorem pertrahent. Optimi ſiquidem Oratores, efficaciſſimaque ad perſuadendum ſunt exempla, Principum præſertim: multoque faciliùs in hominum animos illabuntur, altiuſque ſe inſinuant, quàm cuiuſcunque diſerti, maximâque dicendi vi & copiâ præſtantis eloquentiâ. Vnde, vt rectè quidam, *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.* Imò, ipſis etiam Regum mandatis & imperio ad animos ſubditorum promouendos, atque in omnem honeſtatem impellendos potiora ſunt exempla.

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet Senec.

——— *Nec ſic inflectere ſenſus*
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Claudianus.

III. Si verò gradûs ſui ac dignitatis obliti, parum honeſtè ſe, dignèque eo quem ſuſtinent loco gerant, vitiorumque contagione corripi ſe patiantur, eâdem morum corruptelâ ſubditos inficient, qui libertatis vt plurimum viuendique licentiæ auidi, ad vitia facilè dilabuntur, & ſpecioſo Principum exemplo, quidlibet ſibi permittunt, ſeque veniâ dignos autumant, ſi ſuorum facta moderatorum conſectentur. Adeò verum eſt, Principes non ſibi ſolis, aut bonos vnquam eſſe, aut malos.

Principes ſibi ſolis nec boni vnquam ſunt, nec mali.

IV. Alexander Magnus inflexâ nonnihil & curuâ erat ceruice, capite in alterum humerum aliquantulum depreſſo etiam corporis vitio laborabat Alphonſus Aragonum Rex: vtriuſque aulici (vt referunt qui horum Regum vitas ſcripſerunt) ad ſui imitationem Principis, torto incedebant collo, & obſequij quoddam genus ducebant, eorum etiam deformitatem in ſe aſſumere. Æthiopes verò non ſolùm cum balbutiente Rege balbutiebant, eiuſque impedimentum linguæ in ſe referebant, ſed ſi quem haberet in vultu næuum, ſimilem ipſi ſuæ inurebat faciei, imò, ſi Rex caſu aliquo claudus redderetur, alterum ſibi crus ſponte debilitabant, vt non fictè, ſed ſeriò cum Rege claudicarent. Tanti apud eos erat Regis imitatio. Quod hic in corporibus accidit, idem multo magis euenire ſolet mentibus. Si Rex ani-

Regum vitia tranſeunt in ſubditos.

Mira Æthiopum conſuetudo.

mum vitiis commaculet, næuos eâdem operâ & maculas ſubditorum mentibus inuret. Si ipſe curuus, vt ita dicam, ſit moribus, parum ſcilicet probis & honeſtis, hi nunquam rectum & honeſtum ſeriò amplectentur. Si denique Rex in pietate, iuſtitia, continentia, cæteriſque virtutibus claudicet, claudicabit cum Rege Reſpublica.

V. *Claudicante Rege, claudicat Reſpublica.* *Antigonus Zenonem ad ſe inuitat.* Hinc præclarus ille Macedonum Rex Antigonus, cùm perſpiceret quanti ad bonum ſubditorum, eoſque in honeſtate vitæ continendos intereſſet, Regem omni virtutum genere eſſe inſtructum, Zenonem, qui magnâ integritatis ſapientiæque opinione Athenis tunc temporis florebat, ſolemni ad eum miſsâ legatione, in Macedoniam inuitauit, vt ab eo ſalutaribus Philoſophiæ præceptis ad virtutem inſtitueretur: Regem enim, inquit, ſi docueris, Regnum docueris vniuerſum. Antigoni Epiſtolam, cùm non parum ad rem præſentem faciat, hîc adſcribam:

REX ANTIGONVS ZENONI PHILOSOPHO SALVTEM.

VI. *Laërtius in vita Zenonis.* *Ego fortunâ, me quidem & gloriâ vitam tuam anteire existimo; cæterùm diſciplinis ſtudiiſque liberalibus, & perfectâ felicitate, quam tu poſſides, longè abs te præcelli ſentio. Quo circa te orare ſtatui, vti ad me proficiſcaris, id mihi, perſuadens, te preces meas minimè irritas fieri paſſurum. Tu igitur modis omnibus enitere vt tuo contubernio fruamur, certò ſciens, non mei tantùm, ſed omnium ſimul Macedonum eruditorem fore. Nam qui Macedoniæ Regem erudit, atque in virtutem imbuit, eum & ſubditos quoſque inſtruere ad fortitudinem & probitatem, certum eſt.* *Qualis Dux, tales ſubditi.* *Cuiuſmodi enim fuerit Dux, tales vt plurimum ſubditos fieri, neceſſe eſt.* Hæc ille.

VII. *Principis vita aliis viuendi norma.* Animaduertit nimirum vir ſagaciſſimus, ac boni ſubditorum ſtudioſiſſimus, vitam Principis aliis viuendi normam eſſe; eiuſque exemplo omnes ad probitatem, morumque honeſtatem facilè induci, virtutemque

quam

quam in eo cernunt, non grauatè amplecti. E contra verò, ſi quid in Principe vitioſum animaduertant, pronis illud animis excipiunt, eoque Duce in omne flagitiorum genus ſenſim prolabuntur, fitque paulatim ſub tali moderatore Reſpublica ferarum ſaltus potius, aut quoddam ſordidiſſimorum animalium ſtabulum, quàm hominum cœtus, aut ratione vtentium multitudo. Quâcunque igitur incedit viâ Princeps, ſequuntur turmatim ſubditi eiuſque veſtigiis inſiſtunt, veriſſimumque eſt illud Oratoris Romani dictum: *Vt cupiditatibus Principum, & vitiis infici ſolet tota ciuitas, ſic emendari, & corrigi continentia.* *Libro tertio de legibus.*

VIII. Ex his ergo, quæ ſuæ ſint partes, intelligit quiſquis ad Reipublicæ adminiſtrationem euehitur, quantamque in eo curam ponere ac diligentiam debeat, ſuos vt rectè mores inſtituat, ne parum honeſtè temperatèque viuendo; aliis ſit offendiculo, prauoque eos exemplo ad malum, ſuique imitationem prouocet, imò auctoritate quodammodo impellat: qui enim ſubſunt, eius, ſub cuius ſunt poteſtate, geſta, imperium quoddam interpretantur; & quod facit Princeps, iubet.

IX. *Quod facit Princeps, iubet.* Adde, quamuis hæc abeſſent omnia, nullumque ex deprauatis eorum, qui præſunt, moribus impenderet ſubditis periculum, rem tamen per ſe indignam videri, vt eò ſe dimittat Princeps, & ad ſumma natus tam vilia abiectaque amplectatur, ſuæque ſplendorem maieſtatis, quâ nihil eſt in terris auguſtius, vitiorum ſordibus inquinet atque contaminet. Antigono Antigoni, de quo proximè dictum eſt, filio, epulæ aliquando inſternebantur parum honeſtæ: tem vbi intellexit Menedemus Philoſophus, principem adiens, *Memento*, inquit, *eſſe te Regis filium*, & hac vnâ voce à luxurioſo illum conuiuio deterruit. Digna ſanè cogitatio, quæ omnium ſemper Regum ac Principum animis obuerſetur; digna, inquam, ſententia quam ſuo quiſque gerat diademati inſcriptam, gemmaque gemmis omnibus *Menedemus Antigonum quo pacto à luxurioſo conuiuio deterruerit.*

nibus quæ illud ornant, longè fulgentior?

X. Si ergo blandis voluptatum illecebris ad malum illici ſe ſentiat, meminerit ſe Regem eſſe, cui nimirum nihil niſi magnum, nihil niſi excelſum & ſublime conuenit: illud proinde curæ ei inprimis eſſe debet ne quidquam committat, quod tantam maieſtatem dedeceat, nec rebus tam fœdis ac vilibus ſuccumbat. Si naturæ tantùm humanæ conditionem ſpectans dixerit Philoſophus, *Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim mei corporis*; quantò magis dicere id debet, quem non tantùm natura hominem fecit, ſed ampliſſima dignitas ſummuſque honoris gradus ſupra hominum ſortem extulit: quantò, inquam, magis dicere debet, maiorem ſe eſſe, & ad maiora natum quàm vt abiectiſſimis hiſce voluptatibus ſe ſubiiciat, ſibique degener in brutorum ſe mores, ſordeſque transferat? Plura hac de re capite ſequente.

Indignum eſt Principem vitiis ſuccũbere.

Seneca Epiſt. 65.

CAPVT SECVNDVM.

Quiſnam cenſendus ſit verus Rex: quod verum Regnum.

I. ALiis Regem oculis vulgus, aliis Philoſophus intuetur. Hominum plerique, vbi quempiam purpurâ auro gemmiſque intextâ ornatum, ſceptrum manu geſtantem, diademate magnificè inſignitum, numeroſâque ſtipante ſatellitum catervâ incedentem conſpiciunt, Regem illico appellant, nec in eo quidquam ad ſummam illam dignitatem deſiderari exiſtimant. Philoſophus verò, qui non in externâ tantùm ſpecie oculos figit, ſed rem quamque ſuis expendit ac ponderat momentis, cunctaque ad plenæ ſynceræque diſquiſitionis calculos reuocat, hunc non Regem, ſed ſimulachrũ ſæpe atque vmbram eſſe Regis pronunciat. Non enim quicquid fulget, aurum autumat, eoſque omnes qui Regum

Diuerſa vulgi, & Sapientum de Regibus opinio.

Regum decorantur inſignibus, Reges ſtatim eſſe cenſendos. Nouit nimirum, ſub ſplendidâ & pretioſâ veſte animum ſæpe reperiri inopem, virtutibus ſcilicet, quæ ſolæ veræ diuitiæ ſunt, deſtitutum: ſub diademate libertatis teſſerâ cor frequenter contineri captiuum: ſub ſpecioſo denique Regis nomine non rarò latere mancipium. *Sub Regis nomine ſæpe latet mancipiũ.*

II. Non ex his ergo metienda dignitas Regia, ſub toto enim hoc, quo Regum corpora ornantur, apparatu, mens potior hominis pars manere poteſt vinculis, vt ita dicam, conſtricta; variis ſcilicet affectibus inordinatis, violentiſque motibus oppreſſa, & quaſi in ſeruitutem redacta. Huiuſmodi ergo, quiſquis eſt, licèt alij omnes Regis ei appellationem tribuant, ſummoque habeant in honore; vbi tamen oculos in ſe coniicit, ſuiipſius ſibi conſcius, nomen ſe Regis falsò vſurpare animaduertit, reipſa eo eſſe titulo indignum. Ad quam rem appoſitè S. Auguſtinus, *Malus, etiamſi regnet, ſeruus eſt: nec vnius tantùm hominis, ſed quod grauius eſt, tot dominorum quot vitiorum.* Quod vlteriùs declarans S. Ambroſius, *venit*, inquit, *iracundia, & dicit, meus es; venit ambitio, & dicit, meus es; veniunt omnia vitia; & ſingula dicunt, meus es.* Sic nimirum illum huc illuc pro libitu rapiunt, & ſuo ſubdunt imperio: dumque vnumquodque eum ſibi vendicat, miſerum in partes veluti diſcerpunt. *Malus, etiamſi regnet, ſeruus eſt. S. Auguſt. l. 4. de ciuit. c. 3. S. Ambr. ſerm. 12. in Pſal. 118.*

III. Quis ergo æquus rerum æſtimator hunc Regem appellet? quis non viliſſimum potiùs dicat eſſe mancipiũ, tot ſcilicet vitiorum ligatum catenis, tot compedibus grauatum, totâque mentis libertate exutum, ſibique quodammodo ipſi ereptum. Non abs re proinde locutus mihi videtur, qui dixit: *Claudia.*

Si metius, ſi praua cupis, ſi duceris irâ,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interiùs leges: tunc omnia iure tenebis,
Si poteris Rex eſſe tui.

Hinc

IV. Hinc Rex ille Antigonus, de quo, capite præcedente, miſeram Regum conditionem perpendens, qui vitiis laborant, & effrænatos animi impetus ſequuntur: *Verè*, inquit, *nobilem ſeruimus ſeruitutem, & hoc ſolum inter nos & alios ſeruos intereſt, quòd illi ferreis catenis vinciantur, nos aureis.* Vnde quamuis ipſe præclarus eſſet, Regumque ſui temporis gemma, ſe tamen non ad eum perueniſſe virtutis gradum exiſtimans, qui ad id muneris requiritur, & in tantâ relucere dignitate deberet, in publico nobilium conuentu ſceptrum & coronam (omnibus nouitate rei attonitis, mentiſque eius magnitudinem admirantibus) depoſuit, eaque obtulit digniori, ſe demum ſi id è re fore Reipublicæ ac ſubditorum bono iudicarent, in ordinem obtulit redigendum. Æquiſſimi animi vir, eoque Regno dignior, quò ſe exiſtimabat minùs dignum.

Pulchrum Antigoni Regis dictum.

Pulchrius eiuſdem Regis facinus.

V. Illi igitur ſoli Regis appellatio, honorque eam ſequi ſolitus debetur, qui animo Rex eſt, quique ſui potens, affectus omnes ita continet, ita intra æqui rectique limites coërcet, vt nihil ſe indignum admittat vnquam, quodque tantæ dignitati probro eſſe poſſit ac dedecori. Hic, inquam, Rex eſt, hoc regnum omnium perfectiſſimum. *Latiùs regnes auidum domando ſpiritum, quàm ſi Libyam remotis Gradibus iungas, & vterque Pœnus ſeruiat vni.* Iſtud verò quiſquis non habet, quantumuis maxima etiam regna in ſuam redigat poteſtatem, deque potentiſſimis Regibus triumphet, hunc ſibi honoris titulum iure adſciſcere non poteſt. Quare, vt ait Seneca, nec Alexander tot Regum ac Gentium domitor, hoc nomen merebatur, quippe qui iræ aliiſque indignis Rege vitiis tam ſæpe ac turpiter ſuccubuit. *Id enim egerat*, inquit, *vt omnia potiùs in poteſtate haberet, quàm affectus.* Rectè proinde dixit alius, ſi tamen alius:

Alexander Magnus non vocandus Rex.

Seneca.

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyria color,
Non frontis nota Regia,

Non

Non auro nitida trabes,
Mens regnum bona poſſidet.

Huic rei congruit pulchrum illud Plutarchi dictum: *Deus*, inquit, *duo fecit ſimulacra ſui, in Cœlo ſolem, in terris Regem.* Vt Plutarchi hac de re diſcurſum, qui aliò tendit, omittam: Rex & ſol, vt Deum ita ſeſe inuicem in variis referunt: duo ſolummodò proferam, breuitatis memor, quam mihi in hoc opere ab initio præfixi. VI. *Sol & Rex ſimulacra Dei.*

Sol itaque in ſe primò, mox in rebus aliis lucem producit: ita Rex, qui Sol quidam terreſtris eſt, ſummo ſtudio eniti debet, vt in omni virtutum genere excellat, & in ſe luceat, vt hoc modo aliis præluceat, & ſicut Sol in ſtellas, ita ipſe in ſubditos, lucem transfundat. Secus nihilominus faciunt nonnulli, nec ſuæ exiſtimationi, nec Reipublicæ bono, nec dignitati Regiæ conſulentes. Alios in honeſtate morum vitæque integritate viuere volunt, vitam interim parum honeſtè inſtituunt ipſi, ſed ſe ſordidiſſimorum animalium inſtar, in voluptatum cœno turpiſſimè volutant. Aliis frenum iniiciunt, ſeueriſſimiſque coërcent legibus, ipſi frenum omne excutiunt, datiſque habenis, quò eos cunque libido rapit, pro libitu feruntur. Limites aliis præſcribunt, nullis ipſi contineri ſe limitibus patiuntur, ſed ſibi, quicquid libet, licere volunt. Denique cæteris iura dant; ipſi, iure omnia an iniuriâ faciant, nil penſi habent. *Aliis iniqui iudices, æqui ſibi.* Hi non Dei ſimulachra, ſolique nobiliſſimo ſideri, & cœlum iuxta ac terram iucundiſſimis ſemper radiis colluſtranti ſunt ſimiles, ſed diri quidam Cometæ, calamitates maximas, ipſamque adeò ruinam regnis ſuis prænunciantes, & verò, vt præcedente capite dixi, noxio flagitioſæ vitæ peſſimique exempli influxu ſæpiſſimè inferentes. VII. *Rex Sol quidam terreſtris.* *Reges praui, non ſoles, ſed Cometa.*

Alterum in ſole ad rem præſentem eſt, quòd ſol temporis moderator, &, vt ita dicam, arbiter, ordinatiſſimo, vt videmus, modo curſum ſuum peragat, ſtataſque diei ac noctis, hyemis, æſtatis, aliarumque anni partium VIII.

Vt Sol annorum, ita Rex animorum eſt arbiter.

vices conſtante ſemper varietate diſtinguat. Vt ſol temporum, & annorum, ita Rex animorum eſt arbiter: qui proinde vt rite munus hoc ſuum obeat, reſque ad ſubditorum gubernationem recto ordine adminiſtret, id ei maximè curæ eſſe debet, nihil vt in ſe habeat inordinatum, ſed mentem priùs ſuam, & affectus omnes motuſque prauos frenet, atque cohibeat, ſeque ſibi ſubiiciat. Rex quippe ſi animum habeat perturbatum, cùm ipſe *animus* ſit *Reipublicæ*, eâdem operâ hanc turbabit, nec eam tranquillè vnquam adminiſtrabit, ſi ipſe agitetur tumultibus.

Princeps animus Reipublicæ.

IX. *Ars artiū regere poſſe ſeipſum.*

Hinc conſtat Regis nomine minùs dignum eſſe eum, qui regere nequit ſeipſum. Si verò hoc nôrit, artemque hanc artium didiſcerit, ſuique in omnibus iuris ſit, quãtumuis vulgo abiectus ac vilis habeatur, Rex eſt, & hoc titulo longè digniſſimus. Concludo igitur cum veriſſimo illo Philoſophi effato: *Maximum imperium eſt imperare ſibi.*

CAPVT TERTIVM.

Non ad Reges tantùm & Principes, ſed ad omnes omnino homines, pertinent Philoſophiæ Moralis præcepta.

I. *Lib. 3. de beneficiis, cap. 18.*

NVlli præcluſa virtus eſt, inquit Seneca, *omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, ſeruos, Reges, exules.* Nullum ergo hominum genus aſpernatur virtus, nullius ſocietatem refugit aut conſortium. Non in amplis tantùm ædibus, auroque & marmore fulgentibus habitat, ſed in anguſtis etiam tuguriolis commoratur, nec minori ſibi honori ducit viliiudui lacernâ, quàm purpurâ, vtque Regum ſceptra, ita pauperum raſtra, aliaque ruſticana inſtrumenta, vbi res ita tulerit, ſummâ cum iucunditate tractat. Denique, *non indecorus ei puluis* videtur, non tantùm qui

manus

manus cum hoſte conſerendo, ſplendidiſſimamque reportando victoriam, ſed qui agros etiam colendo, viliſſimaque obeundo officia, contrahitur. Hinc idem Seneca alibi virtutem, ſi quis eam inquirat, in omni loco & hominum conditione, repertum iri affirmat. *Virtutem*, inquit, *in templo inuenies, in curia, in foro, pulverulentam coloratam, calloſas habentem manus*: &c. *Virtus in omni loco, & hominum conditione reperiri poteſt.*

Cùm itaque ad omnes ſpectet virtus, omnium etiam intereſt ne in hac morum diſciplinâ virtutis indagatrice, rudes penitus ſint, & ignari; ſed quæ hominis præ rebus aliis dignitas ſit & præſtantia perpendentes, nihil eâ indignum prȩſtent, nec prauis abducti cupiditatibus, ſuæ viuant naturæ degeneres, brutorumque ſimiliores quàm hominum. *De beata vita, c. 7.* II. *Scientia virtutis indagatrix, ad omnes pertinet.*

Oculos proinde in ſe quiſque coniiciat, hominemque ſe eſſe meminerit, non corporis ſcilicet mole tantummodò conſtantem, ſenſuumque præſidio (quod ei cùm cæteris animantibus commune eſt) inſtructum, ſed cui horum omnium mens inſit moderatrix, animuſque intellectu præditus, cui corpus ſubſit, quique actus omnes hominis & affectus ad rationis normam exigat, vt ordinati procedant. Id ergo curæ omnibus eſſe debet, vt pars quæque ſuo rectè munere fungatur, vt nimirùm præſit anima, ſibique corpus ſubiiciat, & ita in officio contineat, vt nihil aduerſus eam moliri, rectumuè hominis regimen (quod vnius animæ munus eſt) interturbare poſſit. Sin autem, remiſſius partes ſuas agente animâ, inſoleſcere corpus incipiat, ſenſuſque dominari rationi, nihil deinceps ſperari ordinatum poteſt, ſed peſſum paulatim ibunt omnia, rectaque adminiſtratio penitus labefactabitur. III. *Animæ munus eſt præeſſe, corporis ſubeſſe.*

Non inſcitè proinde homo ſtateræ conferri poteſt, in qua dum lanx vna attollitur, altera eâdem operâ deprimitur: ſic ſuo perſiſtente loco animâ, iuſque ſuum retinente, ſuccumbit corpus, eiuſque in omnibus nutui & arbitrio ſubiacet: ſi verò freno excuſſo, attollatur IV. *Homo ſtateræ ſimilis.*

corpus, parſque hominis ſenſitiua ſupra rationalem eleuetur, deprimitur anima, deque gradu ſuo ac dignitate deiicitur, ac terræ affixa, nihil excelſum, nihil ſublime, nihil ſe dignum cogitat, ſed terrea quodammodo ac plumbea affecta, in imfimis hiſce ſopita & ſepulta iacet.

V. Triplicem homini vitam tribuunt Phyſici. *Viuit*, inquiunt, *vitâ plantæ, vitâ Animalis, & vitâ Hominis.* Tres etiam has vitas (ſi tamen vitas (priores enim duæ, in morali hominis conſideratione, mors potiùs quædam, vt mox oſtendam, cenſendæ ſunt quàm vita) in hominibus reperiunt Ethici. Quidam ergo vitâ tantùm *Plantæ* viuunt, affectibus nimirum veluti radicibus quibuſdam in terrâ fixi, inde ſuccum omnem quo eorum mens vegetatur quaſi & alitur, hauriunt. Toti proinde rebus hiſce ante pedes poſitis inhiant, in iiſque felicitatẽ ſuam omnẽ ac beatitudinem collocant, itaque mordicus adhærent. vt nullâ ab illis ratione auelli poſſint, nec cogitationes tantillum à terrâ attollere. Fuſiùs de hoc hominum genere agam poſtea, Diſp. 7. Capite primo.

Homines quidam ſolùm viuunt vitâ Plantæ.

VI. Alii vitâ viuunt *Animalis*, cibo ſcilicet & potu ſe ingurgitant, fœdiſque indulgent voluptatibus, ac tum demum beatè ſecum agi exiſtimant, dum in his ſe ſordibus volutant. Si verò contigerit aditum iis ad abſcænitates haſce & ſpurcitias intercludi, vehementi ſtatim corripiuntur dolore, ſeque mortalium miſerrimos eſſe dictitant. De quibus proinde veriſſimè Seneca; *Non ipſi voluptatem, ſed ipſos voluptas habet: miſeri, deſeruntur ab illâ, miſeriores ſiobruuntur.*

Alij vitâ animalis.

De beatâ vitâ.c.14.

VII. Hi ergo, quantumuis, dum fictâ hâc & fucatâ dulcedine fruuntur, felices ſibi videantur, eos tamen ne quidem viuere aſſerit Philoſophus, vtpote quorum anima mortua ſit, & in hiſce ſordibus putreſcat: quos proinde ad vitam reuocare, ſibique denuo reſtituere, omni modo conatur. Docet cum Platone, hominem eſſe *Arborem inuerſam*, animumque non è terrâ, ſed è cælo alimentum trahere debere. Iubet, ſuam ipſi formam corpo-

Neutri tamen viuunt.

Homo Arbor inuerſa.

orporis & figuram inſpiciant, quos ſcilicet Natura, non prono in terram vultu, vt animalia cætera, ſed capite erecto procreauerit, oculiſque apto ad ſuperna contuenda loco ſitis, vt illis animum oblectent, eorumque amore à terrenarum rerum affectu appetitioneque abducantur.

Os homini ſublime dedit, Cœlumque tueri *Metam.1.*
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cordis etiam ſui quiſque fabricam intueatur; admonet, quod inferiore parte clauſum, & ex ſuperiore tantùm patens, documento omnibus eſſe debet cor non terrenis hiſce ac vilibus rebus aperiendum eſſe, ſed puriores è Cœlo quærendas delicias, quibus mens paſcatur, iiſque laxandum animum, ac totos cordis ſinus patefaciendos. Præ his ſordet quicquid oblectamenti terra corpori ſubminiſtrat, quod proinde cum fœdis illis homineque indignis delectationibus à quouis æquo rerum æſtimatore, animæ poſthabendum, ſolaque mens cum ſuis voluptatibus æſtimanda.

VIII. *Cordis fabrica hominem ad ſuperna inuitat.*

IX.

Quantum verò interſit inter aliquem corpori, turpibuſque eius cupiditatibus addictum, & alium qui ſpretis ſenſuum illecebris, mentem virtute, honeſtiſſimiſque inſtruit diſciplinis, ſuccinctè quidam apteque ad rem præſentem expreſſit Epitaphiis duorum paulò ante hæc noſtra tempora, vitâ ſibi ac moribus maximè diſſimilium, *Henrici Octaui* ſcilicet Angliæ Regis, & *Thomæ Mori*; quorum hic, Britanniæ decus, ob eximiam quam ſemper coluit pietatem, ſummumq; ingenii acumen, ac ſingularem in omni literaturæ genere ſcientiam, immortalem apud bonos omnes laudem eſt adeptus, atque ita vitam inſtituit, vt in corpore quaſi ſine corpore vixerit, & ab omni terrenâ concretione immunis: alter ventri & veneri deditus, totuſque carni & ſanguini immerſus, moles potiùs quædam corporea videbatur quàm homo ratione præditus, fœdiſque carnis voluptatibus vſqueadeo erat obrutus, vt ipſa etiam eius

Duo moribus ſibi ac vitâ diſſimillimi.

anima quodammodo in corpus videretur conuerſa. Epitaphia duobus breuiſſimis verſibus contexta, ſic ſe habent.

Epitaphium Henrici Octaui.	*Epitaphium Thomæ Mori.*
Hic totus Henricus iacet	*Viator, hic Mori eſt nihil.*

I Quiſquis *vitā hominis*, conformiterque rationi viuere exoptat (quæ prima omnibus cura eſſe debet) ſuæque dignitati naturæ conſulere, corpus menti ſubiiciat, portaſque animæ omnes, ſenſus, inquam, rebus hominem parum decentibus occludat, prauas denique ac peruerſas inclinationes propenſioneſque, quæ rationi obluctantur, homineſque frequenter tranſuerſos agunt, ſedulò coërcère ſtudeat, ac pro viribus extirpare: ſi enim hæc vitiorum fomenta nutriat, ægram trahet animam, & ab hiſce tineis exeſam: imò ab inteſtinis, quos fouet, hoſtibus, lethali ſæpe vulnere confixam.

Propenſiones praua, vitiorum fomenta.

II. Philoctetem ferunt, dum pharetram geſtat venenatis ſagittis plenam, ab vnā earum in pedem aliquando delapsā tam graue accepiſſe vulnus, vt curari nunquam potuerit, ſed inde ſit extinctus. Qui animam habet ab effrenatis iſtiuſmodi propenſionibus, ſeu paſſionibus occupatam, pharetram gerit ſagittis venenatis repletam, à quibus niſi ſe quamprimùm expediat, grauiſſima ei inſligent vulnera, certiſſimumque afferent exitium. Senſus ergo rationi ſubſit, corpus animæ, eamque velut Principem, Ducem, ac moderatricem agnoſcat, vtpote cuius corpus mancipium eſt, ac nihili præ illā faciendum. Rectè proinde Phauorinus, nobilis ſui temporis Philoſophus: *Nihil in terris magnum, præter hominem: nihil in homine magnum, præter mentem.*

Anima à paſſionibus occupata, pharetra eſt ſagittis venenatis plena.

DIS-

DISPVTATIO SEXTA.

De Fine Hominis.

DE natura ac notione finis, quid ſit, quas proprietates habeat, quem in cauſarum ſerie locũ ſortiatur, bruta agant nec ne propter finem, & id genus aliis, latè diſputaui in Philoſophia, Diſp. 23. Phyſicorum, & Diſp. 27. de Anima. Quiſquis ergo hæc cupit inde petere ea poterit: iſthic enim illa tantùm quæ moralia ſunt, & homini ad vitam rectè inſtituendam conducunt, pertractanda ſuſcepi, ſpeculationibus aliò remiſſis.

CAPVT PRIMVM.

Sitnè vniuerſim rebus omnibus finis aliquis conſtitutus.

OPus naturæ eſt opus Intelligentiæ: ita nimirum ordinatè cuncta, certiſque legibus procedunt, quaſi ſingulis vis quædam inſit intellectiua, quâ ad ſtatos, ſuæque congruentes naturæ fines dirigantur. Leuia ſurſum, grauia deorſum feruntur, ſeque loco ſuo conſtituere, conantur, vbi à contrariorum oppugnationibus ſecura conquieſcant. Rebus quippe à naturâ inditum eſt, & quidam veluti ſcopus præfixus, vt ſe conſeruent, ſuæque incolumitati ac perfectioni conſulant, ſicque dum ſingulæ rem ſuam priuatam ac bonum curant omnes curant publicam, bonoque proſpiciunt vniuerſi. *Opus naturæ eſt opus Intelligentiæ.*

II. Hinc acris illa inter ignem & aquam, reſque alias pugna, ac veluti de finibus diſceptatio: vt nimirum aduerſantium vires minuendo, ſibi ſuæque conſulant ſecuritati. Hinc etiam quædam ſeſe in præſentia contrarii roborant viresque ſibi per Antiperiſtaſin, vt aiunt, ad- *Antiperiſtaſis cui fini deſeruiat.*

 augent.

augent, totoque conatu ſe veluti ad prælium accingunt, vt irruentis hoſtis vim propulſent. Sic ignea exhalatio intra nubem frigidam concluſa, vt ſe faciliùs conſeruet, obſidentiſque impetum frigoris meliùs ſuſtineat, in arctiſſimum ſe locum colligit (virtus namque vnita fortior) eâque ratione ad certamen ſe præparat: vbi verò alij & alij vapores eam frigidi circumſiſtunt, ſeque conglobantes, vndique illam aggrediuntur, & vltimum quaſi minantur exitium, cum perſiſtere diutiùs non poſſit, omnes in vnum vires congregans, viam ſibi vi aperit, perque medios hoſtes perrumpens, fugâ ſibi conſulit, imminentique iamiam periculo eripit.

Virtus vnita fortior.

III. *Pars, ſuo poſthabito, totius bonum ſpectare debet.*

Quamuis autem res omnes ſuopte nutu perfectionem ſuam, integritatem, & incolumitatem ſpectent, velut finem ſibi à natura præſtitutum: ſicut tamen pars in humano corpore ſe pro hominis bono exponit, & ciuis pro ſalute Reipublicæ caput obiicit periculis, ita hæc omnia tanquam partes totius, & quidam, vt ita dicam, mundi ciues, fines ſuos priuatos fini poſtponunt vniuerſi, ſuâque vtilitate & commodo poſthabito, orbis incolumitatem curant. Sic ad vacuum, quod Natura tantopere abhorret, vitandum, grauia interdum contra innatam quam habent propenſionem, aſcendunt leuia deſcendunt, & naturalis rerum curſus, vt Naturæ deſeruiat, immutatur. Sed de his ſatis: ad Hominem pergamus.

Natura abhorret vacuum.

CAPVT SECVNDVM.

In quo finis Hominis conſiſtat.

I. *Primum in intentione, eſt vltimum in executione.*

PRimum in intentione, eſt vltimum in executione: cùm ergo id ſpectet Philoſophus, vt variis de vita & moribus traditis præceptis hominem ad finem aſſequendum iuuet, quis hic finis ſit, ſtatuendum inprimis decernit, ne in incertum tendat, & vagum ſcopum petens,

à vero

à vero aberret, dumque plures, vt aiunt, ſequitur lepores, nullum capiat.

Poëtas olim & Aſtrologos reprehendebat morum ille cenſor Diogenes, quòd hi cœli à terra diſtantiam, aſtrorum numerum & proportionem, Solis ac Lunæ labores, & id genus alia, illi Vlyſſis errores, Argonautarum nomina, & huiuſmodi ad vnguem noſſent, res tamen ad ſeipſos ſpectantes, quaſque ſcire multo magis eorum intererat, penitus ignorarent. Quod harum artium ſectatoribus vitio vertit Diogenes, idem longè potiori iure in pleriſque Philoſophorum reprehendere potuiſſet, qui naturæ arcana ſedulò inueſtigabant, de quantitate, de tempore de motu ac minutiſſimis quibuſque ad vniuerſi conſtitutionem ſpectantibus, acutiſſimè diſputabant; interim verò, dum aliarum rerum curioſi erant exploratores, ſeipſos negligebant, & foris oculati, domi cæci, ſibi ſuiſque rebus indormiebant. II. *Aſtrologos quo nomine reprehēdat Diogenes.* *Philoſophi antiqui foris oculati, domi cæci.*

Hinc mira inter antiquos de fine hominis diſſenſio, quæ tanta fuit, vt doctiſſimus Romanorum varro ducentas octoginta octo aſſerat fuiſſe hac de re olim ſententias, falſas omnes, & à ratione prorſus alienas. Veritas nimirum vna, viæ errandi infinitæ, & vbi à recto ſemel quis tramite deflexit, in varios ſe an fractus & labyrinthos implicat, dumque ſua ſibi quiſque ſomnia velut oracula proponit, & maximè ſibi ſapere videtur, maximè deſipit. III. *288. olim de Hominis fine ſententiæ.*

Quamuis autem in hoc fine aſſignando adeò eſſent inter ſe diſcordes, & ſinguli alium ſemper & alium ſuo arbitratu fingerent, in eo tamen omnes conſpirabant, hominis finem in beatitudine ſitum eſſe. Tota ergo lis eò deuoluebatur, in quo demum beatitudo conſiſteret: quam proinde quæſtionem ſequente diſputatione fuſiùs diſcutiam. IV. *Finem hominis omnes dicebāt eſſe beatitudinem.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

Qua in re ſita ſit hominis beatitudo.

De beata vita cap. prima.

V*Iuere omnes beatè volunt*, inquit Seneca, *ſed ad prouidendum quid ſit quod beatam vitam efficit, caligant*, Id nimirum hominibus vſuuenire ſolet, vt res non ad veritatis calculos, ſynceriqne examinis momenta exigant, ſed propriis omnia rationibus metiantur, quodque ipſis arridet maximè, id bonum beatumque eſſe pronuncient. Hinc de hominis beatitudine, tanta opinandi diuerſitas, dum ſuo quiſque penicillo eam adumbrat, & quæ lubet apponit lineamenta, Aurelij celebris illius pictoris inſtar, qui Deorum Dearumque vultus, quos in tabula efformabat, hominum, in quos ipſe maximo ferebatur affectu vultibus pingebat quàm ſimillimos. Præcipua eorum placita, beatitudinem ſcilicet in diuitiis, voluptate, & gloria conſiſtere, hîc refellam, vt erroribus reiectis, depulſiſque tenebris, veritas clariùs illuceſcat, veræque felicitatis notitia.

Cur olim tot diuerſæ fuerint de beatitudine ſententia.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm in diuitiis conſiſtat hominis felicitas.

I. *Quidam felicitatem ſtatuebant in diuitiis.*

NOn defuerunt ergo quidam (nec etiamnum fortaſſis deſunt) qui in opum copia & abundantia beatitudinem collocabant. Nihil proinde magis in votis habebant quàm accumulare diuitias, magnam auri & argenti vim congerere, atque amplas ſibi facultates quâcunque poſſent ratione, acquirere. Vnde ſicut Ægyptij, quo gradu Nilus excreſcebat, & ad columnam ibidem ad hoc ipſum ſitam adſcendebat, terræ eo anno fertilitatem, ita hi, quo gradu opes creſcebant in arca, ſuam felicitatem metiebantur. Imò nonnullorum mentibus

tibus ita hæc inſederat opinio, vt ipſos etiam Deos gerentes loculos, ac veluti bene nummatos pingerent (quod Phænicibus, ditiſſimo illi Syriæ populo in more fuiſſe aſſerunt) ne aut felicitatem ſine diuitiis conſiſtere poſſe faterentur, aut Deos ſtatuerent infelices: ipſumque adeò *Numen* cum *nummis* affinitatem habere aliquam exiſtimabant. *Phænices Deos pingebant gerentes loculos.*

II. Sed, vt rectè Seneca, *pecunia neminem diuitem facit*, nedum felicem; vtpote quæ non tam arcam nummis, quàm animum curis replet. Si ergo, vt optimè Cicero, *Beatitudo ſit ſecretus malis omnibus cumulata bonorum complexio*, Diuitiæ neminem reddere beatum poſſunt, quæ nimirum tantum ſecum ferunt ſolicitudinis, tantum moleſtiæ: quas proinde *doloris & curæ filias* meritò appellabant antiqui. Siquidem opum ſtudio quiſquis occupatam habet mentem, nullâ vnquam quiete frui poteſt, ſed ſummo animi angore, & curarum aculeis vrgetur. Vbi enim hominem ſemel peruaſit immodica habendi cupiditas, ſeque per venas, vt ita dicam, & viſcera hoc virus diffudit, ardentiſſimam in eo ſitim accendit, quæ nunquam extingui; nunquam expleri ac ſatiari poteſt, ſed incredibili eum ſemper æſtu diſcruciat. Veriſſimè itaque S. Proſper: *Diuitias qui habent, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inueniunt, ſine cura non ſeruant, ſine dolore non perdunt.* Quis ergo huiuſmodi hominem felicem exiſtimauerit? quis non potiùs maximè dixerit infelicem, & ſub fucatâ beatitudine veram contineri miſeriam? *Pecunia neminem diuitem facit Sen. Ep. 120. 3. Tuſc. qq. Diuitiæ doloris & curæ filiæ. Lib. 2. de vita contemplat. c. 13.*

III. Quod verò longè adhuc eſt deterius; vbi quis labore ſummo ac ſudore diuitias acquiſiuit, tantum abeſt vt eas poſſideat ac fruatur, vt in amplâ etiam fortunâ miſerrimus viuat, inter opes inops, in ſummâ rerum abundantiâ egenus, & Tantali inſtar in mediis vndis enecetur ſiti. Dum enim augentur diuitiæ, ſerpit paulatim, iiſdemque cum auro incrementis ſeſe in habentis animum inſinuat, & veluti oſſibus implicat vehemens *Auarus eſt inter opes inops.*

eiuſdem

eiuſdem amor ac tenacitas, creſcenſque ſenſim cum opibus auaritia totum hominem occupat, ac demum perditè adeò pecuniæ adhæret, vt aquam citiùs è pumice, quàm ex eo obolum elicias: imò quiſquis ab illo nummum extorquet, animam eâdem operâ è corpore ei euellere videtur. Denique parcus adeò fit ac ſordidus, vt quoties vel in ſeipſum expendere quidquam debet, in animi ferme deliquium incidat. Hic diuitias certè non poſſidet, imò ab iis poſſidetur potiùs, & in ſeruitutem redigitur, atque in ſummâ rerum copiâ viuit Iro pauperior. Quare Socrates acutiſſimus olim harum rerum inſpector, omnes in quocunque demum gradu ac dignitate ſiti eſſent, ipſoſque adeò Reges, ſi auaritiæ deditі eſſent, *Aurea* vocabat *mancipia*.

Rex auaritiæ deditus, aureũ mancipiũ.

IV. *Inopi deſunt multa, Auaro omnia.*

Hinc originem traxit dictum illud vetus: *Inopi deſunt multa. Auaro omnia*: vtpote in cuius poteſtate tam non eſt id quod habet, quàm quod non habet,

——— *Et congeſto*
Pauper in auro eſt.

V. *Auari deſcriptio.*

Nummos nimirum in arca veluti in larario concluſos ſeruat, iiſque tanquam Diis penatibus cultum ac venerationem exhibet: oſculatur, amplectitur blandis identidem verbis compellat, cor eos ſuum, vitam, animam vocitat. Nunquam ſolem ſibi occidiſſe autumat dum auri fulgor illius oculos perſtringit: nunquam ſtellarum conſpectum deſiderat, vbi varias pecuniæ particulas hinc inde in menſa intermicantes conſpicit: iis diem, iis noctem conſecrat: curas denique omnes & labores, ſeque ipſum eiſdem offert, & tantum non immolat, dum, vt dixi, fame ſe propemodum ac ſiti conficit, vt eos integros conſeruet. Rectè proinde dicitur, *Auarus nulli bonus eſt, ſibi autem peſſimus*: in ſummâ quippe affluentia viuit ipsâ miſeriâ miſerior, eſtque inſtar aſini, qui delicatiſſimas quaſque dapes & obſonia dorſo ferens, ex iis nihil guſtat nec attingit, ſed veſtitur carduis. Concludo ergo cum Poëta, qui rem hanc, auari-

Auarus nulli bonus, ſibi autem peſſimus.

que indolem optimè calluiſſe videtur:

Quid mihi diuitia, quarum ſi dempſeris vſum,
Quamuis largus opum, ſemper egenus ero.

Cor Gal.

Adde, immoderato opes acquirendi ſtudio plurimos immaturâ eſſe morte præreptos, ac dum ex diuitiis læta ſibi omnia promittebant, feliceſque ſe fore omina bantur, vitam in iis comparandis amittentes, miſerrimè extincti ſunt. Quot ſpe prædæ in hoſtium gladios incurrerunt, & quaſi ad voluntarium ruerunt interitum? Quot aliis modis, dum diteſcendi cupiditate innumeris ſe obiecerunt periculis, mortis ſibi occaſio fuerunt, vnaque diuitias & vitam amiſerunt? Plurima huius rei exempla nobis ſuppeditat antiquitas: vnum tantùm vel alterum, breuitatis causâ, producam.

VI. *Diuitiæ multis immaturæ mortis cauſa.*

VII. *Cyrum perdidit inſatiabilis cupiditas.*

Cyrus perſarum & Medorum Rex, Aſiâ ſubactâ, totum ſibi ſubiugauerat Orientem; ſed tot opibus, tantoque imperio non contentus, dum Scythiam inuadit, à fœmina, Tomyride ſcilicet Scytharum Reginâ, prælio victus, & cum ducentis perſarum millibus, ne nuntio quidem tantæ cladis relicto, interfectus, ſtultæ cupiditatis meritas pænas dedit, verumque in ſe dictum illud probauit:

Fortuna multis dat nimis, nulli ſatis.

Polycratis, Felicis dicti, miſer exitus.

Singulare etiam huius rei exemplum præbuit Polycrates Inſulæ Sami Princeps, ob ſummas, quas poſſidebat, diuitias, quodque ad nutum ei omnia fluerent, *Felicis* nomen adeptus: cui tamen immodica opum augendarum auiditas exitio fuit. Huic cum Orœte perſarum Satrapa, qui Sardibus præerat, graues interceſſerant inimicitiæ; cui proinde nihil in votis erat magis, quàm vt aſtu aliquo Polycratem in ſuam redigeret poteſtatem. Nouerat ingenium hominis diuitias accumulandi cupidiſſimum: ſimulat itaque ſe odium omne depoſuiſſe, & cum Polycrate rediiſſe in gratiam; opportunitatem inſuper eidem offerri indicat magnæ auri copiæ potiundi, ſi ſe Sardis transferat. Polycrates vbi

ſpem

Digitized by Google

ſpem lucri ſibi affulgere perſpicit, ad iter illico ſe accingit, nulliſque amicorum adhortationibus aut precibus impediri poteſt quo minùs eò proficiſcatur. Ad Orœtem cùm veniſſet, comprehenſus ab illo ſtatim, & in crucem actus, infami mortis genere vitam finiuit: documento omnibus futurus quàm parum felicitatis diuitiæ, imò quantum miſeriæ ſuis poſſeſſoribus afferant.

IX. *Aurum contemptum, ſaluti quibuſdam; obtentum, internecioni fuit.* Quo pacto autem generoſus auri contemptus ſaluti quibuſdam, vitæque conſeruationi fuerit; immoderatus verò eiuſdem amor mortem aliis attulerit, clarè demonſtrat facinus illud, quod ante annos fermè centum triginta in India contigit. Longiſſimum ibidem terræ tractum (prælio non ſemel deuictis Barbaris) ipſamque adeò ciuitatem Mexicanam, & naturâ loci, vtpote in medio ſpatioſiſſimi lacus ſitam, & incolarum numero munitiſſimam occupauerant, Duce Corteſio, quingenti circiter Hiſpani milites,

Exigui numero, ſed bello viuida virtus.

X. Hìc igitur ſedem figentes, ciuitati imperabant, ſuoque ritu omnia & arbitrio moderabantur. Indignè ferentes Indi à tam paucis, & manipulo tantùm hominum, ſibi iura dari, ſtomachari primò ac fremere; mox in apertum etiam tumultum ac ſeditionem prorumpere. Maximo ergo numero (ducenta erant hominum millia) vndique in Europæos irruunt, ſagittis, ſaxis, perticis, omnique, quod furor ſubminiſtrabat, armorum genere eos inuadunt, & loco pellere nituntur. Obſiſtunt interim fortiter Hiſpani, viriliqne pectore aggredientium impetum ſuſtinent, ac magnâ hoſtium ſtrage editâ, eoſdem ſtrenuè repellunt. Aliis tamen atque aliis ſine intermiſſione ſemper ſuccedentibus, ne reſpirandi quidem loco obſeſſis relicto, in ſummum adducti ſunt diſcrimen, metuſque erat, ne numero oppreſſi, perpetuiſque fatigati incurſibus, ad vnum omnes trucidarentur. *Virtus preſſa, non oppreſſa.*

Corteſius

Corteſius vbi eò loci rem eſſe videt, vt vel ex ciuitate excedendum ſit, vel iugula hoſtibus præbenda, ingentem auri vim, quam ex variis Indiæ partibus collegerat, militibus permittit. Pleríque aurum magno animo contemnunt, de vitâ tantùm & gentis ſuæ gloriâ ſoliciti. Nonnulli, prout cuiuſque ſuggerebat affectus, ex illo auri cumulo quantum viſum eſt, capiunt; & hoc modo onuſti, ſociis ſe adiungunt, impedimento iis futuri potiùs quàm adiumento. Agmine ergo facto, per medios hoſtes prorumpunt, obuios quoſque obtruncant, viam ſibi vi faciunt. Cùm ad lacum ventum eſſet pontes omnes à Barbaris (qui hoc pacto nomen ſe Hiſpanum in Indiis deleturos arbitrabantur) fractos vident. Omnibus itaque in aquas inſiliendum fuit: vnde qui aurum contempſerant, leues & expediti facilè emergunt, incolumeſque ad vlteriorem ripam perueniunt. Qui verò auro ſe onerauerant, pondere illo grauati ac depreſſi, miſerum ſanè in modum aquis omnes ſunt ſuffocati; atque ita tandem quàm carò illa ipſis conſtaret auaritia, malo ſuo didicerunt. XI. *Diuerſa hominum indoles.* *Miſer nonnullorum interitus.*

XII. Meritò proinde S. Chryſoſtomus diuitias vocat *homicidas*, vtpote quæ tantas vbique gentium ſtrages ediderint, fuerintque tot hominum mortis reæ. Iure etiam meritiſſimo S. Chryſologus *auri cupiditatem ſæuum hoſtem* appellat, qui ſcilicet *amando lædit, nudat ditando.* Tot ergo ſiniſtris aliorum caſibus edocti, diſcant mortales coaſeruandis diuitiis modum aliquando ponere, frenumque indomito huic appetitui, qui homines, etiam moderatos, ſubinde tranſuerſos agit, iniicere. *Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit.* Diſcant intra æqui rectique ſe limites coercere, & eorum, quos impotens habendi ſtudium in tot mala præcipites dedit, exemplo admoniri, hunc in ſe ardorem moderari, & extinguere conentur, ſibique diuitias, non ſe diuitiis ſubiicere, dicti illius memores: *Opes ſapienti ſeruiunt, ſtulto imperant.* *Diuitiæ homicidæ.* *Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Oſtenditur vlteriùs, felicitatem in diuitiis non conſiſtere.

I. *Diuitiæ vitiorum origo.*

NIhil verò magis obſtat, quo minùs in diuitiis ſita ſit hominis felicitas, quàm quòd ex iis omne flagitiorum genus, velut è fonte, dimanet, magnoque humani generis malo propagetur. Vbi enim opum copia, vitia turmatim irruunt, ac pari cum iis paſſu procedunt; aurumque, quod corporibus medicina interdum eſſe ſolet, mentibus fit venenum, & omni eas morborum genere inficit atque corrumpit. Hinc tot fraudes, tot aſtutiæ, tot doli, tot artificiosè contextæ machinationes, quibus ſeſe inuicem homines circumueniunt, dum, vt fit, creſcente cum nummis, eorum cupiditate, quiſque per fas vel nefas opes augere ſuas contendit, vel cum aliorum detrimento. Hinc etiam tot furum, latronum, graſſatorumque, vias publicas obſidentium, infeſtaſque tranſeuntibus reddentium multitudo, qui obuios quoſque ſpoliant, rebuſque diteſcunt alienis: quorum finis meritò funis eſt, & centrum patibulum.

Aurum corporibus medicina, mentibus venenum.

II. *Naſcitur ex opibus ſuperbia.*

Ex hac proterea radice profluit factus, animique elatio, qua homines opulenti, de ſe magnificè, de aliis abiectè ſentientes, eos quibus anguſta res eſt, deſpectui habere ſolent, & cum quodam faſtidio intueri. Hominem interdum videbis, qui dum in tenui fortunâ degeret, ſummâ erat animi moderatione, nihil altum aut tumidum præ ſe ferebat, ſed comunẽ ſe omnibus præbebat & affabilem: vbi verò ad opum abundantiam, & amplas peruenit facultates, alium ſtatim induit vultum, alio incedit paſſu, alius ei verborum tonus, alia vocis inflexio; totus denique oris & corporis habitus mutatur, ac ſtolidâ, quam de ſe concipit, opinione, ita euaneſcit,

neſcit, ita elato graditur ſupercilio, quaſi vix hominem ſe, nec ex eâdem cum reliquis argillâ factum exiſtimet, ſed cum ſtulto illo Perſarum Rege, ſiderum affinem, Soliſque ac Lunæ fratrem. Qua de cauſa S. Auguſtinus ſuperbiam vocat diuitiarum vermẽ: *vnicuique* (inquit) *ligno, & plantæ, ſuus innaſcitur vermis; vermis autem diuitiarum eſt ſuperbia*, qui ſcilicet animũ ſenſim exedit, & carioſum reddit, virtuteque omni caſſum planè & vacuum. *Saboris Perſarum Regis ſtultitia.*

III. Ex eodem fonte, nempe diuitiarum copiâ, procedit luxus, viuendique licentia, ac morum diſſolutio, legum denique omnium contemptus, & huiuſmodi alia, quæ quantumuis bene conſtitutam Rempublicam penitus euertunt. Vnde non abs re loquutus videtur Bion Philoſophus, dum diuitiarum amorem vocauit *omnis improbitatis metropolim*. *Diuitiarum amor, omnis improbitatis Metropolis*

IV. Quæ omnia breuiter eleganterque complexus eſt S. Chryſoſtomus his verbis: *Diuitias dico luxûs omnis, ac nequitiæ parentes, intemperantiæ omnis ac libidinis patronas, vitij omnis inuentrices, exitioſarum omnium voluptatum adiutrices, continentiæ hoſtes, pudicitiæ inimicas, clandeſtinas virtutis omnis fures.* Nec minùs neruoſè in eandẽ rem S. Baſil. *Quouſque* (inquit) *ſtudio aurũ erit, animarum laqueus, mortis hamus, peccati illecebra? Quouſque diuitiæ bellorum parentes, ob quas arma cuduntur, enſes acuuntur? Propter opes ſolitudo pradones alit, mare pyratas, vrbes Sycophantas*, &c. *Aurum animarum laqueus, mortis hamus.*

CAPVT TERTIVM.

Ex aliâ diuitiarum conditione probatur, in diuitiis ſitam non eſſe hominis felicitatem.

I. QVamuis autem hæc, quæ diximus, mala in diuitiis non reperirentur, ipſa tamen opum inconſtantia obſtat quo minùs homines reddere felices queant. Felicitas firma ſit oportet ac ſtabilis: diuitiæ fluxæ ſunt & caducæ, *Lubrica opum conditio obſtat felicitati.*

Digitized by Google

caducæ, & quantumuis amplæ & copioſæ, momento amitti poſſunt. Qua de causâ, à nonnullis flumini, ab aliis vento, fumo, pulueri, vmbræ, inſomniis comparantur. Diuitem proinde Ariſtoteles Chamæleunti docet eſſe quàm ſimillimum: vt enim hic colores, ita is fortunam frequenter mutat, & de magno paruus, de opulento inops redditur, ſicque hoc ipſo beatitudinem in diuitiis conſiſtere non poſſe pronunciat.

L. 1. Mag. Moral.

II. *Diuitiæ cur dicantur bona Fortunæ.*

Hinc etiam opes dicuntur *Fortunæ bona*, vtpote non minùs quàm illa, lubricæ, & momentis ſingulis mutabiles, atque infinitis caſibus obnoxiæ. Nummos, exempli causâ, habet quis magno numero domi reconditos, quos ſummâ curâ ac diligentiâ cuſtodit: ingrediuntur clanculum fures, eumque hac curâ liberant. Domum incolit alius amplam & ſplendidam, eiuſque ſe pulchritudine & magnificentiâ mirè ſolatur: ſubitò conflagrat, vnaque cum ea ſolatium in cineres abit. Maximas mercator quiſpiam diuitias ex variis orbis plagis nauibus ad ſe deuehendas expectat, quibus receptis, ſummã ſibi felicitatem pollicetur: oritur tempeſtas, ac naues demergit, ſicque & opum, & felicitatis naufragiũ facit. Quare cuidam de multis, quas habebat, nauibus glorianti, ſeque hoc nomine felicem prædicanti, rectè lacon quidã reſpondit, *nihil ſe eam facere felicitatem, quæ pendet à funibus*; quam ſcilicet tot impedire caſus poſſunt & euertere. Leuis nimirum felicitas, quam ventus difflat: inconſtans, quæ cum aurâ mutatur: miſera, quæ iactari fluctibus poteſt: nulla, quæ aquis poteſt ſubmergi.

Laconis cuiuſdam dictum.

III. Nihil verò clariùs demonſtrat quàm fallaces & fluxæ ſint diuitiæ, quamque parum conuenienter in iis ſtatuatur felicitas, quàm quod Soloni cum Crœſo contigit. Acceſſiuit aliquando Athenis Solonem Crœſus Lydiæ Rex, ob ſummam opum abundantiam ſuo tempore toto orbe nominatiſſimus. Ad Regem cum veniſſet, palatium videt ſumptuoſiſſimo apparatu ad ſtuporem ornatum. Veſtiebant parietes aulæa pretioſiſſima ex

Plutarchus in vita Solonis, circa finẽ.

opere

opere Phrygio artificioſiſſimè elaborata, auro hinc inde gemmiſque intertexta: ſtabant magno numero aureæ argenteæque menſæ, lecti quoque eburnei textilibus & picturatis ſtragulis coöperti: nec quidquam omnino ad ſplendorem deerat & magnificentiam. Theſauros deinde omnes eidem oſtendi iubet Crœſus: nihil denique omiſſt, quo Philoſopho admirationem moueret, tantarumque diuitiarum ſtupore defixum teneret.

His peractis, Solonem interrogat, ſicubi hominem quempiam feliciorem vidiſſet. Solon, qui non auro & argento, externoque corporis, ſed interno mentis apparatu felicitatem metiebatur, Tellum ei quendam nominat, pauperem illum quidem, ſed honeſtate morum laudatiſſimum, qui poſt vitam integerrimè tranſact m, diem obiens, magnam apud omnes ſui exiſtimationem reliquerat. Obſtupuit hoc audito Rex, eumque parum ſanæ mentis arbitrabatur, qui egenum opulento, plebeium Regi, Tellum Crœſo anteponeret. Rurſus tamē ex eo quærit, num præter hunc, alium noſſet, qui ſe in felicitate ſuperaret. Solon Cleobem ſe noſſe, & Bitonem, reſpondit, Fortunæ eos non admodum amplæ, animi tamen opibus ditiſſimos, quique cum ſummâ virtutis opinione diem clauſerant extremum. IV. *Solonis cũ Crœſo colloquium.* *Tellus, Cleobes, & Bitô Crœſo feliciores.*

Excanduit videlicet Crœſus, commotoque vt erat, animo, me nè ergo, inquit, inter beatos non omnino numerandum cenſes? Tũ Philoſophus: ſummas tibi opes, Rex, Fortuna largita eſt; ſed memineris, Fortunæ eas munus eſſe, vitreoque cum illa globo inſiſtere. Amplæ ſunt, ſed ambiguæ, lautæ, ſed lubricæ; nihil autem lubricum ſimul & beatum eſſe poteſt. Qui tibi modò fulget ſol, nubibus obtegi poteſt, quæque nunc ridet Fortuna, frontem contrahere. Manè ſerenum veſper ſæpe excipit procelloſus, nec minus humana vita, quàm vniuerſum, lucis & tenebrarum, diei & noctis, æſtatis & hyemis patitur viciſſitudines. Nihil hîc firmum & ſtabile. Nullus tam diues, quin ad inopiam redigi poſſit. V. *Opum inconſtantia declaratur.* *Manè ſerenũ veſper ſæpe excipit procelloſus.*

Opes habes, ſecuritatem non habes. Facultates itaque quas nunc amplas & copioſas poſſides, defluere rurſum poſſunt, & in alterius tranſire poteſtatem, felicitatis nomine vel hoc nomine indignæ.

VI. Hæc Solon: ſed ſurdo canebat, Crœſo etenim præſenti rerum ſtatu occæcato, ſomniorum inſtar ſunt viſa citiuſque cælum ruiturum exiſtimabat, quàm ſe è tantis opibus, excelſoque illo honoris gradu deturbandũ. Salutaria ergo illa Philoſophi monita contemnens, & alia omnia cogitans, Solonem, non ſine honore tãtùm, ſed, vt *veritas odium parit*, offenſo etiam eidem animo dimiſit. At dum felicem ſe, & extra omnem Fortunæ iactum conſtitutum arbitrabatur, ſetâ tantùm equinâ capiti eius impendebat infelicitas. Cyrus quippe Lydiã inuadens, Crœſum prælio victum captumque diuitiis & regno exuit. Tum verò Solonem vera monuiſſe deprehendit, & eius conſilio aurem ſe præbuiſſe optabat, dictiſque obſecundaſſe. Sed *ſerò ſapiunt Phryges*: inflictũ iam erat vulnus; quod, ſi Solonem audire voluiſſet, vel præcaueri potuiſſet penitus, vel mollius ferire.

Veritas odiũ parit.

Serò ſapiũt Phryges.

VII. Iſta nihilominus Solonis recordatio, vitæ ei conſeruandæ cauſa fuit: dum enim, Cyro cum aliis ſpectante, pyram in qua combureretur, aſcenderet, ô Solon ter, quàm potuit maximè contentâ voce, clamauit. Hoc audito, quæſiuit ab eo Cyrus, quis ille Solon eſſet, quẽ vnum in eo rerum articulo nominabat: à quo de re totâ quæ ipſum inter & Solonem contigerat, edoctus, vitam ei donauit, inſuperque vel hominis, à tantâ fortunâ ad tantum infortunium prolapſi, commiſeratione permotus, vel quòd Solonis monita altiùs in eius mentem penetrarent, benignè eum apud ſe deinceps habuit, & honorificè tractauit.

VIII. Nihil ergo hîc fixum & permanens; ſed quicquid in tempore naſcitur, quandam cum tempore contrahit affinitatem, & fluxi aliquid in ſe continet, tranſitque cum tempore. *Mortale eſt omne mortalium bonum*, incertum,

Mortale eſt omne Mortaliũ bonum.

tum, inconſtans, fragile, & infinitis caſibus ſubiectum. Stultè ergo quiſquam in diuitiis felicitatem collocat, quæ tam facilè dilabuntur, & momento ſuum deſerunt poſſeſſorem. Opes non habitæ, ſed contemptæ, ad beatitudinem conducunt: & non auri copia, ſed aurea mediocritas felicem facit, & diuitem. Concludamus ergo cum Philoſopho: *Non qui parũ habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt:* & cum alio: *Qui deſiderium ſuum intra panẽ & aquam clauſit, is cum ipſo Ioue de felicitate contendat.* *Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Sen. ep. 2.*

DISPVTATIO OCTAVA.

Vtrùm in voluptate ſita ſit felicitas.

CAPVT PRIMVM.

Voluptariorum Opinio.

ALij ergo in Epicuri hortis enutriti, hanc de beatitudine contentionem ita definiunt, vt voluptati, corporiſque oblectamentis primas deferant: ſicque boni & mali, felicitatis & infelicitatis arbitrium ſenſibus permittunt. Summum itaque bonum voluptatem conſtituunt: eam, vitæ legem appellant, actionum humanarum moderatricem, votorum denique omnium ſcopũ: ſcopulum dixiſſent aptiùs, ad quem ſcilicet tot alliſi mortales miſerrimo naufragio interierunt. Imò verò, eò dementiæ illorum aliqui proceſſerunt, vt mirâ quadam apotheôſi voluptatem Deum facerent, aras illi ac delubra erigerent, & pretioſiſſima quæque eidem offerrent: ſtulti, qui rei tam vili ac ſordidæ Numen ineſſe crederent, brutaſque ipſas animantes ſibi ſtatuerent in felicitate pares? I. *Quidam boni & mali arbitrium ſenſibus permittunt.*

Eorũ qui in voluptate beatitudinẽ collocabant, plena ſunt antiquorũ monumenta: inter alios hoc nomine celeberrimus fuit Sardanapalus Aſſyriorum Rex, luxui libidinique vſque adeo deditus, vt ſui, dignitatiſq; regiæ, imò ſexûs oblitus, muliebri habitu inter ſcortorũ greges delitеſcĕret, penſa inter fœminas diſpẽſando, ac purpurã II.

Sardanapalus colo, quàm ſceptro, aptior. nendo, homo colo quàm ſceptro aptior. Suo inſuper ſepulchro hoc inſcribi Epitaphium, velut anteactæ vitæ teſſeram voluit, *Ede, Bibe, Lude*, quaſi aliud nihil ab homine magnopere appetendum foret: quod, vt rectè Ariſtoteles, bouis aut aſini ſepulchro perinde inſcribi poſſet. Huic non abſimilis fuit probrum illud Imperatorum Heliogabalus, ob prodigioſam libidinem, moreſque planè effœminatos, Sardanapulus ſimiliter dictus; ignominioſâ tandem, vt fœda eius ſcelera merebantur, morte ſublatus.

III. *Inſana cuiuſdam belluonis vox.* Audite inſanas alterius voces, in eo felicitatem omnem ſtatuentis, vt quis cibo ſe ac potu ingurgitet, abdominique & ventri indulgeat. Sic ergo loquitur apud Euripidem.

Ego nulli Sacrifico, niſi mihi,
Et ventri huic Deorum maximo:
Nam bibere & edere per integrum diem
Hominibus ſapientibus eſt Deus, nullâque
Seipſum afficere moleſtiâ.

Numquid ſus, aut animal quodque ſordidiſſimum, ſi loqui poſſet, tantundem diceret?

IV. *Philoxegruis ſibi collum optabat.* De hoc etiam grege fuit Philoxenus ille, cuius meminit Ariſtoteles tertio Ethicorum libro, capite decimo tertio, & obſoniorum gurgitem appellat. Hic gulæ deditus adeò fuit, vt collum ſibi gruis optaret, quò diutiùs ciborum guſtu delectaretur, cumque ex immodicâ edacitate in grauiſſimũ incidiſſet morbum, & acceſſiti medici paucas ei vitæ horas ſupereſſe dicerent; plus ergo inquit, cibi afferte, vt ſatur ad inferos deſcendam. En hominem brutum, imò brutis omnibus voraciorem.

V. *Mirus Sybaritarum* Omitti verò hîc non debent Sybaritæ, molliſſimus ille populus, & deliciarum, vt ita dicam, compendium. Hi omne in eo ſtudium ponebant, vt voluptatibus affluerent, optimeque de Republicâ meritus apud ipſos habebatur, qui nouum aliquod oblectamenti & luxûs genus excogitaſſet. Inter eos conuiuium inſtiturus, il-

los

los omnes quos ad id vocare decreuerat, anno antea monebat, vt veſtes, torques, coronas, aliaque ad perſonæ ſuæ ornatum ſpectantia pararent, quò ſplendidius epulas cohoneſtarent: Ipſe etiam conuiuii inſtructor anni integri ſpatium in exquiſitiſſimis vndique cibis conquirendis ponebat, vt conuiuas lautiſſimè ſumptuoſiſſimeque exciperet.

VI. *Sybarithæ gallos gallinaceos intra vrbem nutriri prohibebant.*

Artes præterea illas, in quarum vſu ſtrepitus edebatur, vt fabrorum, ærariorum, & huiuſmodi alias, extra vrbem exerceri iubebant, ne videlicet delicatæ eorum aures incondito illo ſonitu offenderentur. Edicto etiam publico interdixerunt, ne galli gallinacei intra ciuitatem alerentur, vt ſuauiùs dormirent, nec ſomnus nocturnis & intempeſtiuis eorum clamoribus interpellaretur. Tandem, nequid ad luxum & lætitiam deeſſet, equos ad tibium ſaltare docuerunt, vt non pedites tantùm, ſed equites choreas agerent: quod tamen iis ruinæ cauſa fuit; hoſtes quippe illorum Crotoniatæ, vt auctor eſt Ariſtoteles, vbi id reſciuiſſent vnà cum militibus tibicines in aciem eduxerunt, qui, cùm ad manus veniendum eſſet, tonum illum equis notum, tibiis inflarunt: eo audito, Sybaritarum equi, cùm ſeriò agendum eſſet, tripudiare cœperunt, ordineſque turbarunt: id videntes Crotoniatæ, in Sybaritas irruerunt, omnibuſque occiſis, luxum iis luctuoſiſſimum fecerunt.

Luxus eorum in luctum verſus.

VII. *Hæc etiam tempora ſuos habent Sardanapalos.*

Sed non ad antiqua tantùm tempora relegatum eſt hoc hominum genus: habet etiam noſtra hæc ætas ſuos Sardanapalos, habet Philoxenos: habet, inquam, complures perditè adeò voluptatibus deliciiſque addictos, ac mancipatos, quaſi ſpem omnem ſuam in iis felicitatemque reponant, & voluptuoſiſſimum quemque beatiſſimum iudicent. Illis proinde id vnum in votis, vt molliſſimè viuant, dieſque ſuauiſſimè prætèrlabantur. Nulla apud eos ratio honeſti: luxuriantur, frena laxant cupiditatibus, epulis indulgent, pergræcantur: nunquam illos ſol occidens ſobrios vidit, nec ipſi ſolem vnquam

quam viderunt orientem, claro adhuc die illis nocteſcit: ſed cùm internum animi lumen Eclipſin pridie ſit paſſum, noxque etiamnum mentem occupet, nil mirum ſi corporis oculis dies ſeriùs illuceſcat. Hi ergo homines blandis hiſce capti ac deliniti illecebris, vnicè felices ſe & beatos autumant: ſed perſonata tantùm eſt felicitas, quam proinde detractâ laruâ, ſuis hîc efficiam coloribus ac lineamentis appareat, veramque oſtendam eſſe miſeriam.

CAPVT SECVNDVM.

Confutatur hic voluptariorum error; oſtenditurque in deliciis felicitatem conſiſtere non poſſe.

I. *Amor haudæquus rerum arbiter.* QVàm cæca, *& inſana eſt humana natura*, vt rectè Plutarchus, *cùm affectibus fertur!* Id nimirum amoris proprium, vt menti tenebras offundat, faciatque vti rem quamque non æquâ lance perpendat, ſed pro affectu iudicet. Id in nullâ re magis quàm præſenti, contingit; homines quippe, ex innatâ quàm ad voluptatem habent propenſione, non ſeriò eam, & maturâ inſpectione perpendunt, ſed leui tantùm oculorum coniectu intuentur: ſicque externâ ſpecie decepti, illud dulce vocant quod eſt amarum, illud pretioſum quod eſt vile, illud ſolidum quod inane eſt ac futile, illud pulchrum quod eſt ſordidum, illud denique verum gaudium quod eſt præſentiſſimum animæ venenum.

II. Quàm autem inane quiddam ſit corporis voluptas, exinde conſtat, quòd in ſenſuum tantummodo titillatione conſiſtat, animum verò plenè non peruadat nec ſatiet ſed leuiter ſolùm per ſenſus perſtringat: & quantumuis ſtultis ſui amatoribus magni aliquid præ ſe ferre videatur nihil tamen in ſe ſinceri, continet ac ſolidi, ſed ſterile tantùm quiddam, quodque in fumum tandem

dem euaneſcit. Conferri proinde non inſcitè poteſt pomis Sodomæ, quæ foris ſpecioſiſſima, intus fuligine plena erant, & primò ſtatim attactu in cineres ſoluebantur: aut vuis Xeuridis, artificiosè adeò depictis, vt aues ad eas aduolarent; roſtroque comeſturæ appeterent: ſic mundi huius voluptatibus deluſi mortales, eas guſtaturi accedunt, ſed pictas inueniunt, & vmbratiles. *Voluptas pomu Sodomæ ſimilis.*

III. Nec verò nihil tantùm in ſe boni continent voluptates (quamuis hoc vnum ad eas felicitate excludendas ſufficeret, cùm beatitudo ſit *bonorum omnium complexio*) ſed multa etiam & grauiſſima mala complectuntur, ſuntque humano generi noxiæ inprimis & pernicioſæ. Primò ergo animum eneruant, omnique eum vigore deſtituunt. obtunditur per eas intellectus, languet voluntas, totus denique homo, omneſque eius facultates quadam veluti paralyſi occupantur: & quemadmodum corporea paralyſis, eum efficit membris captum, omneſque corporis partes ad munus ſuum exercendum inidoneas; ita voluptas internas animæ potentias ligat, mentemque effœtam reddit & languidam. Humi proinde iacet quiſquis eſt huiuſmodi, nec ad quidquam homine dignum aſſurgit. *Mala ex voluptate hominibus prouenientia.*

IV. Iratus Babyloniis Xerxes ob ſeditiones frequentes ac tumultus, armaque contra ipſum ſumpta, vbi eos plenè in ſuam redegiſſet poteſtatem, vt militares illo, Spiritus frangeret, iuſſit eos muſicam addiſcere, pulſare citharas, choreas agere, inſtituere conuiuia, & id genus alia: quibus rebus ita breui tempore mutati ſunt eorum animi, vt ex ſtrenuis timidi, ex bellicoſis imbelles, ex fortibus deſides fierent & ignaui. Cyrus è contra Perſas, qui montanam & aſperam incolebant regionem, vetuit eam pro planâ ac fertili mutare, quòd terræ ratio ac temperamentum in inhabitantium animos influat, & quâ portâ deliciæ ingrediuntur, robur mentis ac fortitudo exeat, homineſque effœminati euadant & ſocordes. *Xerxes Babylonios quo pacto reddiderit inertes.*

V. *Nulla capitalior. hominibus peſtiquàm voluptas.* Nulla ergo *capitalior peſtis hominibus à natura data, quàm voluptas,* vt optimè Orator Romanus, nulla quæ animæ interitum citiùs, nulla quæ occultiùs inferat, quippe quæ ſuauiter ſe ei inſinuans, venenum dulce ſpargit, & occidit: Sirenis inſtar, quæ canendo capit, blandiendo interficit. Eſt virtutis tinea, vtpote quam exedit & conſumit, hominemq; ornatu omni interno & *Magna corporis cura magna virtutis incuria.* cultu ſpoliat. *Magna* enim *corporis cura magna virtutis eſt incuria:* vbi autem deliciæ quenquam plenè obruunt, exulat penitus virtus, & extinguitur.

VI. Id verò in voluptate ſingulare, & inter præcipua quæ infert mala, numerari poteſt, quòd ſoporem neſcio quem hominum mentibus iniiciat, efficiatque vt ſui, atque omnium ad animi bonum ſpectantium, obliuiſcantur, ac veluti in perpetuo quodam ſomnio vitam tranſigant: vnde fit, vt dum in maximis etiam periculis verſantur, tutos ſe & ſecuros exiſtiment.

VII. *Voluptas letheis vndis animam irrigat.* Hoc aptè declarare videtur id quod non inſcitè finxerunt antiqui. Loca quædam amœniſſima ſtatuebant, deliciiſque omnibus affluentia, quæ *Campos Elyſios* vocabant: in his Lethen fluuium ponebant, cuius aquis aſſerebant eam vim ineſſe, vt bibentibus rerum omnium obliuionem inducerent. Hinc de animabus, iis in locis degentibus, Poëta:

——— Lethæi ad fluminis vndam
Virg. l. 6. *Securos latices, & longa obliuia potant.*

Sic qui ſe *Campos* quaſi quoſdam *Elyſios*, ac ſedem voluptatis faciunt, letheo flumine, hoc eſt, obliuionis vndis irrigantur, indeque hauriunt *ſecuros latices*, qui ſcilicet falſam iis ſecuritatem pariunt, quâ tunc felices ſe ac beatos autumant, cùm maxima iis imminet infelicitas.

VIII. *Plutarchus in vita Pompei.* Refert Plutarchus, Pompeium, nocte pugnam Pharſalicam præcedente (fatale ſcilicet illud inter ipſum & Cæſarem prælium, quo omnem anteactæ vitæ gloriam, & paulò pòſt vitam etiam ipſam erat amiſſurus) refert, in-

inquam, inter dormiendum ſomniaſſe ipſum, ſe in foro Romano extitiſſe, ibique ſummo populum applauſu, feſtiſque eum vocibus excipere, floribus inſuper illum ſpargere, omniaque lætitiæ ſigna ob reportatam de Cæſare victoriam edere; templa denique in eius triumphum adornare. Vnde Lucanus lib. de Ciuilibus Romanorum bellis ſeptimo, de hac ipsâ re ſcribens, & tam ſuauiter quaſi dormientem intuens, ſortemque eius miſeratus, eos qui excubias agebant alloquens, nullum edere ſtrepitum, nec tubam inflare iubet, ne illius ſomnum interturbent.

Ne rumpite ſomnos
Caſtrorum vigiles, nullas tuba verberet auras.

Hic ſtatus eſt, hæc conditio hominum voluptatibus ſeruientium, qui blandis deliciarum illecebris in ſomnum coniecti, cùm in præſentiſſimo verſantur periculo, & ingens capiti impendet calamitas, ſomniant ſe felices, ſomniant ſe proſperitate ſummâ, & ſecuritate frui. Et ſi vel amicus quiſpiam priuatim, vel diuini verbi præcones, qui vigiles ſunt Caſtrorum Eccleſiæ, hunc iis errorem euellere conentur, illoſque à tam pernicioſo ſomno excitare: ſi dicant, fictam tantùm & fucatam hanc eſſe felicitatem, veramque inde prouenturam miſeriam, breues ac momentaneas has eſſe delicias, & æternam parituras amaritudinem: ſi in memoriam iis reuocent vitæ incertitudinem, & quàm multi inopinatâ morte ſint extincti: ſi iudicii venturi ſeueritatem intonent: hæc & huiuſmodi ferre nullo modo poſſunt, ſed exclamant illico; *Ne rumpite ſomnos Caſtrorum vigiles:* Ne, inquiunt, hanc nobis inuideatis felicitatem, nec moleſtâ interpellatione quietem interrumpatis: *Nullas tuba verberet auras*: Nolite iudicii terrorem incutere, neque iſtiuſmodi terriculamentis negotium nobis faceſſere; ſicque præſenti dulcedine ineſcati, futuræque felicitatis obliti, *ducunt in bonis dies ſuos*, & dum ſanis aliorum monitis aurem præbere, & ad mentem redire nolunt,

IX. *Quidam ſe feliciſſimos autumant, dum ſunt miſerrimi.*

nolunt,

nolunt, in æternos ſe cruciatus ac tormenta momento præcipitant: de quibus appoſitiſſimè S. Gregorius; *Dum*, inquit, *amore temporalium flagrant, veram lætitiam volentes ignorant: quam ſi ſtudiosè cognoſcere quærerent, quàm flenda ſint gaudia quæ appetunt, viderent.* Nec minùs aptè S. Cæſarius: *Percutitur hac animaduerſione peccator, vt moriendo obliuiſcatur ſui, qui viuendo oblitus eſt Dei.*

S. Greg. l. 2. in Iob: c. 15.

S. Cæſar.

CAPVT TERTIVM.

Roſa voluptatis ſymbolum varia in illa reperi denotat vera felicitati contraria.

I. Circa magnum illum voluptatis patronum & aſſertorem *Epicurum*, duo obſeruarunt antiqui, primò, illum diſcipulorum & ſectatorum numero alios omnes, quantumuis magni nominis Philoſophos, multis gradibus ſuperaſſe. *Epicuri diſciplina*, inquit Lactantius, *multo celebrior ſemper fuit, quàm aliorum: non quia veri aliquid afferat, ſed quia multos populare nomen voluptatis inuitat.* Alterum quod notarunt, eſt; cùm à reliquis Philoſophorum ſectis nonnulli ſubinde recederent, vt à Platone & Academicis Ariſtoteles, à Cynicis Zeno, alii ab aliis: ex Epicuri tamen Diſcipulis nullus vnquam ad alios defecit, ſed magiſtri ſui dogmatibus, veluti oraculis omnes adhærebant, eaque apud ſe quiſque ad finem vſque vitæ mordicus tuebantur. Nec mirum, nam, vt rectè ibidem Lactantius, *Nemo nõ in vitia pronus*: cùm ergo ſuâ ſponte homines, & vehemente naturæ impetu ad voluptatem ferantur, facile eſt labentes propellere: ea quippe omnia, quæ ad illius adeptionem conferunt, lubenti animo & obuiis vlnis amplectuntur, eaſque ſolas præceptiones ſanas, homineque dignas exiſtimant quæ huic fini deſeruiunt.

Lactantius lib. 3. Diuin: Inſtitu. c. 17.

Nemo non ad vitia pronus.

At

At quam illi parum ſanè hâc in parte, homineque dignè philoſophentur, variis iam adductis rationibus oſtendi, ac modò vel Roſæ (quam ipſi ob ſingularem huius floris venuſtatem & fragrantiam, voluptatis ſymbolum ſtatuunt) exemplo euincam nullam veram in voluptate felicitatem, imò maximam infelicitatem reperiri. II.

Roſa proinde, eſto ſuauiſſimum ex ſe odorem afflet, eximiâque pulchritudine oculos intuentium oblectet, ac veluti radiis quibuſdam feriat, qua de cauſa, Regina veris, florum Phœnix, hortorum gloria, primum opus flore à nonnullis appellatur, mirifique decoratur encomiis de qua etiam Poëta: *Cum vere patre florum ſocianda laus roſarum. Roſa flos odorque Diuum, Hominum roſa eſt voluptas: decus illa Gratiarum*: illa ſit inquam vt voles pulchra, ſit ſpecioſa. ſit elegans, diuturna certè non eſt, ſed marcet illico ac tranſit, & penè dum floret, defloreſcit. Hinc Poëta alias: III. *Roſa encomia.*

Mirabar celerem fugitiuâ ætate rapinam,
Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.

Quo etiam fortaſſis alludebat vſurpatum toties ab antiquis Adagium; *Roſam vbi præterieris, eam denuo ne quærito*: vtpote quæ breuis adeò eſt & caduca. cuius ſcilicet mane & veſpera, ortus & interitus tantillo tempore diſiunguntur, & de qua, fuiſſe veriùs dixeris quàm eſſe. Obrepente itaque languore, viuidus ille color in fuſcum tranſit, venuſtas in rugas, odor ſuauiſſimus in grauem, & veris illa gloria, quæ radios velut ſemper victura pandebat, momento ſuis iacet cineribus ſepulta: atque, vt eſt *corruptio optimi peſſima*, nullus omnino flos eſt, qui marceſcens roſam in fœditate ſuperet nullus qui plures ex ſe vermes & inſecta progignat. IV. *Roſa pulchra eſt, ſed breuis.*

Quod de roſa, eiuſque breuitate, mutabilitate, & inconſtantia diximus, idem iure quis de voluptate aſſeruerit, quæ roſam hac in parte ita ad amuſſim refert, vt V. *Voluptatis cum roſa*

iiſdem

Compara-tio quoad breuitatē. iiſdem vtraque coloribus depingi poſſit, eodem adumbrari penicillo. Vt ergo illa, ita voluptas fugax eſt, fallax, inconſtans, lubrica, quæque vix orta occidit, vix obtenta auolat. *Cito nos*, inquit Seneca, *omnis voluptas relinquit, quæ fluit & tranſit, & penè antequam veniat, aufertur.* Frondet ſcilicet, floret, interit, fulguris inſtar, quod dum micat extinguitur: cumque eam homines, & in eâ felicitatem ſe apprehendiſſe exiſtimant, euaneſcit illico, meriſque præſtigiis mortalium animos deludit.

VI. *Voluptas & animam putredine, & corpus replet.* In eo inſuper roſam marceſcentem imitatur voluptas, quòd corruptionem & putredinem, non in animabus tantùm, ſed etiam corporibus vtentium producat, faciatque frequentur vt ſanie ac vermibus fœdum ſanè in modum cum intuentium horrore ſcateant. Hinc de voluptariis & luxurioſis loquens S. Chryſoſtomus, *Corpora*, inquit, *circumferunt agmine quodam infirmitatum repleta; & eſt eis vita ſemper cum medicis, & medicamentis: ſenſus autem ipſi tardi graues, obtuſi, & quodammodo iam ſepulti.* At, cùm anima cadaueroſa ſit ac fœtida, nil mirum ſi ex talis conſortio hoſpitis, corpus putredine diffluat & diſſoluatur: Denique vt roſa rubeſcit, ita voluptas erubeſcit, dum ſub fucatâ pulchritudine tantum in ſe fœditatis, tantum cernit immunditiæ. *Roſa rubeſcit, voluptas erubeſcit.* Erubeſcere potiori iure, totique rubore ſuffundi poſſunt illi (niſi impudentia, obfirmatuſque in ſceleribus animus omnem iis verecundiam excuſſerit) qui rei tam turpi, tam fæculentæ, tam putidæ, felicitatis notionem adſcribunt.

VII. Aliud in roſa ſingulariter obſeruandum occurrit: nempe, dum ſplendore illo ſuo & amœnitate homines ad eam carpendam inuitat, carpentes nihilominus pungit, ſpinarumque quibus cingitur aculeis dolorem ijs, & cruciatum infligit. Nullâ aliâ iure perfectius, quàm in hac; Roſa eſt voluptatis ſymbolum: fuco illo ſuo, & deliciarum illecebris mortales ad ſe allicit & attrahit;

ſed

ſed quicquid in principio blandimentis promittit, pungit tandem acerbiſſimumque doloris ſtimulum incautorum cordibus infigit, ac falſa illa dulcedo in veram deſinit amaritudinem. Nunquam nimirum ſine ſpina naſcitur voluptatis Roſa: nunquam apis hæc, quamuis mellea, ſine aculeo reperitur; imò pro vnâ mellis guttula ſubinde mille figit aculeos. *Voluptatis Roſa nunquam ſine ſpina naſcitur.*

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Vt non minùs acutè quàm verè Boëtius. Nullum ſcilicet hîc mel non felle mixtum, nullum oblectamentum quantumuis breue & exiguum, quod non diuturnum ſecum luctum trahat & mæſtitiam. *Nullum hic mel non felle mixtum.*

VIII. Anacharſis, præſtantiſſimus ille Philoſophus, & quamuis barbarus & ſcytha, nulli Græcorum ſecundus, inter alia ingenioſè dicta, vitē aiebat tres vuas proferre, primam *Delectationis*, ſecundam *Ebrietatis*, tertiam *Doloris*. Hoc ipſum iure quis meritiſſimo de voluptate dixerit; illā ſcilicet tres haſce vuas proferre: primò *Delectationis*, quâ, fictâ quam præ ſe fert, dulcedine ſenſus oblectando, animas etiā, quæ cæco quodam impetu ſenſus vt plurimum ſequuntur, ad ſe pertrahit: deinde *Ebrietatis*, quæ primam fere ſequitur, dum deliciarum illecebris capti homines, ac veluti præſtigiis quibuſdam, & Circeo poculo, de ſtatu mentis deiecti, totos ſe voluptatibus addicunt: ac tandem ſequitur vua *Doloris*, quæ priores duas certiſſimè ſemper comitatur, & ex iiſdem velut è radice pullulat, voluptatiſque ſectatorum mentes ſine intermiſſione die nocteque excruciat. In quam rem veriſſimè Seneca: *vna hora*, inquit, *hilaris inſania longum parit tædium ac triſtitiam.* *Vitis tres vuas profert.* *Vna hora hilaris inſania longam parit triſtitiam.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Expeditiſſimus, vtrùm in voluptate ſita ſit felicitas, dignoſcendi modus.

I. *Mortis articulus lapis lydius voluptatis.*

VT lapis lydius aurum, ita mors voluptatem probat, ſyncera ſit an adulterina. Oculos proinde ad vltimum vitæ articulum conuertamus: id enim maximè tempus eſt, quo homines & vera ſentire, & loqui ſolent. Nec expeditiorem vllam litis huius, an ſcilicet in voluptate ſita ſit felicitas, dirimendæ viam repertum iri exiſtimo, quàm vt quâ vtrique ratione, & ii nimirum qui voluptatem totâ vitâ ſunt amplexi, & qui eam conſtanter ſpreuerunt, ſe in fine vitæ habuerint, perſpiciamus.

II. Cygni & Serenæ *mors diuerſiſſima.*

Cygnum ferunt cum cantu, & lætitiæ ſignis, naturæ concedere. Alterius auis mentionem facit Plinius, quam *Serenam* vocat: hanc ait morti vicinam, inconditas edere voci ferationes, & cum vehemente cordis oppreſſione, crebriſque gemitibus ac ſuſpiriis è vita excedere. Seduli rerum naturalium indagatores hanc tam diſparis in vtrâque aue mortis rationem reddunt: *Cygnus* enim, inquiunt, cùm in puris ſemper & limpidis aquis viuat, ciboque non corrupto ac putri, ſed ſalubri veſcatur, purum inde ac vegetum ſanguinem trahit: *Serena* verò, cùm in locis ſemper lutoſis ac paluſtribus degat, inſectiſque ac rebus quibuſque ſordidiſſimis, ac parum ſanis pro cibo vtatur, corruptum inde ſanguinem ac melancholicum haurit. In morte ergo, ſanguine ad cor, vt illud confortet, & tanquam præcipuam vitæ ſedem foueat, & conſeruet recurrente, in *Cygno* defæcatus ille ac vegetus ſanguis recreat eum ac reficit, & nouâ cor lætitia perfundit: corruptus è contra *Serenæ* Sanguis eo tempore cor eius maximè grauat

grauat & opprimit. Hinc, inquiunt, fit vt exultet ille, hæc gemat.

III. *Animarũ cibus ſunt opera.*

Quemadmodum res illæ externæ, corporis, ita animarum cibus ſunt opera: ex his ſuccum, vt ita dicam, & ſanguinem accipiunt quo nutriuntur. Qui itaque vitam in integritate morum, & innocentia tranſigunt, purum inde ac generoſum ſanguinem hauriunt; qui verò noxiis & venenatis voluptatum deliciis animum paſcunt, ex iis putridum trahunt & corruptum: ſicut ergo corporis, ita animæ ſanguis in morte ad cor recurrit, obuerſatur, inquam, animo rerum bene vel malè geſtarum memoria, totiuſque anteactæ vitæ recordatio. Quibus proinde cordi fuit virtutis exercitatio, eâque ſemper animum excoluerunt, ſummum inde in extremâ illâ horâ ſolatium percipiunt, mortemque non ſine timore tantùm, ſed cum gaudio etiam, & lætitiæ teſtificatione, ac Cygneo more oppetunt. Qui autem ſe toto vitæ tempore in voluptatis cœno volutarunt, ſcelera ſemper ſceleribus adiiciendo, quis eos angor animi (corrupto hoc ſanguine, tot ſcilicet malorũ conſcientiâ, ad cor recurrẽte) quæ anguſtitiæ, quis horror occupat? Quanta eos vrget ſolicitudo & anxietas, dũ ſe tot cõtaminatos flagitiis conſpiciunt? In quæ lamenta, quos gemitus prorumpunt; quàm optant, voluptatis vuam nunquam deguſtaſſe, ex qua modò ſentiunt animam integro amaritudinis mari coopertam.

IV.

Luculentum nobis huius rei exemplum, inter ſexcenta quæ proferre poſſem, præbet Hadrianus Imperator, qui, cùm totam vitam iucundè ac ſuauiter traduxiſſet, ſeque nec paucis nec leuibus delictis ac facinoribus inquinaſſet, morti iam proximus, vbi in eo ſe conſtitutum articulo vidit, ſummo cum mœrore & anxietate hos identidem verſus repetebat, quibus animam ſuam timens ac tremens, & graui horrore quid ei poſt mortem eueniret, correptus alloquebatur:

Hadrianus Imperator moribundus animam ſuam alloquitur.

Animula vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt ſoles, dabis iocos.

Tam acerbis autem vrgebatur tum animi tum corporis cruciatibus, vt gladium aut venenum poſceret quo ſibi vitam adimeret: quod cùm nec prece, nec prætio, nec intentatis etiam minis obtinere potuiſſet, voluntariâ tandem inediâ ſe conficiens, miſerrimam animam afflauit. Quanto felicior; ſi infimæ ſortis homo totâ vitâ in tuguriolo degens, labore manuum victum ſibi honeſtè comparaſſet?

V. Multo verò adhuc clariùs hoc demonſtrant ſacræ literæ exemplo Antiochi: qui poſt ſanctiſſimum Dei templum Hieroſolymis per ſummum ſcelus impiè expilatum, ac multos Iudæorum ſine causâ barbarè trucidatos, aliaque plurima & grauiſſima flagitia perpetrata, in morbum incidens, cùm inſtare ſibi mortem cerneret, conuocatis amicis, ſummo cum animi dolore in hæc verba prorupit: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitia, qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate meâ!* Sed vnde hæc tanta ei triſtitia, & dolor tam acerbus? Audite. *Nunc verò reminiſcor malorum quæ feci in Ieruſalem* &c. En vt noxius ſanguis ad cor recurrit. *Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala iſta:* &c. & hac ratione miſerrimè extinctus eſt.

Antiochi in articulo mortis ad amicos ſermo.

Nunquam, ſcilicet, *antecedentem ſceleſtum*
Deſeruit pede pœna claudo.

Deus ſerò ſubinde punit, ſed ſeriò.

Deus ſerò ſubinde punit, ſed ſeriò, eoque vindicta premit grauiùs, quo magis plumbeo pede accedit. Hic ergo terrenæ fructus voluptatis, hic deliciarum mundi finis, vt nimirum per breuem, ac veluti momentaneam delectationem æternos pariat cruciatus, ſupremique Numinis indignationem in caput ſuum prouocet, perpetuò duraturam. Exclamare proinde iure poſſumus

cum

Digitized by Google

cum S. Bernardo: *O ſaculum nequam, quod ſolos tuos ſic beare ſoles amicos, vt Dei facias inimicos.*

Hactenus de *Serenis* ſerenis, inquam, nomine, re autem turbidis, maximiſque intus tumultibus agitatis: quam ob cauſam auis hæc perfectiſſimum eſt luxurioſi hominis ac voluptatibus dediti ſymbolum. Nunc ſermonem tantiſper ad Cygnos conuertamus: iuuat enim videre quàm diſpar ſit eorum qui ſpretis voluptatum illecebris, pietati ſe virtutiſque exercitationi addixerunt, ab aliis conditio. VI. *Serena Voluptarij ſymbolum.*

VII. Qui ergo iſtiuſmodi ſunt, quantâ cum animi tranquillitate ac ſecuritate in extremis poſiti, mortem iam imminentem opperiuntur, quantâ in Deum ſpe & fiduciâ, cuius honori ſe & cultui conſtanter ſtuduiſſe recordantur: quàm erecto animo per anguſtias illas quæ vltimam vitæ periodum comitari ſolent, pertranſeunt; quantâ præmij, quod breui accepturos ſe ſperant, expectatione! Sanè in huiuſmodi hominibus mors futuræ potiùs vitæ initium cenſeri debet, quàm finis præſentis; nec tam animæ à corpore ſeparatio, quàm eiuſdem cum Deo feliciſſima coniunctio, nullo vnquam tempore diſſoluenda. *Pretioſa mors ſanctorum*, inquit S. Bernardus, *pretioſa plane, tanquam finis laborum, tanquã victoria conſummatio, tanquam vita ianua, & perfecta ſecuritatis ingreſſus.* *Mors quibuſdam nõ tam finis huius vita, quàm initium ſequentis.*

VIII. Teſtes huius rei ſanctiſſimi viri, quibus generoſus deliciarum contemptus, vitaque in virtute acta, ſummam in morte animi firmitatem & conſtantiam pepererere. Occurrit inprimis hoc in genere, quod de S. Hilarione in eius geſtis refertur. Venerandus hic ſenex, annis plenus, plenior virtutibus, cùm in vltimo agone poſitus, neſcio quam ſibi moriendi ſuboriri formidinem ſenſiſſet, quaſi eius anima exire de corpore refugeret, ſic eam ſummâ cum fiduciâ eſt alloquutus: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annos ſeruiſti Christo, & mortem times?* Quo dicto vi- *Vita in virtute acta, morientibus parit ſecuritatẽ.*

tam hanc placidiſſimè finiuit, meliorem inchoaturus.

IX. *S. Bernardus Ser. 26. in Cãtica.* Illud etiam ſingulare quod de fratre ſuo Gerardo narrat S.Bernardus. Hic, cum multos annos in maximâ aſperitate,religioſæque diſciplinæ obſeruantia conſumpſiſſet, iamiam è vita migraturus, tantâ perfundebatur lætitiâ,vt continere ſe non poſſet,quò minus in cantum prorumperet: ſicque Pſalmum illum *Laudate Dominum de cœlis*, ſummâ vocis contentione, morbo & morte ſtupentibus(viribus nimirum ei è cœlo tranſmiſſis)totum cecinit,reſque omnes, tum ſublunares, tum cœleſtes,ad Deum pro tam eximio in ſe collato beneficio laudandum inuitauit Ex qua occaſione mortem alloquens S.Bernardus, *Vſurparis*,inquit, *ad lætitiam mater mœroris &c.latum lætumque exitum pandis ad vitam* Et quamuis *Terribilium omnium terribiliſſimum ſit mors*, iis tamen ſolis, quibus viuentibus anima mortua eſt:aliis quippe non terribilis,ſed ſuauis eſt ac iucunda, votiſque omnibus expetenda.

Quibus mors ſit terribilis.

X. *Sanctorũ hominum mors pretioſa.* Idipſum glorioſiſſimo Patriarchæ Franciſco contigit,cui cùm mortem inſtare denunciaretur,Seraphicus hic vir ita Dei, cuius conſpectûs breui compotem ſe futurum ſperabat,amore exarſit, vt exultabundus clamârit, *Bene veniat ſoror mea mors:* accerſitiſque cantoribus,vnà cum iis canticum,vt vocabat *Solis*, in quod ob diuinas in eo contentas aſpirationes peculiari affectu ferebatur, maximo cum animi ſenſu iucundiſſimè cecinit, nec,dum vixit, à Dei vnquam laudibus ceſſauit, plenius longè & perfectiùs eundem poſt mortem laudaturus.

XI. Memoriâ etiam digniſſimum, quod hac in parte B. Aloyſio Gonzagæ accidit. Is Marchionatu Caſtilionenſi,qui iure hæreditatis ad ipſum ſpectabat, honorumque titulis Rudolpho fratri minori natu relictis, Societatem Ieſu magno animo,ſtudioque Deo placendi eſt ingreſſus. Cum itaque in hoc vitæ inſtituto, per

Voluptas contempta verã parit lætitiam.

per annos aliquot, ſummi feruoris eximiarumque virtutum ſpecimen dediſſet, ſeque obſeruantiæ religioſæ perfectiſſimum ſtatuiſſet exemplar, cœlo iam maturus in grauem morbum incidit, cuius vis cum in horas maximè inualeſceret, artis medicæ periti paucos illi ſupereſſe vitæ dies eidem ſignificant Hoc nuncio cæteris velut fulmine quodam ictis, quòd tam ſancto ſodali orbandi eſſent, mirum eſt quantum ipſe fuerit recreatus, quantamque præ ſe tulerit animi lætitiam: nullum hanc Dei in ſe munificentiam extollendi, nullum ſibi gratulandi finem fecit.

XII. Primùm itaque Sanctorum Ambroſii & Auguſtini hymnum, vt hoc nomine Deo pro tam ſingulari beneficio gratias ageret, piiſſimè recitauit. Mox cuidam ex condiſcipulis, officij & pietatis causâ ipſum inuiſenti: *Pater mi*, inquit, *lætantes imus, lætantes imus:* totque ex percepto de appropinquante morte gaudio, exultantis animi indicia dedit, vt omnibus & admirationem ſui moueret, & lachrymas excuteret. *Vſurparis ad lætitiam mater mœroris*, & ſtimulus ille tuus, qui felle tinctus eſſe ſolet, ſanctiſſimum hunc iuuenem (iuuenem, inquam ætate, virtute ſenem) iucunditate ſummâ ac deliciis perfundit. Quot nimirum pietatis opera, virtutumque actus exercuit (exercuit autem plurimos, ac feruentiſſimos, & *conſummatus in breui, expleuit tempora multa*) tot generoſi ſanguinis guttas acquiſiuit, quæ ad cor de more recurrentes effecerunt vt lætando, & Cygneo planè more è vita diſcederet.

Fructus vitæ in virtute tranſactæ.

XIII. Illa ergo tantùm voluptas vera, quæ in vltimo vitæ articulo vera eſſe oſtenditur. Quæ itaque in caducarum rerum illecebris, ac ſenſuum titillatione conſiſtit, vana eſt & fucata, pluſque ſui cultoribus nocumenti adfert quàm commodi. Illa ſola firma eſt & ſolida, quæ ex virtutis exercitatione procedit, quæ, licèt laborioſa ſit, & cum dolore etiam ac lachrymis coniuncta, eo

Quænam ſit vera voluptas.

tamen aliquando plus feret veræ delectationis, quo ex amariore radice naſcitur. Et quamuis dici ſoleat, *Nihil citiùs areſcit quàm lachryma*, his tamen lachrymis areſcentibus, earum fructus, iſque cumulatiſſimus, manet ſempiternus. *Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Quantum gaudium! quanta delectatio! *Felices lachrymæ*, exclamat meritò S. Bernardus, *quas benigna manus Saluatoris abſterget*: felix dolor, quem tanta lætitia excipiet: felices labores quos æterna requies ſubſequetur. Sed video, me iucunditate materiæ abreptum, Philoſophi moralis terminos exceſſiſſe: ſermonem itaque abrumpo, & ad inſtitutum redeo.

DISPVTATIO NONA.

Vtrùm in gloria, honoribus, & dignitatibus ſita ſit hominis felicitas.

I. TRahimur omnes laudis ſtudio, inquit Cicero, *& optimus quiſque maximè gloriâ ducitur*. Sic Miltiadis trophæa, Athenis ob res præclarè geſtas ei erecta Themiſtoclem dormire non ſunt paſſa, ſed nocte dieque ſtimulis eum quibuſdam vrgebant ad magna etiam & eximia præſtanda. Inſitum ſcilicet omnibus à natura, iis præſertim qui nobilioris ſunt indolis, in re quauis excellendi, aliiſque antecellendi deſiderium, velut ſcintillæ quædam generoſæ mentis, quibus ad maxima quæque honeſtiſſimaque impelluntur, & ad labores, qui non leues interdum ſuſcipiendi ſunt, conſtanter ſubeundos.

II. *Difficilia quæ pulchra.* *Difficilia* nimirum *quæ pulchra*, & non in plano, ſed in arduo & ſublimi ſita, quò non niſi conatu ſummo & ſudore pertingi poteſt. Ne ergo tot difficultatibus, quæ in his occurrere rebus ſolent, fracti hominum

num animi, ab earum proſecutione deſiſtant, ſpes, laudis exiſtimationiſque velut calcar quoddam eos extimulat, efficitque vt nullos labores pertimeſcant, ſed erecti & alacres per moleſtias omnes & impedimenta perrumpant. Hinc antiqui *Euphemen* ſtatuerunt Muſarum nutricem: *Honor* quippe *alit artes*, ac tædium illud & faſtidium quod in moroſâ ſtudiorum occupatione interuenire ſolet, lenit ac mitigat. Eſto autem hæc ita ſint, in laudis tamen & famæ adeptione vltimum hominis finem, ac ſummam felicitatem conſtituere, delirare eſt, & leuis ac Ventoſi capitis indicium. Quem proinde errorem hîc confutabo.

Eupheme Muſarum nutrix.

Honor alit artes.

CAPVT PRIMVM.

In fama & honore ſtatui felicitas non poteſt.

I. Diuitias inanes, voluptates ſordidas, vtraſque fallaces eſſe oſtendi, longiſſimeque à ratione beatitudinis diſtare. Idem in præſenti de honore, fama, gloria, nominiſque ſplendore declarandum. Quod tamen non nemini factu fortaſſis haud adeò facile videbitur, cùm honoris exiſtimationiſque appetitio ſubtile malum ſit, & quandam præ ſe boni ſpeciem ferat.

II. Vnde illa Antiquitatis lumina, Philoſophorum, inquam, Coryphæi, qui acerrimè in gloriam inuehebantur, eiuſque conſectationem omni modo vitandam docebant, verbiſque & corporis habitu rudi & inculto illam fugere videbantur, hac ipsâ fugâ eam maximè quærebant, eo ſcilicet fine hæc agentes, vt homines pellicerent in admirationem ſui. Pallium quippe illud quo eorum plerique detrito & lacero vtebantur, variiſque hinc inde foraminibus diſtincto, quid aliud erat, quàm rete quoddam ad laudes captandas expanſum. Quare cùm Antiſthenes, Cynicorum princeps, partem

Philoſophorum vita eorũ dictis contraria.

 pallij

pallij laceram identidem intuentibus obuerteret, id vbi notaſſet Socrates, *Video*, inquit, *per ſciſſuram vanitatem tuam*. Barba etiam illa promiſſa, quæ rerum omnium deſpectum promittere videbatur, aliud nihil erat quàm quoddam honoris aucupium, vt ſcilicet eâ veluti ſigno ac teſſerâ moniti vniuerſi, illos Philoſophos eſſe, id eſt, homines ſupra communem hominum ſortem, ac ſapientiâ præditos agnoſcerent, ſicque in ore omnium verſarentur; illud Poëtæ iam tum reipſa vſurpantes: *Quàm pulchrum eſt digito monſtrari, ac dicier, hic eſt!*

Socrates carpit Antiſthenem.

III. Imò illud ipſum Diogenis dolium, quo nihil Athenis erat contemptibilius, nihil vilius, nihil deſpicatius, vanitatem olebat, & gloriæ laudiſque captationem. At hi omnes perſonati, animi ſcilicet demiſſionis laruâ tecti, gloriam quærebant, ac veluti furabantur. Nunc oculos in eos coniiciamus, qui non clanculum, & per ambages, aut ſub velo ſimulationis deliteſcentes, ſed luce palam, & in omnium conſpectu laudem conſectabantur.

Cum Diogene in dolio habitabat gloriæ cupiditas. Philoſophi laudis fures.

IV. Nonnulli ergo toto impetu, pleniſque, vt ita dicam, velis ad gloriam tanquam omnium deſideriorum ſcopum, & vnicum felicitatis portum tendebant, eò primæ, eò poſtremæ diei cogitationes dirigebantur, idque vnum erat in votis, vt laudem adipiſcerentur: hoc in ſomnis, hoc in vigilia animo ſemper obuerſabatur, vt per hominum ora volitarent, & præconiis ad cœlum efferrentur: quod ſi obtinerent, tùm verò Iouis ſe quadrigis inuehi arbitrabantur, & ad beatitudinis apicem pertigiſſe.

Gloria vnicus quibuſdam ſcopus.

V. Hinc tanto olim ſtudio varij in foro, in curia, in templis, & in celeberrimis quibuſque orbis ciuitatibus, ſtatuas ex ære ſibi & marmore erigi curabant; vt ſcilicet nomina æternitati conſecrarent. Huc contrariâ viâ collimabat Cato, vtpote qui nullam ſibi poni ſtatuam paſſus eſt: effecturum namque ſe dicebat,

Cato gloriam fugiẽdo quærebat.

bat, vt quærerent homines cur Catoni ſtatua non eſſet poſita. Huc Cæſar, qui deiectas poſt pugnam Pharſalicam Pompeij ſtatuas in priſtinum iuſſit locum reſtitui: quot enim Pompeio, tot ſibi ſtatuas erigebat: omnis quippe de Pompeij laudibus ſermo, in laudem tandem deſinebat Cæſaris, in quem iure quaſi belli, & Victoriæ priuilegio tota Pompeij gloria fuerat tranſlata. Huc Phidias, qui in illo artis miraculo, magnificentiſſima ſcilicet Mineruæ ſtatua, ſex & viginti cubitis alta, quam Athenis ex ebore ſculpſit, ſuam illius clypeo effigiem miro planè modo inſculpſit, vt nimirum artificis fama in Deâ artium inuentrice omnia venturæ ætati conſeruaretur. Huc omnium maximè collineabat Anaxagoras, à quo è vita iam deceſſuro, cùm quærerent ampſaceni, quid ad ſui recordationem, nomenque poſteris commendandum fieri vellet, hoc vnum, inquit, vt quotannis, anniuerſario mortis meæ die pueris facultas detur ludendi. Quo facto quaſi tot viuas ſibi erexit ſtatuas, in quibus vnà cum ætate, Anaxagoræ memoria, vt in teneris arborum corticibus inciſa nomina, quotidie creſcebat & dilatabatur: &, vt eſt auida luſus illa ætas, eum diem multò antè cupidiſſimè expectabant, atque de Anaxagora & loquebantur ipſi, & aliis loquendi occaſionem dabant, ſicque totam ciuitatem Philoſophi laudibus complebant.

Cæſar erigendo Pōpeio ſtatuas, erigebat ſibi.

Anaxagoras quid ad ſui memoriam conſeruādam fieri iuſſerit.

VI. Hæc ad nominis ſui memoriam propagandam illi. Longè tamen aliis iſthæc oculis intuentur ſapientes viri, infeliciſſimamque eam felicitatem eſſe pronunciant, quæ in ore hominum, ac vulgi opinione ſita eſt, planeque miſerrimam eorum conditionem exiſtimant, qui auram popularem captant & Chamæleontis inſtar ex aëre victitant. Ad quam rē pulchrè Seneca: *Si te, inquit, videro celebrē ſecundiſ vocibus vulgi: ſi intrante te, clamor & plauſus obſtrepuerint: ſi totâ ciuitate te fæmina puerique laudauerint, quidni ego tui miſerear?* Qui enim hac aurâ viuunt, illâ deficiēte, ac mutatâ,

Infelix felicitas in ore vulgi ſita.

Ep. 29.

 (mutatur

(mutatur autem facilè, cùm nihil ſit vulgo mobilius, nihil inconſtantius) velut interclu ſo ſpiritu extinguuntur, felicitaſque in fumum euaneſcit.

VII. *Clariſſimum inconſtantiæ vulgi exemplum.* Demetrio Phalerǽo trecentas & amplius ex ære ſtatuas erexerant Athenienſes, eaſque in celeberrimis vrbis partibus collocauerant, vt in omnium oculos incurrerent, & vnà cum ijs Demetrii memoria, quem omnes in oculis ferebant. Si ſtatuis agendum foret, quis hoc homine fortunatior? Stabit haud dubiè hæc felicitas, tot innixa columnis, tamque ſingulari totius ciuitatis ſtudio ac beneuolentiâ ſtabilita, nec vlla tanta oriri videtur tempeſtas poſſe, quæ eam diſſipet & euertat. Sed nihil firmum quod in populi voluntate fundatur. *Nihil firmum quod in populi voluntate fundatur* Non ita multò pòſt, amore illo ſummo in ſummum odium (vt vehementes ſemper ſunt vulgi affectus) fauore in furorem verſo, ſtatuas illas ignominiâ priùs affectas, omnes deiecerunt, & partim demerſerunt in fluuium, partim in fruſta conciderunt, ne vlla deinceps Athenis Demetrii maneret recordatio. En quò hæc gloria recidit, & falicitas.

VIII. *Cæca quorundam inſania.* Quis proinde ſatis miretur cæcam illorum inſaniam, (quos tamen hac etiam ætate non paucos eſſe perſpicimus) qui veri honoris & felicitatis curâ poſthabitâ, totâ ſe vitâ fatigant, innumeriſque exponunt periculis, vt glorioſis quibuſdam facinoribus, & *in lecto*, vt aiunt, *honoris* occumbentes, mundum famâ compleant, nomenque ſuum clarum reddant & celebre. Sed *perit memoria eorum cum ſonitu*: vnà cum ipſis interit tot laboribus quæſita exiſtimatio, & lectus ille honoris fit iis lectus æterni dedecoris, nec apud æquos rerum æſtimatores quidquam præter ſtolidæ temeritatis, præcipitiſque audaciæ opinionem comparant: dumque laruatâ hac felicitate deluſi, laudibus inhiant, & captant muſcas, in voluntarium ruentes interitum & vitæ & animæ iacturam faciunt, miſerrimoque fine extinguuntur: nempe

Illi

Illi mors grauis incubat, *Seneca.*
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Vanum itaque, *& volatile quiddam, gloria*; *aurâque mobilius*, vt rectè Seneca: nimirum ventus eſt, fumus eſt, vmbra eſt, quæque, dum eam ſe homines apprehendiſſe arbitrantur, elabitur, & poſt graues ac diuturnos labores, vacuos eos, atque ingenti quam animo conceperant; ſpe fruſtratos relinquit. Hinc Theophraſtus (nobilis ſui temporis Philoſophus, quique Ariſtoteli in lyceo ſucceſſit) cùm iam è vita diſceſſurus, à diſcipulis rogaretur, vt aliquod iis documentum memoriæ causâ relinqueret, hanc, inquit, morientis vocem accipitote: *Multa dulcia gloria obtentu vita mentitur.* IX. *Vanum & volatile quiddam glora. Sen. Ep. 124. Multa dulcia gloria obtentu vita mentitur.*

Inanis itaque felicitas omnis in hominum opinione ſita, vtpotè quæ fallax eſt & lubrica: ſola vera felicitas felicitate dignum videri, quod non niſi virtutis exercitatione obtinetur. Hinc Ageſilaus, præclarus ille, omniumque antiquorum calamis celebratus Lacedæmoniorum Rex, vt quis, inquit immortalem nanciſcatur famam, *loquatur quæ ſunt optima, & faciat quæ ſunt honeſtiſſima.* Solius ergo virtutis laus eſt immortalis: ad huius quiſquis acquiſitionem ſeriò incumbit, gloriam apud omnes, & exiſtimationem, etiam nolens, omnique ratione eam vitare ſtudens, conſequetur. Occultari nimirum nequit, ſed quo tegitur magis, eo magis erumpit, ſuoque ſe ſplendore & radiis manifeſtat, ac facis inſtar maximè in tenebris lucet. X. *Plutar: in Apotheg. Solius virtutis laus eſt immortalis.*

Non igitur quærenda, ſed contemnenda gloria; idque curæ omnibus, cordique ſit oportet, vt totos ſe virtutis adeptioni tradant, eamque velut ſcopum præfigere Sibi cuncti debent, nihil de gloria ſoliciti. *Opinionem & famam eo loco habeamus*, inquit Seneca, *tanquam quæ non ducere, ſed ſequi debeant.* Et verò certiſſime ſequentur, ſi contemnantur. Atque vt vitæ in ſceleribus actæ fructus ſemper eſt dedecus & infamia; ita ſanctitatem II. *Seneca de Beneficijs, cap. 43.*

Virtutem cole dum viuis. famam inuenies in ſepulchro. tem & integritatem honor & laus comitantur, perpetuaque apud bonos omnes poſt mortem recordatio. Concludo itaque cum celebri illo, veriſſimoque dicto; *virtutem cole dum viuis, famam inuenies in ſepulchro.*

CAPVT SECVNDVM.

Regum ac Principum nihili res terrenas facientium, exemplo oſtenditur, felicitatem in honore, diuitijs, & voluptatibus non conſiſtere.

I. *Longum iter per præcepta, breue per exempla. Sen. Ep. 6. Exempla dictis potiora.* LOngum, vt dici ſolet, *iter per præcepta, breue per exempla.* Habent nimirum & facta, linguas ſuas, ac tacitâ quâdam eloquentiâ ad quiduis citius multo certiusque impellunt quàm vllus, quantumuis eruditus, artificioſiſſimeque ad perſuadendum compoſitus ſermo. Ita ſcilicet comparatum eſt à natura, vt homines rebus magis quàm verbis moueantur, longeque plus ad excitandas inflammandaſque mentes, ponderis habeant ac momenti : namque

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

II. Cùm ergo in eam rem multa iam dixerim, variiſque adductis rationibus conatus ſim oſtendere in diuitiis, honore, ac voluptatibus non eſſe ſitam hominis felicitatem, hìc exemplis agam, eoſque producam, qui, cùm in florentiſſimâ fortunâ eſſent, cunctaque haberent ad nutum, omnia relinquentes, diuitias paupertate voluptates aſpero viuendi ritu, honores denique ſummos & ſplendorem obſcuritate ac tenebris mutarunt. *Mundus theatrum miſeriarum, malorum congeries.* Quo quid aliud tacitè dixerunt, quàm mundum eſſe theatrum miſeriarum, &, vt loquitur Triſmegiſtus, malorum congeriem, eiuſque oblectamenta lubrica & incerta, quæ homines lenociniis quibuſdam ac præſtigiis mente motos, in æternos præcipites agunt cruciatus?

horum

horum proinde non veram ſed fictam & fucatam eſſe felicitatem, & aliam inquirendam.

III. *Lotharius mundana pertæſus, aliam quærit felicitatem.*

Atque vt ab Imperatoribus exordiar, celebris hac in parte eſt memoria Iotharii Imperatoris, qui cùm ampliſſimâ illâ ornatus eſſet dignitate, opibuſque maximis afflueret, rerum nihilominus terrenarum fallaciâ, volubilitate, & inconſtantiâ perſpectâ, mundique pertæſus, quem nihil aliud quàm labyrinthum expertus erat, qui homines infinitis curis ac difficultatibus implicat, relicto Imperio, abdicatiſque omnibus, religioſum inſtitutum eſt amplexus, in eoque ad finem vſque vitæ conſtantiſſimè permanſit, vt quam in diuitiis, honoribus ac deliciis reperiri non poſſe beatitudinem perſpexerat, in paupertate, abiectione, vitæque aſperitate perquireret.

IV. *S Hermenigildi in mundo contemnendo magnanimitas.*

Quàm verò nihili faciendæ ſint res terrenæ, falſaque earum proſperitas, luculentum nobis exemplum reliquit decus illud iuuentutis, Hiſpaniæ gloria Herminigildus: qui, quòd patri rem iniquiſſimam, quamque ſaluo Dei honore, conſcientiæque integritate facere nequibat, mandanti non obtemperaret, ignominioſam, vt ſtultis rerum caducarum amatoribus videbatur, reipſa tamen glorioſam mortem ſubiit, ſeque his omnibus in ipſo ætatis flore orbari non grauatè eſt paſſus. Blandiebatur mundus, omniaque ei offerebat vitæ huius oblectamenta: inuitabat ſpes florentiſſimi regni, ampliſſimæque ſplendor dignitatis, ac ſumma opum abundantia, copioſiſſimique theſauri poſt patris obitum in ipſius poteſtatem deuenturi: obuerſabatur animo iuuenilis ætas, morti adhuc immatura, multoſque ei vitæ annos pollicebatur. Sed ſurdo canebant: nouerat hæc omnia blandos eſſe, ſed fallaces oratores, magna promittere, & verba dare: nouerat mundi pompā inanem eſſe & fugacem, nihilque in ſe firmi habere ac ſolidi: nouerat vitā hanc incertam eſſe & caducam, ac mille inopinis caſibus obnoxiam, omnem proinde in his fundatam felicitatem

ratem ijs eſſe quàm ſimillimam, vanam ſcilicet, inconſtantem, & fragilem, nec à viro prudente expetendam.

V. Complures alios tum in Oriente, tum Occidente, in ſummâ dignitate conſtitutos, vt *Rachiſium* longobordorum. *Pipinum* Italiæ, *Veremundum* Caſtellæ, *Ramirum* Aragoniæ, *Caralomannum* Auſtraſiæ, *Ioannem* Armeniæ, *Trebellium* Bulgarorum Reges &c.: ex aliâ occaſione refert P. Hieronymus Platus in libro illo *de Bono ſtatus religioſi*, doctrinâ & pietate pleniſſimo: qui omnes rerum humanarum mutabilitatem, vanitatemque perpendentes, honorũ titulis abdicatis, purpurâque cum vili tunicâ mutatâ, ſibi deinceps ac Deo victuri, in Religioſorum ſeſe familias abdiderunt, vbi virtute ac ſeuerioris diſciplinæ obſeruantiâ conſpicui, ſancto tandem fine quieuerunt. Hos ego obiter tantùm perſtringo, & breuitatis causâ, fuſiore glorioſi huius eorum facinoris narratione ſuperſedeo, meque intra vnius Inſulæ noſtræ, quæ nullam omnino in terris Prouinciam, vt ibidem teſtatur Platus, ſibi hac in re habet parem, limites & litora continebo: in quo dabitur mihi ſpero, à beneuolo lectore venia, ſi tam ſpatioſum nactus campum, in antiquâ feliciſſimæ quondam nunc afflictiſſimæ patriæ gloriâ recenſendâ aliquanto diutiùs perſiſtam, eamque longiore nonnihil ſermone proſequar.

Reges varij felicitatem mundi infeliciſſimam arbitrantes.

Platus de Bono ſtatus Relig. l. 2. c. 26.

CAPVT TERRTIVM.

Quàm infelix ſit terrenarum rerum felicitas, exemplis ab Anglia petitis Regum eas contemnentium, oſtenditur.

I. PLurima ergo, longeque puchherrima Principum, diuitias, honores, voluptates, omniaque mundi oblectamenta contemnentium exempla ſuppeditat Anglia, ferax Sanctorum Regum tellus: vbi ſcilicet ita viguit ſanctitas

Sanctitas coronata, eum, inquam, fulgorem emiſit inſita Regum ac Principum pectoribus eximia virtus & pietas, ita intuentium tum domi tum foris oculos perſtrinxit, vt orbi reliquo ſummæ hac in parte admiratio ni fuerit Anglia, omniumque ætatum ac nationum calamis celebrata, & inter *Inſulas Fortunatas, Hortoſque Heſperidum*, ob diuinam fragrantiſſimorum, quæ protulit germinum pulchritudinem aſcripta, ac Paradiſus quidam terreſtris habita. *Anglia ferax Sanctorum Regum tellus.*

Floruerunt nimirum aliquando Roſæ noſtræ, non tam in Regum inſignibus quàm Eccleſiæ hortis non tam colorum radiis, quàm fulgore ſanctitatis, non tam odorum ſuauitate quàm virtutum fragrantiâ, ſuumque longè lateque ſplendorem diffuderunt. Sex & viginti diademate inſignitos vidit Anglia, qui non aliorum magis Reges quàm ſui, ſummâ vitæ ſanctimoniâ fulgentiſſimiſque virtutum omnium exemplis, ſubditis præluxere: quorum plerique in Diuorum numerum Eccleſiæ calculo ſunt relati: ſicque terreſtres primò, mox cæleſtes Roſæ, non minimum horto huic extitere ornamentum Reginæ tredecim aulæ pompam ac delicias poſt religioſæ vitæ rigorem habentes, ſeſe intra monaſterii ſepta perpetuis tenebris addixerunt: vbi quo minus mundo, eo magis cœlo notæ, Angelicam in terris vitam duxerunt, ac viuæ miraculis, viua ipſæ miracula, claruerunt. Ex ſanguine præterea Regio, ſexaginta plus minùs recenſentur, qui genere clari, virtute & ſanctitate clariores, nomina æternitati conſecrarunt. Nulli proinde ſub cœlo aptiùs quàm Angliæ congruit ænigmaticum illud II. *Sanctorũ in Anglia Regum numerus.* *Reginæ ſanctæ.* *Sancti ex ſanguine Regio.*

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores.

At modò ex tam illuſtri ac nobili cœtu, tam numeroſâ ſcilicet Regum & Principum multitudine, totque viris generis & ſanguinis nobilitate conſpicuis, nonnullos ſeligamus, (omnes quippe recenſere proli-

rum foret) qui generoſo caducarum rerum contemptu teſtatum omnibus reliquerunt, vanum eſſe quicquid tranſit cum tempore, & fluxam felicitatem eſſe nullam.

IV. *Lucius ex toto orbe Rex primus Chriſtianus.* Primum ſibi hoc in genere locum vendicat lucius, primus Britaniæ, imò ex toto orbe, Rex primus Chriſtianus, & primus Regem Chriſti causâ exuens: cui obortâ de cœlo luce, vbi vera ſemel fides innotuit, rerumque ſupernarum cognitio, ſordere illico eidem cœpit quicquid mundus pulchri habet aut ſplendidi; itaque paulatim nobilem illum animum peruaſit cœleſtis calor, veræque felicitatis deſiderium, vt infima hæc, velut quædam ad illud quo toto ſtudio mens eius ferebatur, aſſequendum, impedimenta abiicere ſtatuerit: Regno ergo & patriâ relictis, ſplendidiſque veſtibus cum peregrini habitu mutatis, obſcurus, ignotus, inops, varias Europæ Prouincias percurrens, vt quam ipſe domi fidem didicerat, quamque cœlo hauſerat, pietatem (vt *Virtus eſt diffuſiua ſui.* virtus eſt diffuſiua ſui) aliis communicaret, in magnâ Bauariæ parte, prima iecit fidei fundamenta: meritò Noricidater, & inclytæ gentis Apoſtolus nuncupatus.

V. *Ceadvvalla Britannorum Rex poſtremus.* Lucio Regi Britanno proximè ſubiungam Ceadvvallam Britannorum Regem poſtremum, licèt ob deuictos Saxones, regnique iis partem ereptam, ſuæque denuo coronæ adiunctam, à Beda & aliis nonnullis Rex Saxonum appelletur. Hic belli ac pacis artibus clarus, cùm magnum ſibi ob res præclarè geſtas, apud omnes nomen acquiſiuiſſet, opibus, gloriâ, imperio, ſe denique relicto, *Beda Hiſt. Gent. Angl c.7.* pietatis causâ Romam profectus eſt: vbi non ita multò pòſt morbo correptus, ſanctiſſimè ex hac vita exceſſit. Cuius tumulo, ad perpetuam tanti viri, pulcherrimique huius eiuſdem facti memoriam Sergius Pontifex, qui tũ Romanæ ſedi præerat, hoc inſcribi Epitaphium iuſſit: *Epitaphiũ Ceadvvallæ.*

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæq; patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,

Ceadual

Ceadual armipotens liquit amore Dei: &c.

Tandem concludit:

Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

VI. *Baronius To 8, anno Chriſti. 689. n. 8.*

Nobilem generoſi huius Principis animum, regiamque eius pietatem admiratus Cardinalis Baronius, hoc de illo ſcriptum reliquit elogium: *Magnum planè*, inquit, *tunc datum eſt vniuerſo generi humano de contemptu mundi huius exemplum, dum Rex armiger, naturâ ſauus, hoſtium victor exiſtens, quem ſi non aliud, amulatio ſaltem ipſa externorum ſibi Britanniam vendicantium retinere dedebuiſſet in armis, vt eos è patrio ſolo pelleret: horum nullam rationem ducens, lucrum maximum exiſtimauit facere de ijs omnibus pro caleſti regno iacturam.* Hæc ille.

VII. *Rex Ina, relicto regno, Romam pietatis causa proficiſcitur.*

Ceadvvallam imitatus eſt Rex Ina, ob ſummam felicitatem & potentiã, rerumque geſtarum gloriam, maximè verò ob virtutis ac religionis ſtudium eo tempore celeberrimus. Regnum itaque in Ethelbardum, & cum regno curas transferens, liber iam & expeditus, totum ſe pietatis officiis addixit, magniſque paſſibus ad Chriſtianæ perfectionis apicem tetendit, ac tum primum Regem ſe exſtimauit, cùm regni ſe inſignibus ſpolians, ſui vnius regimini adminiſtrationique vacare poterat. Romam deinde adiens, vt locum tot martyrum rigatum ſanguine, tot Religionis monimentis illuſtrem inuiſeret, ſanctiſſimâ morte, tali ſcilicet vitâ dignâ, corporis vinculis eſt ſolutus: quique terrenum regnum paupertate, paupertatem cæleſti commutauit.

VIII. *Kenredus & Offa Reges Romam petentes; ibidem fiunt Monachi.*

Tantundem præſtitit aliud nobile par Regum: Kenredus, qui inquit: Beda, *cùm regno Merciorum nobiliſſimè tempore aliquanto præfuiſſet, nobiliùs multo ſceptra regni reliquit*, & offa Rex Orientalium Saxonem, *Iuuenis*, inquit idem Beda, *amantiſſima ætatu & venuſtatu, totique ſua genti ad tenenda ſeruãdaq; regni ſceptra exoptatiſſimus.* Hi ſtudio loca illa ſacra videndi, Romam petentes, Europam propemodum vniuerſam regiarum ſuarum virtu-

tum fragrantiâ repleuerunt, eximiæq; pietatis impreſſa vbique reliquere veſtigia. Tandem, religioſo habitu Romæ ſumpto, mundum, qui alios ludere ſolet, luſerunt, ſeque deinceps in oratione, ieiuniis, corporiſq; afflictationibus exercentes, è vita tandem ſummâ cum ſanctitatis opinione migrarunt, dignum laboribus præmium recepturi.

IX. *Æthelbertus, Sigebertus, Ceolulfus, & Egbertus Reges.* Præter hos autem Aethelredus, Sigebertus, Ceolulfus & Egbertus poſtquam regna ſua annis aliquot ſummâ cum laude, omniumq; approbatione & applauſu adminiſtraſſent, & ob ſingularem ſapientiam, regiaſque virtutes, ſubditorum ſibi animos deuinxiſſent, cordiũ magis Reges quàm corporum, humanarum rerum tædio capti, & ad meliorem aſpirantes felicitatem, regnis relictis, monaſticum inſtitutum ſunt amplexi, ſeque in religioſæ obſeruantiæ operibus ad finem vſque vitæ ſanctiſſimè exercuerunt; nunquam ditiores, quàm cùm ſummè pauperes Chriſti causâ effecti: nunquam glorioſiores, quàm dum è ſolio deſcendentes, ad omnium ſe pedes abieciſſent.

Hinc (vt id obiter aduertam) tot per vniuerſam Angliam ſparſæ religioſorum quondam hominum familiæ tantuſque ad eas omnium ordinum concurſus, vtpote quas ſanctiſſimis illis Regibus in honore tanto atq; æſtimatione eſſe perſpicerent; quippe qui non tantùm ſummo eas ſtudio ac veneratione proſequebãtur, ſed poſito etiam diademate, honorumq; titulis abiectis, eo ſe tanquam ad pietatis ſcholam, virtutumque omnium palæſtram frequentes recipiebant, ſummoque ſibi honori ducebant nutui ſe alterius & arbitrio ſub religioſæ vitæ diſciplinâ ſubiicere. Hos ergo alii intuiti (vt

Exempla optimi oratores. optimi oratores, efficaciſſimaque ad perſuadendum ſunt exempla) ad eadem virtutis gymnaſia, cæleſtiſque Philoſophiæ lycea magno ſe numero contulerunt, vt mundo mortui, ſpretiſque, Principum exemplo, vitæ huius oblectamentis, Deo tantùm ac cœlo viuerent. Adeò verum

rum eſt. quod ſuprà notaui Reges non ſibi ſolis, aut bonos vnquam eſſe aut malos.

Subiiciam tantummodo ſanctam duorum fratrum Iudaëlli & Iodoci, Britanni cuiuſdam Regis filiorum diſceptationem, qui non minùs ſeriò inter ſe de regno ac diuitiis relinquendis contendebant, quàm alii laborant pro acquirendis. Mortuo itaque parente, in regnum ſucceſſerat Iudaëllus, natu maior. Sed alias fouebat animo cogitationes, aliò diuinus eum ſpiritus impellebat. Fratrem ergo adiens, ait, ſe mundi inconſtantiâ vanitate, & fallaciâ compertâ, quamque difficile ſit inter tot voluptatum lenocinia illæſum, inter flammas non ambuſtum perſiſtere; ait, inquam, certum ſibi eſſe humanis rebus nuncium remittere, atque ad religionis portum, veluti ad aſylum confugere. Iodocus octo, vt de re tantâ deliberaret, dies poſtulans, quod eius frater ceperat conſilium, per otium expendere, & apud animum ſuum reuoluere eſt aggreſſus Remotis ergo arbitris ſic ſecum ipſe ratiocinabatur: ſi mundus fratri infidus futurus ſit & fallax, mihi haud dubiè non erit fidus: ſi illi periculoſum ſit inter delicias viuere, mihi vtique non erit ſecurum: ſi aliorum curam gerere, & ad regni adminiſtrationem attendere, eiuſmodi negotium cenſeatur, vt è re fratris ſit illo ſe abdicare, è re certè meâ non erit aſſumere: deniq; ſi mundana felicitas fratri inconſtans ſit & lubrica, mihi neutiquam erit firma ac ſtabilis, & in qua tutò poſſim conquieſcere. Quid multa? altè adeò in iuuenis animum cogitationes iſtæ penetrarunt, eoſque cierunt motus & mentis agitationes, vt octo dierum, qui ei ad deliberandum dati fuerant, ſpatio necdum elapſo, clam ipſe ſe ſubducens, mundo renunciauerit, fratremque piâ hac fraude circumuenerit.

II. Pia duorum fratrum de regno recuſando contentio.

Surius tomo 7 Decemb. 13.

Mitto Æthelulfum, Alfredum, Eadmundum, Edvvardum, Canutum, & alios, qui ob ſummam virtutem & pietatem, æternam apud poſteros memoriam ac venerationem meruerunt. Quia tamen regna, vt ij quos hacte-

nus recenſui Reges, minimè reliquerunt, non ita faciunt ad præſens inſtitutum; & argumentum quod hic tractandum ſuſcepi.

CAPVT QVARTVM.

Reginarũ, illuſtriumque in Anglia fœminarum exemplo, probatur vanam eſſe mundi felicitatem.

I. HÆc de regibus. Non minorem tamen hac in parte commendationem iure ſibi vendicant Reginæ, Regumque Filiæ, ob contemptum mundum eiuſque ſpretas delicias, nobiles. In quo genere, nimirum eſt quot Anglia exempla ſubminiſtret. Teſtis inprimis Edildrida duobus Regibus nupta, ſemper nihilominus virgo perſiſtens, licèt cum ſecundo duodecim annis vixerit; quo tempore, obtentâ à marito licentiâ, cœnobiũ primò in boreali Angliæ parte eſt ingreſſa, indeque non ita multò pôſt in Cantabrigienſem comitatum feliciter translata, ſacrarum virginum cõtubernio præficitur: vbi ſanctam adeò perfectamque viuendi rationem inſtituit, vt virtutum eius ſplendor cœlites magis multò oblectaret, quàm campi croco conſiti, qui ibidem frequẽtiſſimi ſunt, longeque amœniſſimi, oblectant homines.

Edeldrida Regina mundo renunciat.

II. Teſtis Sexburga, Edildridę nõ ſanguine magis quàm virtute ſoror, quæ poſt viri mortem ſpretâ mundi pompâ, regioque veſtitu cum religioſo habitu mutato, inter ſacras virgines ad finem vſque vitæ Chriſtianæ pietatis officia magnâ cum omnium admiratione exercuit.

Sexburga Regina Edildrida ſoror.

III. Teſtis Ethelburga: de qua Baronius, poſtquam in Inæ eius mariti, Angliæque Regum pietate deſcribendâ ſe dilataſſet, ſic loquitur: *Ina nomen fuit huic Regi maximè pio: cuius vxor Regina, nomine Ethelburga, licèt in ſexu fragili, haud imparem fortitudine ſuo viro ſe exhibuit, dum & ipſa de contemptu peregregium ſpecimen dedit. Monaſticam ſiquidem vitam amplexa, perpetuo ſe ergaſtulo manci-*

Baron. to. 9. An. 470. n. 15. Ethelburga Regina Inæ vxor.

mancipauit, cùm Monaſterium Sanctimonialium ſanctarum ingreſſa, ibidem ex Regina ſe in ancillam conuertit, atque tandem ſibiipſi imperare delegit, probè ſciens, verè eſſe illum Regem, qui Chriſti Amore alijs ſubditum ſe cõſtituit, & verè, qui ſuis paſſionibus dominatur. Hæc ille.

Teſtis, vt alias omittam, Alfreda: quæ, cum ſublimi loco eſſet, Regum opes, ſplendorem, & magnificentiam Religioſæ paupertati, ſubiectioni, aſperoque viuendi modo cenſuit poſthabenda. IV. *Regina Alfreda.*

Quoad Regum Filias, quæ contemptis mundi oblectamentis, ſe in arctiore viuendi diſciplina Deo dicarunt; incredile ferme eſt quot vna Anglia protulerit. Ex tanto numero paucas ſegilã, Teſtes igitur Elgina, Wereburga, Editha; Alfreda; Cuthberga, & aliæ, quas nec florentiſſima, ad quam natæ erant, fortuna, nec Regum, à quibus ad Regni ac vitæ conſortium poſcebantur, coniugium, nec opum, quas amplas poſſidebant, copia, nec demum omnes quæ ſe illis offerebant, mundi deliciæ detinere poterant, quo minùs paupertatem, abiectionem & obſcuritatem inter ſacratas Deo virgines amplecterentur. V. *Regum Filia mundum contemnentes.*

Teſtes denique victrices illæ virginum Phalanges, (ex quibus non paucæ illuſtri erant genere prognatæ; quæ, vrſulâ duce, Cornubiæ Regis filiâ, quantopere vanas ac fœdas mundi voluptates aſpernandas fugiendaſque duxerint, ſanguine ſignatum reliquerunt: nimirum vitæ potiùs quàm pudoris iacturã pati ſtatuentes, mortem glorioſiſſimè oppetierunt, ſicque proprio purpuratæ cruore, mirâ metamorphoſi de liliis creuerũt in roſas. Quas in Anglia mundo, Coloniæ cœlo natus, religioſo præter cæteras gentes cultu Germania iure veneratur vt ſuas. In quarum ſplendore oculos quiſquis fixerit, fatebitur, opinor, haud paulò lucidiores ex litore Britannico, quàm Indico, Europam gemmas collegiſſe; fulgentioreſq; ex Occidente quàm Oriente proueniſſe margaritas. *S. Vrſula Cornubiæ Regis filia cum vndecim millibus virginum.*

VII. *Mercator in Atlante pag. 45.* Cócludo itaque recentioris cuiuſdam verbis, qui ſoli fertilitatem, amœnitatemque, & id genus alia conſiderans, ſic de Inſulis Britannicis loquitur: *Eſt ſanè Britannia natura gaudentis opus: quam quaſi alterum orbem, extra orbem, ad delicias humani generis conſtituiſſe, & tanquam formam quandam ad eximiam pulchritudinem, & vniuerſi ornatum, egregiè depinxiſſe videatur. Ea varietate gemmeâ, & deſcriptione amœnâ, oculi quocunque inciderint, reficiuntur.* Hæc ille. Verum ego Britanniam hîc non vt ſolum, ſed vt cœlum ſpecto, tot ſcilicet luciđiſſimis ſtellis longè lateq; radios ſuos diffundentibus fulgentem: illamque, non vt *natura*, ſed vt gratiæ *gaudentis*, imò triumphantis, opus conſidero; vtpote quam tanto Principum, ſummâ vitæ ſanctimoniâ ſplendoreque virtutum inſignium multitudo *Varietate verè gemmeâ* illuſtrat, vt non errauerit fortaſſe qui dixerit, Microcoſmū noſtrum, ſanctorū Regum numero, Orbi reliquo æqualem extitiſſe, vel etiam (abſit verbo inuidia) ſuperiorem.

VIII. Sed non eſt animus, cuncta Britanniæ decora & laudes perſequi: eò ſolùm hæc attuli, vt tot Regum ac Principum, mundi oblectamenta, reſque omnes humanas contemnētium exemplo oſtenderem, in opibus, honore, ac deliciis ſitam non eſſe Hominis felicitatem, cùm illi, quibus hæc vbertim affluebant, eorū poſſeſſione minimè ſe felices arbitrarentur, imò dum ad veram aſpirarent beatitudinem, ea veluti impedimenta abiecerint. Alia proinde felicitas inueſtiganda.

DISPVTATIO DECIMA.

Concluſio circa Hominis felicitatem.

Oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Dicere ſolitus fertur Antigenidas, ſuauiùs auditū iri bonos Citharœdos, ſi mali antea cecinerint. *Oppoſita nimirum iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt*: ſic malum bono, vitium virtuti ſplendorem auget, & comparatione cum tenebris, luci lucis fit acceſſio. Cùm ergo hactenus perperam

perâ de Beatitudine Philoſophantes audiuerimus, & pro verâ fucatam proponentes, eo plus oblectamenti ſincera feret ac ſolida: quam hac diſputatione, tum naturalem, tum quæ ſupra naturam eſt, breuiter declarabimus.

CAPVT PRIMVM.

Vera Diuitiæ.

PEcunia (vt cum Philoſopho ſuperius dixi) *neminē diuitem facit*: eodem quippe cum eâ gradu creſcit illius amor, habendique deſiderium; quod miris modis poſſidentis animū diſcruciat, ac mille anxietatibus implicat, auriq; & argenti theſauri non tam nummorū ſunt, quàm curarū cumuli. Adde, diuitias fallaces eſſe ac lubricas; felicitas autem conſtans ſit oportet ac ſtabilis: & tantùm aliquid à Beatitudine deficit, quantum deficit à firmitate: imò felicitas incerta, certa eſt infelicitas. I. *Felicitas incerta, eſt certa infelicitas.*

Solæ ergo mentis opes hominem diuitem faciunt, ſolæ beatum; quas nimirum ſolas ſecurè quis poſſidet, vtpote nullis Fortunæ iniuriis, nulli rerum mutationi, nullis bellorum incommodis obnoxias: nec quātumuis longo temporis decurſu, ingraueſcentibus etiam annis labefactātur, aut de integritate ſuâ & perfectione quidquam amittunt. *Sola* nimirum *mens ſeneſcens iuueneſcit*, in effœto quoque & languido corpore vegeta, & vel in mediis niuibus capite videlicet canis cooperto, ſummâque, vt ita dicam, hyeme viret ac floreſcit. II. *Sola mens ſeneſcens iuueneſcit.*

Hanc ob cauſam res externæ, vt honor, gloria, diuitiæ, & internæ, virtus ſcilicet, honeſtiſſimæq; facultates ac diſciplinæ, non inſcitè diuiduntur in *Bona mobilia, & immobilia.* Illę ſiquidem infinitis caſibus ſubiectę diffluunt facilè ac dilabuntur, Fortunæ, cuius munera dicuntur, quàm ſimillimæ, adeoque inconſtantes ſunt & lubricæ, vt rectè dixerit quidam, *Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum:* illarumque amiſſio plus acerbitatis & mœroris animis habentium infligit, quàm earundem poſſeſſio oblectationis fereba t & ſolatii. Adquam rem III. *Opes bona ſunt mobilia, virtutes immobilia.*

appoſitè Orator Romanus: *O volucrem,*inquit,*Fortunam; quam citò omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas recidunt!* Hæc contra, cùm in animo ſitæ ſint, nullâ auferri vi poſſunt, nec detrimenti quidquam accipere.

IV. *Plutarchus.* Megaram Achaiæ oppidum armis in ſuam redegerat poteſtatem Demetrius Macedoniæ Rex, ciuibuſque in ſeruitutem abductis, vrbem furori militum permiſit; qui eam diripientes, ſolo tandem æquârunt. Interrogauit Demetrius Stilponem Philoſophum, tunc temporis Megaræ degentem, ecquid ſuarum rerum amiſiſſet? *Nihil,* inquit, *amiſi: neque enim bellum virtutem inter ſpolia capit.* Nimirum nihil ſuum iudicabat vir ſapiens, quod ei cuiuſquam violentiâ auferri poſſet: nec quidquam ſe arbitrabatur amiſiſſe, dum virtutem retineret.

Nihil amittit qui virtutem retinet.

V. *Dictum Socratis.* Non abſimile eſt quod de Socrate fertur: à quo cùm quæreretur an Rex Perſarum, qui gloriâ ſplendore, & opibus cœteros antecedebat, felix cenſendus eſſet, id ſe neſcire reſpondit, quod compertum non haberet, num virtute & doctrinâ præditus eſſet: hoc dicto innuens, non ex bonis illis externis, ſed penes internas animi opes, beatitudinem eſſe metiendam, eoſdemque virtutis & felicitatis terminos ſtatuendos.

VI. Clariſſimè hoc idem demonſtrat, quod Demetrio Phalereo ſuprà contigiſſe vidimus: cuius cùm ſtatuas omnes, ob Rempublicam decem annorum ſpatio ſummâ cum laude adminiſtratam Athenis eidem poſitas, inſanus furibundi populi impetus, ludibrio priùs habitas, deieciſſet; is nihil eo facinore commotus, ſummâ animi æquitate ignominiam illam pertulit, ſe nec iis erectis meliore fuiſſe loco dictitans, nec peiore deiectis. Si in ſtatuis penſilis hæſiſſet virtus, in fruſta cum iis fuiſſet comminuta; ſed in mente, & extra omnem Fortunæ aleam conſtituta erat, comminutionis ac ludibrij ſecura.

Virtus ludibrij ſecura.

VII. Nullus verò rem hanc (ſolas ſcilicet mentis opes ve-

ras

ras eſſe diuitias) magis illuſtrauit quàm Stoicorũ Princeps Zeno; qui bonis omnibus naufragio amiſſis, totum ſe virtutis ſtudio, mentique excolendæ, ac diuinis Philoſophiæ præceptis imbuendæ tradidit: quarum Vtilitatem ac fructum vbi experiri cœpit, quantumque internæ opes externis præſtarent, bonis ſe exutum gaudebat, hanc ſæpe vocem vſurpans, *Tum bene nauigaui, quando naufragium feci:* nunquam aurâ ſereniore ventiſque ſecundioribus vſum ſe exiſtimans, quàm cùm iactatus tempeſtate, naueque ſubmerſâ, ad paupertatis portum appuliſſet. Rectà proinde dixit Antiſthenes, *illas ſolas parãdas eſſe diuitias, quæ ſimul cũ naufrago enatēt.* *Zenonis de bonis internis & externis iudicium.*

VIII. Omittere hîc non poſſum pulcherrimum Diui Auguſtini hac de re diſcurſum: qui inter *pecuniam* & *diuitias*, hominem *pecunioſum* & *diuitem* diſtinguit; & hac appellatione eum ſolum dignum cenſet, qui animi opibus eſt inſtructus. *Aliud*(inquit) *ſunt diuitiæ, aliud pecunia: nam dicimus diuites ſapientes, iuſtos, bonos, quibus pecunia vel nulla, vel parua: magis enim ſunt virtutibus diuites* &c. Et paulò pòſt: *dicuntur itaque & diuites pecunioſi, ſed interiùs egeni* &c. *Item dicuntur pauperes pecuniâ carentes, ſed interiùs diuites, ſi ſapientes.* In quam rem S Gregorius: *ſolæ*, inquit, *diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt.* Quo etiam nihil apud alios Patres frequentiùs. *Aliud eſt, hominem eſſe, pecunioſum, aliud diuitem. Lib. 7. de Ciuit. c. 12. Homil. 5 in Euangelia.*

En vt ſanctiſſimi hi viri, Orbis lumina, bona hæc externa inter opes non eſſe numeranda pronuncient: quippe quæ mentem relinquant inopem, ementitoque diuitiarum nomine, quod iis falsò aſcribitur, exuenda, atque ob incertitudinem & inconſtantiam, aliaque veræ felicitati contraria, in iis conſiſtere beatitudinem nō poſſe. *Felices*, inquit S. Auguſtinus *non diuitiæ terrenæ faciunt, aut nobis viuentibus amittendæ, aut nobis mortuis, à quibus neſcimus, vel fortè à quibus nolumus, poſſidendæ: ſed Deus felices facit, qui eſt mentium vera opulentia.* De quo plura capite ſequente. *Opes corporea mentem relinquant inopem. De Ciuit. l. 5. c. 18.*

CAPVT SECVNDVM.

In Deo ſolo vera felicitas.

I. VNiuerſo, rebuſque in eo contentis, centrum à naturâ ſtatutum cernimus, quo ſuis quæque librata ponderibus feruntur, ac veluti bonum ſuum & felicitatem adepta, conquieſcunt. Centrum animæ Deus, quò ſuis etiam librata ponderibus, ſuauiſſimis ſcilicet amoris actibus, ferri debet; & quemadmodum ab eo initium exiſtendi accepit, ita ad eundem tanquam ad finem ordinatur, vt in illo quiete & tranquillitate fruatur. *Feciſti nos, Domine, ad te,* (inquit S. Auguſtinus) *& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Homo itaque in Deo ſolo felix eſſe & beatus poteſt. Ad felicitatem namque (de ea loquor quæ in præſenti obtineri vita poteſt) tria hæc requiruntur, *Satietas, Delectatio, & Quies:* has porrò haberi extra Deum non poſſe, hîc oſtendam; ac proinde nec felicitatem in vllâ re aliâ, præterquam in Deo, reperiri.

Centrum animæ Deus.

II. Nullum ergo bonum creatum homini ſatietatem affert, nullum animæ illius capacitatem & appetitum explet, imò famem acuunt potiùs, & habendi deſiderium. Hinc S. Auguſtinus: *Cùm anima* (inquit) *creaturam deſiderat, continuam famem habet: quia licèt quod deſiderat de creaturis adipiſcatur, vacua tamen remanet, quia nihil eſt quod eam impleat, niſi tu, ad cuius imaginem eſt creata.* Quare ſanctiſſimus hic Doctor ſuum hac in parte errorem ibidem deflet, quòd rerum corruptibilium illecebris captus, bonitatis ac pulchritudinis fonte relicto, in iis felicitatem collocaſſet. Vnde, ſic Deum alloquitur: *Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua & tam noua, ſerò te amaui: tu intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, irruebam:* &c. Sed comperit tandem, inane eſſe mundi gaudium, vanaque eius oblecta-

Bona creata animã non ſatiãt. Soliloq. c. 30.

Soliloq. c. 31.

lectamenta, quæ mentem ieiunam ſemper relinquunt & uacuam.

III. *Quid fortiſſimum: quid ſapientiſſimum: quid maximũ.*

Problema olim proponebatur antiquis, *Quid fortiſſimum: Quid ſapientiſſimum: Quid maximum?* De quibus, communi Philoſophorum decreto, ſic ſtatutum eſt. *Fortiſſimum, Neceſſitas.* Vtpote quæ omnia perrumpit, & ſuperat. *Sapientiſſimum, Tempus:* quod ſcilicet omnia docet: vſus quippe cuncta inuenit, & *Experientia rerum omnium magiſtra. Maximum* denique, *Cor hominis:* quod quamuis mole exiguum, omnia nihilominus ambit & complectitur, nec re vllâ creatâ ſatiari poteſt. Fruitur, verbi cauſa, quis deliciis, hæc ipſa voluptatum affluentia nouas ei faces ſubiicit, voluptatumque ſitim accendit. Honores amplos & dignitates ſummo ſtudio ac labore quæſitos adeptus eſt: nunquid ſiſtit? ſibique modum ſtatuit? Vehementiore ad alta conſcendendi ardore rapitur, & honor obtentus, gradus ſemper eſt ad alterius proſecutionem, ſicque in perpetuo æſtu ac iactatione verſatur, &, vt ait Seneca, *Spes ſpẽ excitat, ambitio ambitionem* Magnam opum vim congeſſit, copioſiſſimoſque theſauros, agros agris, poſſeſſiones poſſeſſionibus, regna etiam regnis adiecit: aliud interim nihil mẽte agitat, quàm quo pacto nouos theſauros, noua regna adipiſcatur; nec totus hic maior mundus, quantus eſt, Microcoſmum ſatiat. Ad aliquid ergo mundo maius recurrendum, Deum ſcilicet, qui infinitâ ſuâ amplitudine, humani cordis capacitatem expleat.

Spes ſpem excitat, ambitio ambitionẽ.

IV. *Nulla extra Deum ſatietas.*

Nulla ergo extra Deum ſatietas, nihil quod vllâ ex parte animam reddere felicem poſſit: quæ enim homines ex rebus vilibus & caducis fruſta, vt ita dicam, & fragmenta felicitatis emendicant, eos ieiunos relinquunt, & vacuos, appetitumque irritant potiùs quàm ſedant Qua de causâ Plato bonum noſtrum & felicitatem in *Primi Boni*, ſeu *Primæ Mentis* contemplatione conſtituit: cætera autem omnia nihil eſſe aliud affirmat, quàm radicem ac fomitem infelicitatis.

Plato.

Quòd

V. Quòd verò nulla etiam vera ſit extra Deum delectatio, nullus, opinor, inficias ibit, qui perſpectam exploratamque habet naturam voluptatis; cuius ea eſt indoles, vt blandè ſe ac ſuauiter in animam inſinuet, quã tamen vbi ſemel occupauit, mille figit aculeos, qui cor perpetuò lancinant, dolorumque & cruciatuum ſtimulis vrgent: atque vt in horto Floræ, ex ſpinis naſcuntur roſæ, ita in horto Veneris ex roſis naſcuntur ſpinæ, & læta initia, triſtes ſequuntur exitus. Mel ergo illud, quod apicularum inſtar homines ex mundi floſculis delibant, *Corſicum* eſt, amarum ſcilicet, & felle mixtum; vel etiam eſt *Colchicum*, quod ex venenatis floribus collectum, guſtantibus necem affert.

Ex ſpinis roſæ, ex roſis ſpinæ.

Voluptas Mel Colchicum.

VI. Quiſquis itaque ſincerum & ſolidum gaudium expetit, mentis oculos à creatis rebus ad earum conditorem transferat: illic veras & puras delicias inueniet, quas qui ſemel eſt expertus, inſuaue ſtatim ac inſipidum redditur quicquid mundus oblectamentorum offert, animuſque ita ad terrena ſolatia, rerumque caducarum blandimenta nauſeat, vt ſine graui moleſtia ne cogitare quidem de iis poſſit. Hoc pulchrè, more ſuo deſcribit S. Bernardus: *Quæ, inquit, anima ſemel à Domino didicit & accepit intrare ad ſeipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare,* &c. *talis, inquam, anima, neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſue ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potiùs ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem.*

In ſolo Deo vera delicia.

Serm 35. in Cantica circa initium.

VII. Iam verò quoad pacem animi ſine qua felix eſſe nemo poteſt (quæ enim inquieta eſt, & fluctuat felicitas, felicitatis nomine indigna) hanc fruſtra quiſquam ex rebus hiſce mobilibus & caducis expectet, quæ hominem immenſo perturbationum & ſolicitudinum Oceano immergunt, innumeriſque difficultatum anxietatibus

In nullo, niſi in Deo, mẽs quieſcit.

tatibus ac labyrinthis implicant: fruſtra, inquam, in rebus intricatis ac turbidis quietem, in tempeſtate tranquillitatem quæſiuerit. Quiſquis proinde veram pacem & ſtabilem exoptat, hæc omnia tranſcendat oportet, Deoque ſe firmiſſimo amoris nexu, velut adamantino vinculo, coniungat; mentemque piis in eum affectibus, velut authoris, firmet, ne vacillet, deque ſecuro hoc portu, tutiſſimâque ſtatione deiecta, mundi denuo fluctibus iactetur. Hinc Propheta Regius, tot ærumnarum ex mundanis rebus prouenientium moleſtiis fatigatus, & propè obrutus exclamat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam.* Volabo, inquit, & columbinis alis hinc me velociſſimè proripiam, terrenaque omnia tranſgreſſus vacabo & videbo *quoniam ſuauis eſt Dominus:* illic mentem tot anguſtiis feſſam, tot grauatam curis, tot calamitatibus quaſſatam reficiam, & cæleſtibus paſcam deliciis. *Pſal. 54. 6.*

VIII. *Suprema aëris regio quo pacto ab aliis differat.*

Aërem in tres partes, ſeu regiones, diuidunt Philoſophi, *Infimam, Mediam, & Supremam:* quarum inferiores duæ procellis ac tempeſtatibus, crebriſque auræ mutationibus perpetuò ſunt obnoxiæ, nunc ventorum erumpentium violentiâ, nunc pluuiâ, niue, grandine, diuerſiſque cœli affectionibus vexatæ. Pars verò aëris *Suprema*, maximâ ſemper ſerenitate ac tranquillitate fruitur, nullis ventorum, nullis procellarum, aliiſue temporum iniuriis ſubiecta. Vnde Olympi cacumen, quod ob ſummam montis altitudinem ſupra nubes attollitur, & in ſupremam aëris regionem penetrat, adeò pacatum eſt, & tranquillum, vt anno vertente, ſacrificij priore anno cremati cineres eodem planè ſitu reperiant quo reliquerant, nec minimo venti flatu tactos, aut tantillùm loco motos. Sic qui in infimis hiſce morantur, pronoque in terram vultu caduca tantummodo ſpectant, affixumque iis cor habent, aſſiduis ventorum iactationibus, perturbatæ ſcilicet mentis fluctibus quaſſantur, atque eorum capiti denſiſſimæ ſemper nubes impendent, *Nubes excedit Olympus. Lucan. l. 2.*

pendent,

pendent, quæ & vehementes in eos imbres ac procellas immittunt, & obſcuritate maximâ inuoluunt, perpetuaſque offundunt tenebras. Nunquam nimirum ſerena erit anima, quam vapores terrei, mundanæ ſcilicet cogitationes obnubilant Nunquam firma erit & ſtabilis, ſuique potens, ac perturbationum ſecura, dum rebus lubricis adhæreſcit. Is ergo ſolus pace fruitur, qui Olympi inſtar, caput ſupra nubes effert, nulloque interpoſito, plenis Diuini ſolis radiis illuſtratur, ac pura mentis oculo in illius contemplatione defixus hæret, totuſque in eiuſdem amore occupatur.

Mons Olympus, hominis pietati deditι, ſymbolum.

Exclamare ergo libet cum Propheta: *Filij hominum vſquequo graui corde?* Vſquequo, inquam, iugo terrenorum affectuum depreſſi, & vilibus hiſce ac ſordidis rebus affixi atque immerſi, nihil altum, nihil ſublime, nihil vobis dignum animo reuoluitis? & cœlo nati, in terra iacetis? Aliud à vobis bonum veſtrum, aliud naturæ dignitas, aliud finis ad quem creati eſtis, poſtulat. Nolite abiectè adeò de vobis, ac demiſsè ſentire: ita vos filios hominum cogitate, vt memineritis eſſe vos filios Dei: ita corpora vili conſtare materiâ conſiderate, vt animas habeatis ex puriore ac nobiliore ſubſtantia, & ab omni terrenâ concretione immunes.

Igneus eſt Ollis vigor, & cæleſtis origo.

X. Triſmegiſtus.

Reſpicite ergo mortales, & reſipiſcite: verba ſunt Triſmegiſti, *& ad fontem vitæ recurrite.* Mortales, inquam, nimium mortales, imò mortui, & in carne ac ſanguine ſepulti: expergiſcimini aliquando, grauemque, qui vos occupat, ſoporem excutite, & mentis oculos ad boni omnis ac felicitatis fontem attollite: illi cor dilatate, cunctoſque eius ſinus pandite, & plenos inde deliciarum riuos, quantum per vitæ huius anguſtias fas eſt, in animas veſtras deriuate, pleniores deriuaturi in cœlis: qua de re iam pauca ſubnectam.

CAP.

CAPVT TERTIVM.

Summum hominis bonum, & vltima Beatitudo.

Virtus eſt Diſpoſitio perfecti ad Optimum. Cuius effati vt varias diuerſorum, res naturales curioſè ac ſubtiliter perſcrutantium, interpretationes omittam, cùm quiſque ſuo illud arbitratu explicet, & euoluendo inuoluat magis, & vel ipsâ quam prætendit luce, tenebras offundat. Hæc, inquam, vt omittam, ſenſus dicti huius moralis & practicus facilis eſt, & explicatio expedita. *Virtus* ergo *eſt diſpoſitio perfecti ad Optimum*: quiſquis nimirum pietatis ſtudio ſeriò ſe addicit, eiuſque exercitatione mentem ad finem vſque vitæ conſtanter excolit, is viam ſibi ad *Optimum*, cæleſtem ſcilicet beatitudinem, aperit; totâ Theologorum ſcholâ docente, *gratiam* eſſe ſemen *gloriæ*, eſtque oraculum ipsâ Veritatis voce prolatum: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* I. *Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad Optimum.*

Quamuis itaque bona ſit præſens vita, ſi eam quis in virtute tranſigat, melior tamen multo, longeque præſtantior eſt illa, quæ diſcuſsâ noctis huius caligine, animâque corporeis vinculis ſolutâ, in cœlo illuceſcet. Imò ſi quis vtramque inter ſe vitam committat, & terreſtrem cœleſti comparet, hæc ab illâ toto cœlo diſtare videbitur, eamque infinitis propè gradibus excedere. Hîc guttæ interdum quædam, aut riuuli ex illo deliciarum fonte in hominum animas deducuntur: illic toto merguntur Oceano, & inebriantur *ab vbertate domûs Dei, ac torrente voluptatis.* Potantur. Hîc quæ è cælo immittitur ſubinde conſolatio, exiguo perſtat tempore; de qua proinde S. Bernardus, *Felix hora, breuis mora*: citò nimirum tranſit, animamque tam deſideratâ ſuauitate II. *Comparatio præſentis vitæ cũ futurâ.*

tate

tate deſtituit:illic,quæ ſemel mentem occupat delectatio,ſemper occupat, nullum vnquam finem habitura. Hic,mendicorum inſtar, reliquias aliquas ex cœleſti illo conuiuio nobis ad explendam famem dari enixè petimus,& ,vt ait S.Bernardus,*Saturari cupimus de micis quæ cadunt de menſa dominorum noſtrorum*, ciuium ſcilicet cœleſtium: illic in ipſius ſummi Regis menſâ conuiuæ diuinis,vnà cùm iis,epulis perfruemur. Denique gaudium illud quod puris mentibus ex ſpe cœleſtis illius Hieruſalem.nonnunquam oboritur, exilij recordatione temperatur & obtunditur,dum ſe anima in via adhuc conſtitutam,ac peregrinam animaduertit: quæque ad cœlum,patriam ſuam,emittit ſuſpiria,in lachrymas reſoluta, dulci eam dolore & ſuaui amaritudine complent:illic, nullæ lachrymæ, nulli gemitus, nulla ſuſpiria, ſed mens Deo perfectiſſimè vnita, plenamque adepta felicitatem, in ſummâ boni poſſeſſione conquieſcit.

III. *Serm. 27. de Verbis Domini.*

Quare S. Auguſtinus de hac ipſâ re diſputans, & vtramque inter ſe vitam conferens: *Ambæ*,inquit,*innocentes,ambæ laudabiles,ſed hæc laborioſa, ærumnis plena, timoribus caſtigata, tentationibus ſolicita:illa quieta,beata,& æterna.* Verum non eſt hic animus, ſermonem de Sanctorum gloria inſtituere: hoc illis relinquam quibus ex officio id muneris incumbit,Diuini ſcilicet Verbi præconibus,qui exploratores quidam terræ promiſſionis non incongruè dicuntur,quaſque vel ex ipſis ſacris codicibus,(in quorum meditatione aſſidui eſſe debent)vel ex Patrum lectione,(quorum ſcripta reddant ſibi oportet familiariſſima)vel ex ſacræ Theologiæ ſtudio,(ſine quo ſecurè ac ſolidè concionari nemo poteſt) illius proprietates & excellentias didicerint, aliis communicare,& quos ipſi inuenerint, theſauros, aperire ſolent.Hoc,inquam,illis permittam, meque intra moralis Philoſophiæ limites coërcebo. Vnum tantùm aut alterum Verbum de illius æternitate & immutabilitate,

tate, quæ præcipuè ad felicitatem ſpectat, obiter ſubiiciam.

Omnis mutatio inquit S. Bernardus, *eſt quædam mortis imitatio.* Cùm itaque feliciſſima hæc vita mortis expers ſit, mutatione ſimiliter omni ac viciſſitudine careat neceſſe eſt. *Hic eſſe noſtrum*, inquit S. Auguſtinus, *non habebit mortem, noſſe noſtrum non habebit errorem, amare noſtrum non habebit offenſionem*, Vita ergo eſt, quam nulla mors abrumpit: lux quam nullæ tenebræ obſcurant, dies quem nulla nox intercipit: dies, inquam, nec ortum habens, nec occaſum, vtpote quem immotus perſiſtens ſol diuinus, eodem fulgore, & plenis ſemper radiis illuſtrat, perpetuamq; facit meridiem. *O perenne ſolſtitium*, exclamat S. Bernardus, *quando iam non inclinabitur dies: ô lumen meridianum: ô Vernalis temperies, ô æſtiua venuſtas, ô autumnalis vbertas: ſola tunc hyems abiit & receſſit.* Hyems ad ver illud amœniſſimum eſt præſens vita ærumnis ac laboribus referta: ex his vexationibus illa delectatio naſcitur, ex his ſpinis illæ roſæ, ex his tempeſtatibus illa tranquillitas, ex his ſuſpiriis illud gaudiũ, ex his iactationibus illa quies: denique, ex virtute hîc cum labore exercitâ, iucundiſſimi illi fructus velut è radice proueniunt, perpetuò duraturi: &, vt ait S. Auguſtinus, *paupertate regnum emitur, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita:* Veriſſimumque oſtenditur pronunciatum illud, quod initio capitis poſui, *Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum* Cui etiam ſuffragatur illa S. Bernardi ſententia: *Hæc eſt via vitæ, tribulatio præſens, via ciuitatis habitaculi, via felicitatis æternæ, via regni.*

IV. *Omnis mutatio eſt quædam mortis imitatio.* *De Ciuit. l.12, c.28.* *S. Aug. Ser.3. in Cantica.* *S. Auguſt.*

Hinc ergo conſtat, quanti vnius cuiuſque interſit, vt dum in hoc agone, in hac virtutum palæſtra verſatur, ſtrenuum ſe ac fortem præſtet, & quæ occurrunt vitæ huius incommoda, magno & erecto animo perferat, vtpote quæ ad tantam ducunt felicitatem. *Excelſa eſt patria, humilis via*, inquit S. Auguſtinus; *qui patriam expetis*, V.

petis, quid viam recuſas? Nec deterrere quemquam debet quæ hac in parte ſubeunda eſt moleſtia & labor, nam *Nullus labor durus, quo gloria æternitatis acquiritur.*
S. Hier. in Ep. Si enim labor ſit magnus, præmium eſt infinitum: ſi conflictus ſit grauis, corona eſt magnificentiſſima: ſi lucta ſit diuturna, triumphus eſt perpetuus, nulloque vnquam fine terminandus. Sed hac de re pro inſtituto ſatis.

DISPVTATIO VNDECIMA.

Media quædam ad moralis & honeſtæ vitæ conſecutionem maximè conducentia.

I. Paul. Diaconus *l. 2. de Geſt. Longob. c. 4.*

NArſes, clarus ille belli dux, cùm, vt refert Paulus Diaconus, Longobardorum gentem ex aſpero & ſterili Pannoniæ ſolo, vbi tunc degebant, in amœniſſimos Italiæ campos euocare vellet, nuncios variis pomorum, aliorumque, quorum longè feraciſſima eſt Italia, fructuum generibus onuſtos, ad eos miſit: quibus illi conſpectis, & ex iis, terræ vnde mittebantur, vbertatem coniicientes, Pannoniâ relictâ, in Italiam aduolarunt, eamque in ſuam redegerunt poteſtatem. Honeſtæ vitæ, omnique virtutum genere inſtructæ dignitatem, amœnitatem, ac delicias, velut quoſdam decerptos ex ea fructus hic propoſui, vt illarum pulchritudine, ſuauitate, & præſtantiâ capti, ieiunis ac ſterilibus caducarum rerum oblectamentis, quæque nihil veræ voluptatis continent, relictis, totos ſe ad integritatem vitæ, morumque honeſtatem conferant, atque in virtute adipiſcendâ operam omnem & induſtriam collocent.

II. Id nunc reſtat, vt viam qua ad hunc perueniri finem poſſit, commonſtrem. In reliquo proinde tractatu principia varia, tum ad communem Reipublicæ, quatenus bonum

bonum ciuium, rectumque in iis viuendi modum ſpectat; tum ad priuatam vniuſcuiuſque vtilitatem conducentia adducam, iiſque declarandis; prout res tulerit, earumque ratio poſtularit, immorabor. Quamuis hæc ipſa, quæ ad ſingulos pertinent, pertineant etiam ad Rempublicam: ſi enim vnuſquiſque rem ſuam priuatam ſedulò curet, omnes curabunt publicam.

Si vnuſquiſque ſuam priuatam recte curet, omnes curabunt publicam.

CAPVT PRIMVM.

Præcipuum integræ & honeſtæ vitæ fundamentum eſt Dei notitia.

I.

In virtutis oculis viuendũ.

IN *virtutis oculis viuendum*, dicebant illi olim: hanc expeditiſſimam vt quis intra recti ſe honeſtique limites contineret, viam arbitrantes, ſi nimirum ante puriſſimos virtutis oculos viuere ſe ſemper, verſarique exiſtimaret, & quicquid fieret, illâ arbitrâ fieri & inſpectrice. Si imaginaria hæc virtutis præſentia, efficax adeò ad homines in officio continendos, eoſque velut fræno quodam à ſcelerum perpetratione coërcendos videbatur, quanto magis vigil ille Numinis oculus, qui nunquam clauditur, nulliuſque interpoſitione impeditur vnquam aut intercipitur, ſed omnia perpetuò luſtrat, nihilque tam occultum, tam ſecretum, tam reconditum, quod infinitâ ſuâ perſpicaciâ non dignoſcat: imò in ipſos etiam intimos humani cordis receſſus penetrat, omneſque eius anfractus, labyrinthos ac latebras ſcrutatur. Hinc Seneca: *Propè Deus eſt*, inquit, *tecum eſt, intus eſt, bonorum, malorumque omnium obſeruator.*

Dei oculus nunquam clauditur.

Seneca.

II.

Sapiens dictum Thaletis.

Interrogatus aliquando Thales, num facta hominum Deum laterent: *Ne cogitata quidem*, inquit, *vt non tantùm manus, ſed etiam mentes puras habere debeamus, cùm ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte Numen adeſſe credimus.* Ita enimuero eſt, Deo abdita quæque, maxi-

meque tecta & recondita hominum arcana patent, minutiſſimaſque etiam cogitationes, & mentis, vt ita dicam, atomos diſcernit, nullaque omnino res eſt, quantumuis tenebris inuoluta, quæ eius aſpectum fugiat.
S. Auguſt. Ep. 111. ad Fortuna. *Deus*, inquit S. Auguſtinus, *eſt totus oculus, quia omnia videt: eſt totus manus, quia omnia operatur: eſt totus pes, quia vbique eſt.*

III. **Deus Mũdi oculus.** Hinc Ægyptij dum exprimere Deum vellent, oculum in ſummitate ſceptri fixum pingebant, apertum ſemper, & omnia intuentem, Deumque hoc facto *Mundi Oculum* appellabant Hinc inſuper iidem ex auro, argento, ebore, & pretioſiſſimâ quoque materiâ oculos & aures fingebant, eaque in templis, velut ſacra quædam anathemata appendebant, vt Deum cuncta videre & audire ſignificarent, hominumque dicta omnia & cogitata, licèt mille technis & artibus occultata, illi pateſcere. Ad quod etiam alludebat verſus ille ab antiquis vſurpatus, quo Deus dicitur.

Ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.
Sol qui omnia videt, & omnia audit.

IV. **Deus Sol Solis.** Qua ſimiliter de cauſâ à Philone appellatur Deus *Sol Solis*, non tantùm quòd Sol, quicquid lucis habet & ſplendoris, ab immenſâ illâ claritate, velut quoſdam deriuatos igniculos accipiat, ſed præcipuè quòd externa ſolummodo, ac rerum ſuperficies luſtret, & hæreat quaſi in cortice: Diuinus verò Sol ad medullam penetrât, & intima quæque maximeque abdita & remota introſpicit, & perfectiſſimè ſcrutatur.

V. **Sen. Ep. 11.** Si ergo verum ſit dictum illud Philoſophi, vt eſt veriſſimum, *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat*, quanti ad vitam rectè inſtituendam eſt Dei cognitio, qui & vbique neceſſariò ſemper adeſt, & cuncta clariſſimè intuetur: hæc, inquam, cogitatio, quem ab omni, maximè etiam occulto ſcelere, non cohibebit? quis adeò perfrictæ frontis eſt, vt coram tanta maieſtate inhoneſti aliquid, aut inuerecundi audeat

com-

committere? Rectè ergo & appoſite ad rem præſentem monet Seneca: *Sic certè viuendum eſt*, inquit, *tanquam in conſpectu viuamus : ſic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit: & poteſt nihil Deo clauſum* &c. *Ep.83.*

VI. Vt ergo huic rei, quæ tanti momenti eſt, vt vidimus, honeſtæque & homine dignæ vitæ baſis ac fundamentum, aliquanto diutiùs inſiſtam: Rectam Ciuitatis alicuius aut Reipublicæ adminiſtrationem duobus potiſſimùm conſiſtere videmus, *Præmio* ſcilicet, & *Pœna.* Hæc veluti cardines duo ſunt, aut poli, in quibus & priuati cuiuſque, & communis omnium felicitas ac ſalus vertitur. In quam rem optimè Orator Romanus: *Neque domus*, inquit, *neque Reſpublica ſtare poteſt, ſi in eá rectè factis præmia extent nulla, nec ſupplicia peccatis.* Quamuis enim virtus in ſe res præſtantiſſima ſit, longéque digniſſima ad quam cõſequendam feruore ſummo homines ac ſtudio ferantur, in eiuſque adeptione operam omnem ſuam & induſtriam collocent, iis tamen difficultatibus eſt ſepta, vt licèt illius pulchritudine capiantur, nihilominus niſi vlterioris alicuius pręmij ſpe & expectatione incitentur, ad eius conſectationem non aſſurgant, ſed laudatores virtutis, non cultores, admirari eam ſatius ducant quàm tanto labore proſequi: adeò verum eſt, quod non inſcitè dixit quidam: *Haud facilè quiſquam gratuitò bonus eſt.*

Præmium & Pœna duo Cardines Reipublicæ.

Lib.3.de natura Deorum.

Haud facilè quiſquam gratuitò bonus eſt.

VII. Ad vitia è contra pronis animis, totoque impetu homines rapiuntur: quare niſi ſummi alicuius Legiſlatoris ac iudicis maieſtate cohibeantur, qui & præmiis ad honeſtiſſima quæque inuitet, & pœnarum ac ſupplicij comminatione à ſceleribus deterreat, quique omnia, quantumuis latenter perpetrata dignoſcat, ſtrictamque de ſingulis rationem exigat, in omne flagitiorum genus præcipites ruent, ſeque infinitis contaminabunt facinoribus. *Non eſt Deus in conſpectu eius*, inquit Regius Propheta: ſed quid ex hac obliuione ſequitur? *inquinata*

Ad vitia homines pronis animis feruntur.

Pſalm.9. v 26.

nata ſunt via illius in omni tempore. Quid enim honeſti expectari poteſt vbi ſua cuique libido lex eſt, metuque omni excuſſo, cupiditatibus fræna laxantur? quæ clanculum furta, quæ adulteria committent homines, imò quas etiam publicè rapinas & homicidia, vbi humana iudicia ſubterfugere, legumque ſeueritatem arte aliquâ eludere, vel declinare pecuniâ, aut denique vi & potentiâ perrumpere ſe poſſe exiſtimant. *Impunitas ſiquidem maxima peccandi illecebra*: quid enim ibi non audebit quiſpiam, vbi quod lubet licèt? veriſſimum proinde eſt illud Platonis effatum; *Dei ignoratio peſtis eſt Reipublicæ.*

Impunitas, maxima peccandi illecebra.

VIII. Hinc grauiſſima vbique gentium in Atheos ſtatuta ſupplicia. Apud Athenienſes, cùm præ orbe reliquo floreret Græcia, præ cæteris Græciæ vrbibus Athenæ, hæc ſancita lex eſt & legum prima: *Athei morte mulctantor.* Plato verò non vnâ tantùm morte, ſed pluribus afficiendos affirmabat, qui auctorem vitæ negabant. In eos itaque omnes qui Numen negabant, tanquam in homines pernicioſos, ac perturbatores Reipublicæ, morumque deprauatores capite animaduertebant. Imò proſcriptione punitus eſt Protagoras, librique eius in foro publicè combuſti, quòd hac de re vel dubitaret. Tanti ad vitam rectè inſtituendam exiſtimabant hanc cogitationem, *Deum eſſe*, omnium mentes occupare, penituſque iis hærere infixam.

Athei morte mulctātor.

Cur Athenis proſcriptus Protagoras.

IX. Cùm ergo ad moralis Philoſophiæ ſcopum, vt nimirum homines ad morum honeſtatem, virtutiſque exercitationem informentur, adeò neceſſaria ſit ſummi alicuius Numinis, omnia perfectiſſimè ſemper intuentis, reſque humanas adminiſtrantis cognitio, ad præſens inſtitutum non parum facit, ut huiuſmodi Numen, ſeu Deum, dari oſtendam: qua de re fuſiorem in Metaphyſica diſputationem contexui, vnde pleraque ex iis quæ ad Dei exiſtentiam demonſtrandam hic adduco, mutatis tamen & additis quibuſdam, deſumpſi.

CAP.

CAPVT SECVNDVM.

Demonſtratur dari Numen aliquod ſupremum, ſeu Deum.

Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. In corde ſuo, inquam, hoc dixit: Deum enim negare, eiuſque venerationem & cultum ex hominum animis euellere, res adeò nefanda eſt ac deteſtabilis, vt præ pudore eloqui eam vereretur: ſicque intra cordis ſui latebras abdidit, & quibuſdam quaſi tenebris aſcondit. *Ideo*, inquit S. Auguſtinus, *dixit in corde ſuo, quia hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare.* Quod ille præ verecundia palam dicere erubuit, id nonnulli hac ætate (quæ noſtri temporis eſt infelicitas, & quorundam hominum impudentia) proloqui non verentur, plenoque ore nullum in orbe reperiri Numen dictitant, ſed caſu omnia ac temere contingere: eo nimirum conſilio, vt excuſſo quaſi & ablegato legiſlatore, à legibus ſoluti, pecudum ritu ſe in omni vitiorum cœno volutent, datiſque animo habenis in libertatis ac licentiæ Circo præcipites volitent, nullo impediente, moramque iniiciente currentibus. Fatuum ergo hunc errorem hominibus noxium, Deoque maximè contumelioſum, variis adductis rationibus hic refellam, *vt obſtruatur os loquentium iniqua.* I. *Pſalm. 13. v. 1.* *S. Auguſt. in Pſal. 13.* *Radix atheiſmi.*

Dari itaque ſummum aliquem rerum omnium opificem ac moderatorem, Naturæ vox eſt, quæ tot linguis, quot in ſe res diuerſas continet, aliquem exiſtere earum Conditorem profitetur: imò vno cuncta ore clamant, *Ipſe fecit nos, & non ipſa nos.* Quid enim aliud teſtatur eximia illa vniuerſi pulchritudo, ſummaque rerum omnium varietas, quàm primum aliquod, ac ſupremum dari Principium, à quo, tanquam à fonte, ſuum II. *Natura vox eſt, dari Deū.*

illæ decus, venuſtatem, perfectionemque accipiant, & è cuius immenſo ſplendore quaſdam in ſe deriuatas habeant ſcintillas. Quid diei ac noctis, hyemis & æſtatis, omniumque anni temporum ſibi inuicem ſuccedentium ordo, æquabiliſque viciſſitudo? quid cæleſtium corporum ſtructura, magnitudo, maieſtas: quid ſolis ac lunæ inter ſe acceſſus & receſſus, diuerſique ſphærarum ac globorum ſemper à ſe inuicem recedentium, ſemper ſtatis temporibus recurrentium motus, conſtanſque inconſtantia, quæ ſumma etiam ingenia in ſui admiratione defixa tenuit? quid, inquam, hæc indicant aliud, quàm ſummum aliquem eſſe Moderatorem, cuius ſapientiâ cuncta diſponantur, imperioque ac nutu adminiſtrentur?

Oſtenditur Deus ex rerum varietate, pulchritudine, & ordine.

III. *Nullus mentis compos, poteſt dicere, hæc caſu contingere.*

Quod verò hæc omnia quiſpiam, non conſilio aut prudentiâ ſummi alicuius artificis, ſed caſu contingere ſuſpicetur, adeò ab omni ratione eſt alienum, vt commentum potiùs aut ſomnium, parumque ſanæ mentis delirium cenſeri debeat, quàm rationibus refelli. Si enim ne ligneam quidem ſphæram, aut horologium ex pauculis rotis conſtans, quæ vmbra tantùm quædam ſunt ſphærarum cœleſtium, caſu quis ac temere compacta vnquam vidit, & concurſu fortuito coaluiſſe, nec niſi ſummâ arte & induſtriâ gnari alicuius & ſolertis artificis, quid de ſphæris ipſis cæleſtibus, ingentique illâ mole, artificioſiſſimâque machinâ cenſendum? quis, inquam, mentis compos, caſu illam primò compactam, caſu tot tamque diuerſos in eâ motus quotidie effici arbitretur?

IV. *Hæc ratio efficaciſſima ad Numen probandum, Patribus eſt viſa.* S. Greg. Naz. 2.

Hæc ratio ſanctis Eccleſiæ Patribus efficax adeò videtur, vt neminem eſſe exiſtiment niſi hebetem omnino ac ſtupidum, planeque obtuſi ingenij, qui ei non cedat, vnumque ſummum rerum omnium opificem ac moderatorem, argumenti huius vi conuictus, non agnoſcat? S. Gregorius Nazianzenus Oratione ſecundâ Theolog. de cognitione Dei per creaturas loquens; *Prorſus,*

Prorſus, inquit, *hebetis eſſe hominem iudicij neceſſe eſt, qui non ſponte ſuâ, naturaliumque demonſtrationum veſtigiis eò progreditur.* Conſonat S. Auguſtinus, datiq; huiuſmodi Numen, ſeu virtutem vniuerſi creatricem ac moderatricem, certius eſſe autumat, quàm res ipſas exiſtere. *Faciliùs* (inquit in Confeſſ. de cognitione Dei ex mundi opificio diſſerens) *Faciliùs dubitarem vtrùm ipſemet viuam, quàm vtrùm viuat veritas illa æterna, cuius ſempiterna virtus & Diuinitas in ſuis operibus dignoſcitur.* S. Auguſt.

Tantundem docet Tertullianus: *Nemo negat*, inquit, *quia nemo ignorat, quod vltro natura ſuggerit, Deum eſſe vniuerſitatis Conditorem.* Clariſſimè hoc ipſum affirmat S. Baſilius: *Siquis*, inquit, *pietatis ſectator eſt, is, quid Deus ſit, curioſè non inquirat: verùm ex iis quæ ab illo facta ſunt, eum eſſe cogitet, illumque certò apud ſe ſtatuat: ſiquidem ex procreatarum rerum magnitudine & pulchritudine, illarum molitor & artifex certâ quadam ratione dignoſcitur, & ſpectatur.* Vnde idem S. Baſilius cum aliis Patribus *Cælum* vocat *librum idiotarum*: innuens nimirum neminem rudem adeò eſſe & imperitum, qui in Cœli magnitudine, ſplendore, ac varietate legere nequeat potentiam, maieſtatem, & ſapientiam Conditoris. In quam rem pulcherrimè Sanctus Proſper in illa verba Apoſtoli, Actorum 14. *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum* (Deus) *reliquit. Quod*, inquit, *eſt hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſeruiuit, & nunquam de eius bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur.*

Tertull. *lib. de ſpectaculis. c. 2.* S Baſil. *Orat. de Verbi Incarn.* *Cælum idiotarum Liber.* S. Proſper *Lib. 2. de vocat. Gent. c. 4.*

V. Nec Sancti Patres tantummodo, ſed Ethnici etiam hoc ipſum, ex vniuerſi nimirũ ſtructurâ, perfectione & pulchri-

pulchritudine, partiũmque eius inter ſe ſymmetriâ & ordine deduci, ſummum aliquem horum omnium opificem eſſe ac moderatorem, meridianâ luce clarius eſſe exiſtimarunt. Hinc Triſmegiſtus mundum vocat *Librum diuinitatis, & ſpeculum diuinorum; in quo*, inquit, *Deus clarè ſeipſum expreſſit atque depinxit.* Ex hac eâdem conſideratione Plato Deum appellat *Primam Mentem*, quæ nempe his omnibus præſit, ſummâque ſapientiâ in ſuos quæque fines ordinet, ac diſponat. In quam rem pulchrè Cicero: *Quid*, inquit, *poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cùm cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, à quo hæc regantur.* Quâ etiam de causâ, Academici Deum quaſi *Animam mũdi* nuncupabant: quòd ſcilicet, vt anima corpus, ita Deus totum hoc Vniuerſum adminiſtret & gubernet, parteſque eius ſingulas ad peculiare illud, ad quod à natura ordinantur, munus applicet. Hinc Orpheus, *Mundi*, inquit, *machina eſt ſuauiſſima muſica, admirabili ſemper conſonantiâ prædicans, & laudans Deum.* Quæ omnia paucis hiſce verbis pulchrè complexus eſt Ariſtoteles: *Quod in naui gubernator*, inquit, *in curru auriga, in choro præcentor, in Ciuitate lex, in exercitu Imperator, hoc in Mundo Deus.*

Triſmegiſtus. Plato. Academici. *Mundus eſt muſica laudans Deum.* Ariſtoteles.

Naturæ ergo vox eſt, ſi audire eam homines velint, *Deum eſſe.* Id mundus hic ſublunaris, id cœleſtium ſphærarum magnitudo, motus, & harmonia clamant, ac Dei laudes aſſiduè, noctè dieque concinunt: *Concentum* quippe *cœli quis dormire faciet?* Quidam nihilominus voce cœlo diſſonâ, ac totâ Naturâ, propriaque etiam ipſorum conſcientiâ reclamante, Numen negare volunt, diſcordes maleque temperatas habentes animas, quæque mundi muſicam, quantum in ipſis eſt, diſturbant ac deſtruunt. Carnis nimirum blandimentis, voluptatumque illecebris deliniti, *ſicut* aſpides *ſurdæ, & obturantes aures ſuas*, audire renuunt, & ad has cæli voces obſurdeſcunt. Et quemadmodum iis, qui ad Æthiopiæ

Concentũ cœli quis dormire faciet?

thiopiæ cataractas, ſeu *Catadupa*, habitant, ingenti aquarum ſonitu audiendi vis paulatim obtunditur, ac demum eo penitus ſenſu orbantur illius loci accolæ; ita hi vehemente terrenarum rerum, quibus ſe ſponte implicant & immergunt, ſtrepitu hebetati, ad hanc cœleſtis machinæ, & in ſe, & cum terreſtri harmoniam, quæ res omnes Conditoris ſui virtutem, dignitatem, & magnificentiam prædicant, non attendunt, nec quidquam ſe in hoc genere animaduertere dictitant. Alias res omnes, & vel minimum etiam ſuſurrum, ſi ad voluptatem, corporiſque delectationem alliciat perfectiſſimè diſcernunt; hanc tamen totius vniuerſi vocem planè, videlicet, non percipiunt. Cùm ergo iſtud, quod aliis auditu facillimum videtur, imò quod neminem, vt velit, audire non poſſe exiſtimant, hi ſoli non audiant, ſeque hac vnâ in re ſurdaſtros profiteantur, iure ab omnibus malè audire cenſebuntur. *Aethiopia Catadupa.* *Athei, & ſurdaſtri ſunt, & malè audiunt.*

Hæc prima ratio eſt ad Numen demonſtrandum, eaque euidentiſſima, cui, inquit Ariſtoteles, quiſquis refragatur, non minùs pœnâ dignus meritò iudicabitur, quàm is exiſtimari poteſt oculis indigere, qui niuem negauerit eſſe albam. Alias nihilominus eiuſdem rei probationes ſubiiciam capite ſequente. VII.

CAPVT TERTIVM.

Aliæ rationes, quibus demonſtratur eſſe Deum.

SEcunda Numinis demonſtratio, eaque euidens, deſumitur ex nationum omnium hac in re conſpiratione & conſenſu. Hominibus enim in omni Orbis parte, iam inde à naſcente mundo, ita hæc incedit cogitatio, ſupremum ſcilicet aliquod Numen eſſe, cui cultus veneratioque à mortalibus debeatur, & à quo opem in rebus omnibus depoſcant, vt monſtri inſtar habitum ſit, ſiquis contrà vel leuiter quidquam inſinuaret. I. *Secunda Demonſtratio ex nationum omnium conſenſu.*

Nulla

Nulla gens tam fera, inquit Cicero, *nemo omnium tam immanis, cuius mentem non imbuerit aliqua Numinis opinio.*

II. *Altaria vbique erecta, oſtēdunt, eſſe Deum.*

Cùm ergo in hoc nationes omnes & ætates conſpirent, vt ex erectis vbique gentium altaribus, certiſque ad cultum Deo peculiariter exhibendum deſignatis hominibus conſtat, amens certè iure cenſendus eſſet qui de hac re dubitaret, ſeque iudicio totius Orbis, totque ſapientiſſimis ab ipſo mundi exordio viris opponeret: exterminari haud dubiè ex cœtu & conuictu hominum deberet, ſtultæque peruicaciæ meritas pœnas dare.

III. *Natura dictat, Numen aliquod exiſtere.*

Accedit, communem hanc perſuaſionem, Numen ſcilicet aliquod exiſtere, vniuerſi huius Conditorem ac Moderatorem, ab ipsâ Naturâ humanæ menti innatam & inſitam eſſe. Natura autem rationalis, vt nihil rectæ vitæ, morumque inſtitutioni contrarium, aut ad voluntatis deprauationem tendens ſuggerit, ita nec falſum inſerit intellectui, vel in errorem ſuâ quaſi ſponte & inclinatione propellit: ſic enim ratio rationi eſſet contraria, ſeque ipſa deſtrueret.

IV. *Naturæ vox omnibus vna.*

Homines ergo toto orbe diſperſi, quantumuis linguis inter ſe ac ſermone diſcrepent, ſuoque ſinguli idiomate ab aliis diuerſiſſimo vtantur, in hac tamen vnâ voce, mirâ omnes conſenſione conueniunt; nempe, *Deum eſſe*, vtpote quam non arte didicerint, ſed ipſius Naturæ manu ac ſtylo inſcriptam ſibi & inſcultam acceperint. Quam proinde *Hebræi, Græci, Romani, Germani, Britanni, Indi*, iiſdem in ſe formatam characteribus, iiſdemque typis impreſſam habent, ſummâque facilitate ac promptitudine, eâdem Naturâ magiſtrâ, legunt & interpretantur. Hinc itaque conficitur eſſe Numen aliquod, cuius nutu res omnes & arbitrio regantur: Naturæ quippe lumen nunquam fallitur nec vox fallit, aut lingua mentitur; neque ob nullum finem hic cum hominibus ſemper naſcitur inſtructus: *Deus* enim

nim *& Natura*, vt rectè Philoſophus, *nihil faciunt* *Deus & Natura nihil faciunt fruſtra.*
fruſtra.

Tertia huius rei probatio inde ſumitur, quòd nefandum hoc Atheorum dogma (vt latiùs capite primo oſtendi) omni ſcelerum generi viam referet, hominesque fœdâ quadam Metamorphoſi in belluas transmutet. V. *Atheorum dogma homines trãſmutat in belluas.* Cuius enim mentem hæc ſemel inuaſit perſuaſio, nullum ſcilicet Numen eſſe, omni protinus vitiorum generi ſe vltro tradet, voluptatemque ſibi ſcopum præfigens, tum demum beatum ſe exiſtimabit, cùm animo, ſordidiſſimis etiam in rebus obſecundarit; quoque eſt ſceleratior, eo ſibi videbitur felicior. Quid enim penſi habebit is, qui nullum flagitiorum vindicem agnoſcit, quiúe pænam pro ſceleribus infligat: nullum haud dubiè fœditatis ac turpitudinis genus eſt, in quo ſe liberè non volutabit. Cùm ergo hic ſit Atheiſmi, ſeu negati Numinis, fructus, vel hinc apertè conſtat, quantopere deteſtandum ſit perniciosum illud, ac planè peſtilens principium, quod furtis, rapinis, homicidiis, omnique omnino impietati impunè viam ſternit hominumque conuictum & ſocietatem funditus euertit. *Atheiſmi fructus.*

Quartò, hoc ipſum apertiſſimè demonſtrant plurima & manifeſtiſſima miracula, quæ nullâ virtute naturali patrari potuiſſe, certum eſt: quare in vim aliquam ſupra totam naturam refundi neceſſariò debent. Facta autem eſſe huiuſmodi prodigia, euidenter conſtat teſtificatione plurimorum, & vitæ integritate, & ſapientiâ, & doctrinâ præſtantium: ita vt quiſquis ea in dubium vocauerit, dubitare perinde poſſit de re quauis hiſtoricorum narratione & antiquorum monimentis, nobis traditâ. VI. *Miracula probant dari Deũ.* Accedunt pœnæ blaſphemis ac periuris frequentiſſimè, plurimis etiam inſpectantibus, inflictæ: nullumque ferme peccatum eſt, quod manifeſtiore Deus ſupplicio & vindictâ in hac vita puniuerit, quàm hæc duo, vtpote ei inprimis iniurioſa, *Blaſphemi & periuri ſingulariter puniti.*

ſunt.

ſummoque eius Numini directè oppoſita.

VII. *Athei velut noctuæ ad ſolem.* Plura in hanc rem afferri poſſent, ſed hæc abunde ſufficiunt, apertiſſimeque probant intentum. Quare non reprehenſione tantùm & vituperio, ſed pœnâ inſuper & caſtigatione digni ſunt nonnulli, hoc etiam tempore; qui velut noctuæ ad ſolem, ita in hac tantâ luce, quæ gentium omnium & ætatum oculos perſtrinxit, cæcutire volunt, & reluctante conſcientiâ perſuadere ſibi nituntur nullum huiuſmodi Numen in mundo eſſe. De quibus appoſitè Tertullianus. *Tertull. in Apolog.* *Hæc eſt ſumma delicti*, inquit, *nolentium recognoſcere, quem ignorare non potuerunt.* Voluntatis nimirum vitium eſt, non intellectus; clarior enim eſt hæc veritas, quàm vt vllis obſcurari tenebris poſſit: ſed cùm profligatæ ſint vitæ, totique ſceleribus addicti, & in impuris hiſce ac ſordidis voluptatibus felicitatem ſuam collocent, ab omni Numinis, ſummique iudicis, qui de his aliquando flagitiis pœnam ſumat, mentem pro virili auocant: ſenum illorum Danielis decimotertio non abſimiles, qui cùm obfirmato in ſcelere, quod conceperant, eſſent animo, nec ab eo dimoueri vllo pacto vellent, *Declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.*

VIII. *Aegypti coloni cœlum non aſpiciunt.* *Sen. l. 4. Nat. quæſt. c. 2.* Mihi itaque huiuſcemodi homines, Ægypti colonis non inſcitè conferri videntur; qui, vt ait Seneca, cœlum nunquam ſuſpiciunt, ſed faciem ei ſemper habent auerſam, quòd ſcilicet terra illa, non pluuiâ, imbribuſque de cœlo cadentibus irrigetur, ſed ex Nili inundatione fœcunditatem accipiat: ſic iſti terrenis planè rebus immerſi, ac veluti inundati, oculos nunquam attollunt, ſed tanquam bruta animalia ad paſtum & voluptatem abiecti, prono ſemper in terram vultu hærent, cœli, rerumque omnium Conditoris ac largitoris obliti.

IX. *Sen. l. 4. de Benefic. cap. 5.* Rem hanc concludam pulcherrimis Senecæ verbis: qui de eximiâ Dei in homines beneficentia, infinitiſque

que in eos collatis beneficiis loquens, ſic habet. *Vnde iſta quæ poſſides? Vnde hæc innumerabilia, oculos, aures, & animum mulcentia? neque enim neceſſitatibus tantum noſtris prouiſum eſt: vſque ad delicias amamur. Tot arbuſta non vno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum. Iam animalia omnis generis: vt omnis rerum natura pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amœniſſimis flexibus campos cingentia,* &c.

Denique, cùm multa in hoc argumentum dixiſſet, incredibilemque ſummi Numinis in humanum genus amorem, liberalitatem, ac magnificentiam declaraſſet, nefandam quorundam hominum, hæc à Deo proficiſci negantium, ingratitudinem redarguens ſubiungit: *Cùm iſta quæ habes, magno æſtimes, quod eſt ingrati hominis, nulli debere te iudicas. Vnde tibi iſtum quem trahis ſpiritum? Vnde vitam, per quam actus vitæ tuæ diſponis, atque ordinas lucem? Vnde ſanguinem, cuius curſu vitalis continetur calor? Vnde iſta palatum tuum ſaporibus exquiſitis vltra ſatietatem laceſſentia? Vnde iſta quies,* &c. *Nonne ſi gratus es, dices:* X. *Cap. ſexto.* *Athei ingratum hominum genus.*

Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi ſemper Deus.

Nec multo pòſt, inanem ac futilem atheorum reſpõſionem, hæc non à Deo, ſed à Natura ſe accepiſſe dictitantium, refutans ſic progreditur: *Natura*, inquis, *hæc mihi præſtat. Non intelligis te, cùm hoc dicis, mutare nomen Deo: quid enim aliud eſt Natura quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta. Tot appellationes eius poſſunt eſſe, quot munera.* Tandem itaque totum hunc diſcurſum concludens, in hæc verba prorumpit: *Nil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, ſed Naturæ. Quia nec Natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine Natura: ſed idem eſt vtrumque, nec diſtat. Officium ſi quod à Seneca accepiſſes, Annæo te diceres debere, vel Lucio, non creditorem mutares, ſed nomen.* Et alia his ſimilia. XI. *Cap. ſeptimo.* *Atheorum reſponſio refutata.* *Cap. octauo.*

Hunc

Hunc verò Philoſophi diſcurſum ideo fuſiùs retuli, tum quia appoſitiſſimus eſt ad rem præſentem, & Atheos, hominum quiſquilias, neruoſè exagitat: tum quia præcipuam eorum obiectionem clarè diſſoluit.

XII. Latiùs hanc quæſtionem diſputaui in Philoſophia, vbi Metaphyſica etiam quædam argumenta ad hoc probandum adduxi, quæ hic omitto. Qui plura cupit, legat S. Thomam 1 *p. q.* 2. *a* 3. vbi quinque optimas rationes ad hoc demonſtrandum affert. Fusè etiam hac de re ſcribit Suarez Diſputatione 29. Metaphyſicæ, *ſet.* 2. Tannerus 1. *p. d*, 2. *q.* 1. *dub.* 4. Leſſius in eruditiſſimo opere de Prouidentia Numinis; vbi hoc copioſiſſimè & doctiſſimè declarat.

XIII. Reliquas Atheorum obiectiones qui videre cupit, paſſim in auctoribus reperiet; mihi non tanti videntur, vt iis recenſendis ac refellendis diutiùs immorer, & ex iactis hic fundamentis facilè refelli poſſe exiſtimo.

DISPVTATIO DVODECIMA.

Deus vnus eſt, non plures.

Qui plures quàm vnum, Deos ſtatuit, nullum ſtatuit.

IN *medio conſiſtit virtus:* in quam proinde & per defectum peccatur, & per exceſſum. Peccant per defectum Athei, qui omne ex Vniuerſo Numen tollunt: peccant alij per exceſſum, qui ab omni tollendo Numine tantùm abſunt, vt plura ponant. Quamuis & hi per defectum peccare dici poſſint, Qui enim plures quàm vnum Deos ſtatuit, nullum ſtatuit: multoſque Deos agnoſcere, eſt omnem negare; atque in hoc genere nimis pium eſſe, eſt eſſe impium.

CAP.

CAPVT PRIMVM.

Varia antiquorum figmenta circa Deorum numerum.

ALii ergo duos: alii tres: alii plures, alii pauciores Deos ponebant, & ſuo quiſque arbitratu Numina cudebat. Deletâ quippe ſemel ex animo, & oblitteratâ verâ Dei notione, velut amiſsâ anchorâ fluctuabat mens humana, & ad innumeros errorum ſcopulos naufraga allidebatur, ac pietatis ſpecie homines infinitis implicabant ſe ſacrilegiis. I. *Olim ſuo quiſque arbitratu Deos cudebat.*

Qui verò primus Deorum numerum ac diuerſitatem ſolemniter inuexit, fuit Homerus, inde *Faber Deorum* appellatus. Hic totam illam Deorum farraginem in ſuo primùm cerebro concepit, mox prodigioſo etiam partu in lucem edidit, magno mortalium malo, prophaniſque ſuis verſibus, velut Apotheoſi quadam poſteritati conſecrauit. Iis nihilominus coloribus illos depinxit, tum vera de iis crimina recenſendo, tum affingendo falſa, vt multis videatur nihil illis diuini ineſſe exiſtimaſſe, ſed ſub Deorum appellatione & ſpecioſis Cœlitum titulis, fictoque honore, omnium ludibrio expoſuiſſe irriſor potiùs Deorum, quàm cultor. Sed quibus ipſe Nomen, alij Numen appoſuerunt: & hæc Homeri ſomnia, hominum animos ad nouitatem ſemper, maximè circa religionem, ſacrorumque ritus & ceremonias pronos, ita occupauit, ac totam ferme peruaſit antiquitatem, vt templa iis & aras erexerint, ac religioſum cultum, diuinoſque honores tribuerint. II. *Homerus Faber Deorum.*

Sed horum, error dixerim, an delirium, vel ipsâ Deorum quos colebant, inſpectione refelletur: tot enim, tamque abſurdi fuerunt ac ridiculi, (vt in eruditiſſimo illo opere de ciuitate Dei oſtendit S. Auguſtinus) vt mi- III.

Diuerſitas Deorum, quos colebant antiqui. Singulas ariſtas nouem curabant Deæ.

rum ſit potuiſſe quemquam animum inducere ad venerationem iis exhibendam. Ac primò, quoad varietatem ac numerum, cœleſtes erant, terreſtres, inferi: marini, fontani, fluuiales: antiqui, noui; magni, parui: vrbani, ruſtici: cicures, ſylueſtres: peregrini, domeſtici: certi, incerti: mares, fœminæ: Fauini, Syluani, Satyri. Nulla ferme res erat tam exigua, quæ peculiarem ſibi Deum non ſortiretur: imò vnicuique tritici ariſtæ nouem Deos præficiebant, quarum ſingulæ ſingulas illius partes curarent, illiſque ſedulò inuigilarent, & ad perfectam tandem maturitatem, niſi mus fortaſſis aliquis, aut vermiculus earum diligentiam præueniret, perducerent.

IV. *Dij Deæq; infantuli curam gerentes: S. Auguſt. l. 4. de Ciuit. c. 11.*

Operæ pretium autem eſt videre, quot Dii Deæque in infantuli alicuius curâ ſuperſtitiosè ab iis impendebantur. Inprimis, *Naſcio* Dea, quæ naſcentibus præeſſet: *Leuana*, quæ infantem de terrâ leuaret: *Deus vagitanus*, qui os vagienti aperiret: Dea *Cunina*, quæ curas verſaret, agitaretque, & infantis conſeruationi, dum in cuius eſſet, attenderet. *Carmentes*, quæ fata naſcenti canerent. Diua *Rumina*, quæ ex mammis lacori eiuſdem immulgeret. *Statulinus*, & *Fabulinus* Dii, quorum ille ſtare, hic fari pueros doceret. Deo *Edulica*, & Dea *Potina*, quæ cibum ipſi & potum miniſtrarent. *Pauentia*, quæ infantulorum pauoribus præeſſet. *Oſſilago* Dea, quæ oſſa puerorum induraret, ac ſolidaret. *Numerica*, quæ eos in numerando, *Camœna*, quæ cantu erudiret. En quot Dii in puerulì educatione fatigabantur, quæ tamen cuncta, vna nutrix commodè præſtat, Diis illis omnibus ac Deabus in curâ paruuli habenda haud paulò peritior. Mitto alia plurima, vt *Bubonum*, Boum, *Equinam*, equorum, *Pomonam*, pomonem Deam, & ſimiles: nullus enim in hoc genere delirandi finis.

V. Etſi verò tanta, vt vidimus, fuerit Deorum apud illos multitudo, vilis tamen & abſurda eorum conditio numerum longè excedebat. Quæ enim, & qualia Numimina, cæca finxit Gentilitas, fœcunda monſtrorum parens?

rens? quæ Deorum portenta progenuit. Et vt ex multis pauca ſeligam; quid tam ſtupendum, quàm *Iouem*, impium in parentem, quem de regno deturbauit, ſibique illud occupauit, tot adulteriis infamem, tot coopertum flagitiis, quique millies mortem merebatur, quid, inquam, tam ſtupendum, quàm hunc Deum facere, vitæque ac mortis arbitrum conſtituere, ac demum cœli terræque moderationem eidem committere? Quid tam indignum, quàm ſpurciſſimæ *Veneri*, turpitudinum omniū ſentinæ thus adolere, cœleſtemq; cultum tribuere? Quid tam ineptum, quàm fuliginoſum *Vulcanum*, deuotum fumo caput, Deum creare? Quid tam ſtolidum, quàm Bacchum temulentum, & *Mercurium*, quem patronum furum ſtatuebant, hominesque clepere, atque res à ſe inuicem ſuffurari clanculum, ac ſubripere docebat, inter, Deos referre? Quid denique tam ab omni ratione alienum, quàm eos, qui perpetuis inter ſe rixis ac iurgiis fœdum in modum contendebant, conuiciis ac contumeliis lacerabant, grauiſſimaſque ſibi inuicem inferebant iniurias, habere in ſe Numen exiſtimare? Verè cæcutiebas, Homere, cùm iſthæc ſcriberes, hominesque vel hominum nomine indignos, Deos faceres: cæcutiebas, inquam, non oculis magis, quàm mente captus; & hac tua cæcitate orbem infeciſti vniuerſum.

Gentilitas fœcunda monſtrorum parens.

Homerus mente magis, quàm oculis captus.

VI. Sed hi Maiorum Gentium Dij vocabantur; oculos nunc aliò vertamus, videbimusque nihil ferme fuiſſe, à quo vel emolumenti aliquid, vel nocumenti prouenire hominibus potuiſſet, quin à ſtultâ antiquitate pro Deo haberetur, ſacroſque ſortiretur honores, vt cultu ei & obſequio præſtito, ſibi illud demererentur ac deuincirent: ſicque ſi res bona eſſet, commodum inde aliquod perciperent, ſin mala, vitarent incommodum Hinc, non *ſolem* tantùm ac *Lunam*, corporaque illa cœleſtia, quę dignitatem præ ſe quandam & maieſtatem ferunt, ſed res etiam quaſque viliſſimas, vt *canem*, *felem*, *murem ſerpentem*, *arietem*, *bouem*, *aſinum*, & id genus alias,

Res quæque viliſſima olim pro Dijs culta.

genus alia, ipſo, quem colebant, aſino ſtolidiores venerabantur.

VII. *Romani aliarum Gentium Deos Romam trāſferebant.*

Nulla tamen in Orbe Natio magis dedita ſuperſtitioni fuit, quàm Romani: qui, præterquam quòd Gentium omnium, quas armis ſibi ſubiugauerant, Deos Romam transferrent, ſummoque illic honore eos proſequerentur, tot præterea, tamque ridiculos, ſibi proprios habebant, quos variis ritibus & ceremoniis, inſtitutiſque etiam ijſdem ſacrificiis colebant, vt mirum ſit, homines cœterâ oculatos, ad tantam in hoc genere cæcitatem deuenire potuiſſe. Primò itaque, vt ſordidum illud Deorum par omittam, *Sterquilinium* & *Cloacinam*, ex quibus hæc ſentinis præerat, ad hoc munus à Tarquinio Priſco ſolemniter inaugurata, illi ſterquilinii cura demandabatur: vterque autem Deus ſuos Romæ habebat honores: hos, inquam, vt omittam, religioſo inprimis cultu venerabantur Romani *Murciam* deſidiæ Deam, cui & ſacellum dicabant: meticuloſos item illos Deos *Pallorem* & *Pauorem*, ac turbulentam Deam *Tempeſtatem*: Deam etiam *Feſſoniam*, quæ feſſos leuare dicebatur: & Deam *Vitulam*, ſeu *Vitulinam*, quæ ad lætitiam mouere, & ad hinc inde, vitulorum aut hœdorum more, curſitandum incitare credebatur.

S. Aug. de Ciuit. l. 4. c. 23.

Murcia *Deſidiæ Dea.*

VIII. Lauerna, *Dea furum.*

Celebris inſuper Romæ erat Dea *Lauerna*, quæ furtis præerat: ad quam proinde fures (qui fatigare ſe multùm orando non ſolent) ſupplices accedebant, eamque magnâ (pro naturâ gentis) deuotione præcabantur, vt & furta iam ab ijs commiſſa celaret, furcamque eius operâ euaderent, & vt eorum conatus, dum ad nouum aliquod huiuſmodi ſe facinus comparabant, fortunaret, fauſtumque exitum concederet. Nec infimo apud eoſdem loco erat aliud Deorum par, *Robigus*, &, vxor fortaſſis illius, *Rubigo*: is rure ſemper, & in campis agebat, tritico que inuigilabat, ne quid illi ſiniſtri accideret: hæc Dea domeſtica operâ in eo ponebat, ne ex ære aut ferro confecta vaſa ſitum contraherent,

Deus Robigus. & Dea Rubigo.

&

& vt anſæ, feræ, peſſuli, ferramentaque omnia niterent. Huic vel comes vel famula dabatur Dea *Axungia*, cui id muneris incumbebat, vt axes curruum, & portarum cardines ſeuo aut oleo inungeret, ne ſtridorem aut ſtrepitum ederent. Tandem (vt plurima omittam, quæ latiùs proſequitur S. Auguſtinus) præcipuum inter Deas domeſticas locum obtinebat Dea *Diuerra*, à verrendo dicta, quæ ſcopas manibus ſemper geſtitans, nunc pauimentum mundabat, nunc parietes, ſordeſq; omnes è doiiciebat Si verrendo, Deos hoſce omnes, Deaſque, & ſe vna cum illis eiicere, ſcopiſque illis ſuis ciuitatem hac fæce purgare potuiſſet, & vrbi & Orbi vtilem operam nauaſſet; nec enim viliores aut immundiores ſordes vrbs Romana, & eius exemplo Orbis reliquus continebat. *De Ciuit. l. 3. 4. & 6.* Diuerra *ſcoparum Dea.*

IX. Nullum verò ex Diis aut Deabus iſtis minutioribus ritu ſuperſtitioſiore colebat Roma, quàm *Febrim*, Vnde priſcos illos Romanos hoc nomine irridens S. Auguſtinus, eam appellat *ciuem Romanam*. Agenſque de genere eius & proſapia (quæ non admodum clara eſt, cùm ex putredine, corruptiſque humani corporis humoribus vt plurimùm naſcatur) *vndecunque*, inquit, *nata ſit, non, opinor, audebunt eam ignobilem dicere Dij peregrini Deam: ciuem Romanam.* Huic tria templa tribus diuerſis vrbis partibus extruxerunt, eique delicatiſſimis quibuſque cibis, & omni bellariorum, melleque & ſaccaro conditorum fructuum genere litabant, vtpote Deę infirmæ, & huiuſmodi deliciis indigenti. Febris à *Romanis vt Dea culta.* *S. Auguſt. de Ciuit. l. 3. c. 12.*

X. Denique quemadmodum aliarum Prouinciarum Deos, ita ex Græcia Aeſculapium ad ſe Roma tranſtulit, celebremque ei inter vrbis mœnia locum deſignauit. videlicet ægritudinis ſuæ. Medicum vocauit, vt affectæ ciuitati opis aliquid afferret. Aegrotabas nimirum, ô Domina Gentium, ipſâ etiam *Febri* tuâ infirmior: nec enim illâ tantùm, ſed Nationum omnium morbis laborabas, dum omnium tibi Deos colendos adſciſce- Aeſculapius *Epidauro Romam tranſlatus.*

res; omnium inficereris erroribus. Aegra eras, egebas Aeſculapio, non illo qui Epidauri ſub ſerpentis ſpecie vanè à Græcis colebatur, ſed illo qui in ænei ſerpentis figurâ Iſraëliticum populum in deſerto ab ignitorum ſerpentum ictibus curabat, ſoloque ſui aſpectu veneni vim extinguendo, mortem ab iis depulit. Huius, inquam, ope indigebas: venit is porrò, teque à peſtiferis infernalis & igniti Draconis morſibus liberauit, & tu tandem ſanata, ſanaſti ſorores, imò filias tuas, omnes Orbis terræ Prouincias, Mater omnium effecta Quibus etiam, Religionis arbitra conſtituta, ſacrorum iura dediſti. & pro erroribus, quos olim ab illis hauſeras rependiſti veritatem.

XI. *Romani Deum Hebræorum non admiſerunt.*

Quamuis autem reliquarum omnium Deos in ſuam Romani ciuitatem receperint, Deum tamen Hebræorum admittere recuſabant. Cùm enim, inquit S. Auguſtinus, in plurium Deorum cultu obfirmati eſſent eorum animi, nec ab iis deduci vllo modo vellent, tanti Numinis notitiam impedire pro viribus conabantur, vtpote ad cuius præſentiam tota illa Deorum turba velut vmbræ ad ſolam euanuiſſet. Ne ergo eorum falſitas appareret, veri Dei, eiuſque excellentiæ & perfectionum cognitionem ab hominum animis remouere ſummo ſtudio contendebant: imperiti illius pictoris inſtar, qui, cùm gallum gallinaceum inſcitè in tabellâ depictum omnium oculis expoſuiſſet, viuos inde gallos maximâ diligentiâ arcebat, ne ex veri conſpectu & comparatione, picti vitia diſcernerentur. Sed ad nihilum reciderunt inanes hominum conatus, clariores erant ſummi Numinis radii, quàm vt quiſquam offundere iis tenebras poſſet. Emerſit ergo victrix veritas, & fulgorem ſuum explicans Diuinus Sol, noctem illam Gentilitatis diſcuſſit: atque Hebræorum quondam, nunc Chriſtianorum Deus, Romam veluti peculiarem ſibi in terrâ ſedem deligens, ex illâ primùm, deinde ipſius operâ, ex reliquis mundi partibus totam il-

lam

lam Deorum colluuiem, Antiquitatis quiſquilias iecit.

CAPVT SECVNDVM.

Rationes aliquot morales probantes plures admitti Deos non poſſe.

PRima ratio ex iam dictis deſumitur: vel hinc namque conficitur, Deum vnicum eſſe, quòd nimirum ſi locus detur ſomniis & via ſemel aperiatur plures comminiſcendi, nullus erit fingendi finis, nec certus vnquam Deorum ſtatui numerus poterit. Si enim quis duos ponat, inquiram cur tertium non addat: ſi tertium admittat, quæram cur quartum, quintum, & ſextum non recipiat: & hoc modo gradatim procedendo, ad centum, mille, aut etiam centum Deorum millia progrediar, & iſtabo ſemper, poſcamque vt certus aſſignetur numerus cui vnus vlterius addi nequeat: ſi nullus eiuſmodi numerus reperiatur, (vt, admiſsâ Deorum multitudine, mihi manifeſtum reperiri nullum poſſe) Dii erunt infiniti, omnes quippe actu neceſſariò exiſtunt, cùm exiſtentia Diuinæ naturæ planè ex neceſſitate compe-tat, & inter primas illius proprietates annumeretur. I. *Si numerus Deorum admittatur, erit ſine numero.*

Deinde, ex ipsâ Dei notione apertè deducitur plures eſſe non poſſe: quiſquis namque Dei ideam formare aggreditur, eiuſmodi eum repræſentat, vt omnem in ſe perfectionem contineat & complectatur, iſque Deus ab omnibus cenſetur, cuius conceptus eſt perfe-ctiſſimus. *Deus*, inquit S. Auguſtinus, *eſt, quo maius aut melius cogitari nihil eſt*. Imò inſitum hoc omnibus à natura videtur: ſolo enim natiui luminis ductu Deum cuncti *Optimum, Maximum* appellant: *Optimus autem non eſt, cui alius in bonitate* eſt æqualis; nec *Maximus*, II. *Secunda ratio.* *Deus eſt, quo maius aut melius cogitari nihil poteſt.*

qui in magnitudine habet parem. Cùm ergo certum apud omnes, exploratumque ſit, Deum rerum omnium quæ concipi poſſunt, eſſe perfectiſſimum, manifeſte, conſtat duos eſſe non poſſe; qui enim vtriuſque perfectiones ſolus haberet, eſſet vllo ex iis perfectior, neuter proinde ex illis foret Deus, cum neuter conceptum haberet perfectiſſimum.

III. *Ad dignitatem ſpectat, vt quis habeat aliquid ſolus.* Præterea, nihil magis ad alicuius commendationem ac dignitatem ſpectat, quàm vt in eo quiddam eluceat ſingulare, ſeu vt aliquid eximium in ſe ita habeat, vt ſolus habeat. Sic non tantopere ſolis ſplendore, pulchritudine, & maieſtate caperentur homines, niſi vnicus eſſet, & hæc omnia haberet ſolus: nec ita ætatum omnium linguis celebraretur Phœnix, ſi plures inuenirentur. Sic Roſa, quæ ob miram venuſtatis elegantiam, ſuauitatem coloris, fragrantiſſimumque odorem, *Gemma florum* dicitur, ipſo tamen numero & frequentiâ vileſcit, minoreque apud homines in æſtimatione, vel hoc nomine habetur, quod tot reperiantur, & *inopem eam copia fecit*, ac roſa roſæ officit. Si vnica tantùm in mundo eſſet roſa, eaque eiuſmodi, quæ reliquarum omnium in ſe virtutem complecteretur, & in quam veluti *Pandoram*, ſingulæ ſuam pulchritudinem conferrent, quanti eam cuncti facerent; quis ad illam hominum eſſet concurſus? quibus ornaretur præconiis? omnium in ſe oculos, omnium animos, omnium calamos raperet. Tandem (vt exemplis quæ hoc in genere afferri infinita poſſent, modum faciam) ad Salomonem olim, ex omni Orbis parte, velut ad Oraculum, homines confluxerunt. Si cæteri Reges ei in ſapientia fuiſſent pares, nullus eum tantopere ſuſpexiſſet: nempe, *Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylua ſurrexit.* Quod ſol inter ſidera, inter aues Phœnix, Roſa illa inter flores, inter Reges Salomon, hoc Deus in vniuerſo ſit oportet, ſolus nimirum, ſibique alium non habens æqualem: quantùm enim

Roſa gemma florum.

Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylua ſurrexit.

enim alteri accedit, tantum Deo decedit de ſingulari illa dignitate & præſtantia, quæ ſummum Numen decet. Sicut namque ſi in regno aliquo vel Republica quiſquam reperiretur penes quem ius eſſet, omnes fauores, ac beneficia conferendi, quæ à Principe donari ſolent, quique parem illi hac in parte haberet, poteſtatem, vileſceret Principis auctoritas, nec eo apud ſuos loco eſſet, quem Principis excellentia poſtulat, quæ in hoc ſita eſt, non ſolùm vt ab eo haberi honores poſſint, ſed vt niſi ab eo non poſſint. Sic ſi alius quiſpiam Deus foret paris cum noſtro virtutis & poteſtatis, à quo homines accipere beneficia poſſent, vileſceret haud dubiè Dei dignitas, minorque ei cultus exhiberetur, dum eius opem ſibi non adeò vident neceſſariam. Sicut medicus, quamuis peritiſſimus, minoris fieret, ſi alii inuenirentur æquè in arte medicâ periti, quos accedere pro libito homines poſſent ad affectam valetudinem ſubleuandam, morbiſque remedia comparanda. Magna item ſequeretur in Orbe confuſio, dum hi vnum, illi alium colerent, & ſuo quiſque arbitratu Deum ſibi ſeligeret quem veneraretur, imò aliquos ſine omni omnino honore relinquerent. Ablegãda igitur Deorum pluralitas, ex qua tam abſona, ſummoque Numine indigna proueniunt.

Deinde, quo quis nixus fundamento plures in vniuerſo Deos ſtatuendos exiſtimet? Mundi certè creatio & adminiſtratio id non poſtulat: vnus namque Deus vtrumque hoc perfectiſſimè obire munus poteſt, cùm vires habeat infinitas, & ſapientiam viribus æqualem: ad quid ergo ponuntur alii, cùm vnus tantundem præſtare ſolus poſſit, quantum omnes? Hominibus quidem, vtpote quibus tenuis & imperfecta eſt intelligendi vis, dum opus aliquod aggrediuntur, neceſſarium eſt vt alios in deliberationem adhibeant, qui iis conſilio adeſſe, lucíſ-

Plus vident oculi quàm oculus. que, in re quam moliuntur, afferre âliquid poſſint, *Plus* enim *vident oculi, quàm oculus*: Sicque re bene perpenſâ, quid facto opus ſit, decernauit. Deus autem, qui omnia plenè ſemper penetrat, deliberatione non indiget, nulluſque ei auxilii quidquam præbere, aut conſilii poteſt.

V. *Vniuerſi ſtructura & regimen plures Deos reſpuit.* Imò verò tantum abeſt, vniuerſi ſtructuram & adminiſtrationem plures Deos poſcere, vt planè excludat, vnumque eſſe ſummum Moderatorem, qui cuncta recto ordine diſponat, & res omnes, in ſuos quaſque fines ac munera diſpenſet, apertè demonſtret. Hoc namque oſtendit rerum diuerſiſſimarum ordinatiſſima ſeries ac diſpoſitio: hoc ſphærarum ac globorum cœleſtium ſitus, ſplendor, & magnificentia, atque in tantâ motuum, etiam oppoſitorum, varietate concors diſcordia: hoc denique omnium totius vniuerſi partium aptiſſima diſtributio, atque inter ſe harmonia & conſenſio: hæc, inquam, manifeſtè indicant vnum aliquem exiſtere, cuius ſummâ ſapientiâ regantur, & prouidentiâ adminiſtrentur.

VI. *Incommoda ex Deorum numero prouenientia.* Si autem Dii plures eſſent, paris inter ſe auctoritatis & potentiæ, ita vt nihil niſi ex omnium conſpiratione & conſenſu fieri poſſet, non adeò certò & conſtanter pulcherrima hæc mundi moles, rerùmque perfectiſſimus ordo perſiſteret. Vel enim ita ponuntur, vt vno aliquid volente alij refragari nequeant, ſed neceſſariò præbeant conſenſum, in hoc autem caſu notio Dei in omnibus tollitur, dum præſtantiſſimâ Numinis perfectione, vt nimirum liber, ac ſui in omnibus potens ſit, exuuntur, ſui quippe iuris eſſe deſinit, qui in ius concedit alterius, eique ad nutum patet. Si verò dum Deus quiſpiam aliquid ſtatuit, poſſint reliqui obſiſtere, quales hi Dii erunt, inter quos diſſidia, rixæ iurgia, & & id genus alia oriri poſſunt, quæ de Deo vel cogitare nefas eſt. Tertiùs verò modus, quem imaginari quis poſſet, vt ſcilicet vno aliquid decernente, alij omnes

ſine

ſine vllâ omnino ſubordinatione, ſed diſparatè, vt aiunt, & naturali quadam concomitantiâ idipſum liberè velint ac decernant, intelligi nullatenus poteſt; perinde enim eſt ac ſiquis diceret, Petro hic faciem ad Orientem obuertente, aperiente vel claudente oculos, certum aliquod verbum ore proferente, aut manu formante in chartâ, Paulus in indiis faciem ſimiliter ad Orientem ſemper vertat liberè, claudat oculos vel aperiat, verbum idem proferat & ſcribat: quæ factu planè ſunt impoſſibilia, ſomniiſque ſimillima.

Aliqui, vt litem hanc inter Deos componant, diſſidiique inter eos occaſionem amoueant, aiunt, diuerſum ſingulis mundum aſſignandum, vbi quiſque ſolus habitet, ſuoque cuncta arbitratu diſponat, atque adminiſtret: quo facto rixas omnes & iurgia facilè ſublatum iri affirmant. At quiſquis hoc modo cauſæ huius patrocinium ſuſcipit, Deorumque ſe Theologum præſtat, ipsâ defenſione eos it perditum, & nihil in ſe habere diuinum affirmat. Qui enim ipſos intra certos terminos concludit, nec plenam poteſtatem permittit, omne ab iis Numen abrogat: Diis namque limites præſcribere, eſt Diuinitatem proſcribere, illoſque in ordinem mortalium redigere; quid etenim iam a terrenis regibus diſtabunt, niſi quòd ſpatio ſuis regnum occupent? Deinde, ſi alius modus non ſit eos in pace & concordia retinendi, quàm vt loco diſiungantur, & a ſe inuicem ſeparati habitent, pulchros ſanè Deos habebimus: canes ſiquidem & feles hoc modo pacatos conſeruamus, impedimuſque quo minùs dentibus & vnguibus in ſe inuolent: tauros etiam, leones, & ferociſſima quæque animalia hac ratione coërcemus, ne pugnando ſeſe inuicem diſcerpant, diuerſis ſcilicet ſeptis & caueis eos concludendo. Sed de his ſatis. VII. *Reſponſio quorundã dicentium, à ſingulis Diis ſingulos mundos adminiſtrari poſſe.*

DISP.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

Duo Philoſophiæ moralis principia ex anima hominis deſumpta, illam ſcilicet liberam eſſe, & immortalem.

Quæſt. 6. de malo cap.

PRinceps Theologorum Diuus Thomas opinionem negantem homini libertatem cuncta moralis Philoſophiæ principia deſtruere affirmat, omneſque honeſtæ vitæ præceptiones euertere.

Tantundem & meritò, Theologi omnes & Philoſophi de iis pronunciant, qui animas hominum mortales ſtatuunt, eaſque vna interire cum corporibus affirmant. Quorum namque mentes hæc ſemel perſuaſerit cogitatio, eoſdem animæ & corpori viuendi limites à natura eſſe præſcriptos, nihilque poſt hanc vitam aut præmij ſupereſſe, aut pœnæ, ſenſuum ductum ſequentes, totos ſe voluptatum illecebris carniſque delectationibus addicent, idque vnum ipſis curæ erit vt cutem curent, dumque in morte nihil ſe diſtare à beſtiis exiſtimant, nihil admodum ab iiſdem diſtabunt in vita, ſed in omni ſe turpitudinis cœno volutabunt, brutorum ſimiliores, quàm hominum. Cùm ergo varia hic principia ad virtutis exercitationem, vitamque in omni honeſtate & integritate morum inſtituendam proponere cogitem, duo hæc, libertas ſcilicet hominis, animæque immortalitas, tanquam virtutis omnis & honeſtatis fundamenta accuratè prius ſtabilienda. Primum hac diſputatione præſtabitur, poſterius ſequenti.

Libertas & immortalitas duo Moralis Philoſophiæ principia.

CAP.

CAPVT PRIMVM.

Aſtruitur ac declaratur animæ humanæ libertas.

VT hac in re, quæ præcipuum moralis vitæ eiuſque directricis Philoſophiæ principium eſt, clarius diſtinctiuſque procedamus, obſeruandum quatuor reperiri libertatis genera: *A miſeria, à peccato, à coactione, & à neceſſitate*: quæ diuerſitas ob oculos ſemper habenda, ne confuſio, cui hæc obnoxia inprimis eſt materia ex tot variis libertatis acceptionibus oriatur. I. *Quatuor libertatis genera.*

Libertas itaque à miſeria eſt *libertas gloriæ*: gloria quippe ſeu beatitudo cum ſit *bonorum omnium complexio*, omnem neceſſe eſt excludat miſeriam. Libertas à peccato eſt *Libertas gratiæ*, vtpote per quam à peccati ſeruitute immunes, excuſſoque veluti iugo, liberi & expediti in virtutis via incedimus, ac Deo (quæ vera libertas eſt) ſeruimus. Libertas à coactione eſt, cum aliquid ſine violentia fit, nullaque vi extrinſecus illatâ, quantumuis neceſſariò fiat, nec in facientis poteſtate ſit illud omittere. Liberum proinde hoc ſenſu idem eſt ac voluntarium, ſeu ſpontaneum, ad quod ſcilicet ſumma propenſione ac pondere res aliqua fertur, totoque naturę impetu ita rapitur, vt reſiſtere nequeat. Quo ſenſu amorem illum, quo tum Deus ſeipſum, tum Sancti Deum in cœlo proſequuntur, nonnulli appellant *liberum*. II. *Libertas gloriæ. Libertas gratiæ. Libertas à coactione.*

Quarta demum libertas, ſeu à neceſſitate eſt, qua quis ſui iuris conſtituitur, plenamque habet voluntatis ſuæ poteſtatem ac dominium, ita vt re aliqua propoſita integrum ei ſit velle illam, vel non velle, amplecti vel reſpuere: vocarique ſolet *libertas indeterminationis* ſeu *indifferentiæ*, per quam ſcilicet potens ſui voluntas in alterutram ſe partem arbitratu ſuo flectit, nullâ prorſus III. *Libertas à neceſſitate.*

vi, non

vi, non ab extrinſeco tantum, vt in coactione contingit, ſed nec ab intrinſeco illatã: vndecunque enim accedit determinatio, præterquam ab ipſa voluntate, perfectio libertatis tollitur. Quod de hac libertate loquens, paucis hiſce verbis, pulcherrimè expreſſit S. Auguſtinus: *Si laborioſum eſt*, inquit, *omnia mandare memoriæ, hoc breuiſſimum tene: quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur*. De hac ſola libertate in præſenti loquimur, quippe quæ humanarum omnium, laudeque aut vituperio dignarum actionum radix eſt, & fundamentum.

Tomo 1. l. 3. de libe: arbitrio c. 18.

IV. *Quinam liberum arbitrium negauerint.*

Vt ergo omittam Ariſtoxenum, qui teſte Lactantio, nullam homini ineſſe animam dicebat, ſed ex mole tantùm corporea eum affirmabat eſſe compactum: libertatem, ſeu liberum hominis arbitrium negabat inprimis Simon Magus, hæreticorum anteſignanus, quē poſtea ſecuti ſunt Manichæi, Wiclefus, & alij. Quod etiam dogma dudum iam ſepultum & obliuioni traditum, longo poſt interuallo ſuſcitarunt, lucique denuo reddiderunt noſtri temporis Nouatores: imo hunc inter præcipuos ſectæ ſuæ articulos recenſent, quem eorum Coripheus Lutherus, *omnium optimum appellat, rerumq; ſuarum ſummam*. Vnde dicebat idem *liberum arbitrium eſſe figmentum in rebus, & titulum ſine re, omniaq; de neceſſitate abſoluta euenire*: imo inter portentoſa Scholaſticorum dogmata recenſet iſtud, *Hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum & omittendi malum, & è contra*.

V. *Cur ſectarij negent in hominibus liberum arbitrium.*

In hoc ergo ſtabiliendo dogmate, ſuiſque penitus mentibus infigendo omnem adhibuerunt operam & induſtriam, vt nimirum aculeis illis ac morſibus, qui ex rerum malè geſtarum recordatione, ſcelerumque perpetratione oriri ſolent, amiſſæ libertatis obtentu vtcunque ſopitis, vehementibuſque conſcientiæ ſemper obluctantis clamoribus, ac reprehenſionibus magnam partem ſublatis, molliùs luxuriarentur, ſecuriuſque frueren-

fruerentur voluptatibus, nullo interturbante. Chibaritas, delicatum illum populum imitati, qui vt ſupra vidimus, quo ſuauiùs quieſcerent edicto publico ſanxerunt, ne galli gallinacei intra vrbes alerentur, ſed in locis maximè remotis, ne videlicet clamoribus illis ſuis ac vociferationibus eorum ſomnum turbarent: ſic mollis huius ſectæ homines, vt liberiùs vacent voluptatibus internas animi voces increpationeſque à ſe quam poſſunt longiſſimè amouent, impoſitamque ſibi neſcio quam neceſſitatem cauſantur, ne conſcientia, vt fit, reluctante, eoſque vt aliquando reſipiſcant inclamante, à ſomno illo ſuo excitentur, & quo minus mundi deliciis, in quibus fœlicitatem ſuam omnem collocant ſecurè gaudeant, impediantur. Hinc, inquam, ſui ſe iuris non eſſe dictitant, nec penes ſe eſſe aſſerunt aliam viuendi rationem inſtituere. Sed, vt rectè quidam in ſimili; *Nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur, vitia ſua quia amant, defendunt, maluntq; excuſare illa, quam excutere:* ſicque dum à culpa immunes ſe præſtare nituntur, nouo ſe ſcelere obſtringunt.

Nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur: Seneca ep. 116. ſine.

VI.

Liberum ergo arbitrium, ſeu poteſtatem operandi, ita vt poſſit quis ab omni ſe operatione cohibere, certum adeo eſt, vt de illo dubitare nemo poſſit. Id enim & in ipſis ſacris literis traditum eſt, & Eccleſiæ calculo firmatum, & manifeſtâ conſtat experientiâ, communiſque omnium in eo conſpirat ſenſus, paucis quibuſdam, de quibus proximè dictum eſt, exceptis, quos peccandi libido tranſuerſos egit. Et quamuis nullus clamor ſit vehementior quam qui ex dictamine rationis procedit, nec vlla vox clarior quam naturæ, iſti tamen hanc eius vocem, quam nullus audire nequit, ſe non percipere contendunt. Quibus proinde apprime congruit illud Tertulliani, quod ſupra ex alia occaſione adduxi: *Hæc eſt ſumma delicti, nolentium recognoſcere, quod ignorare non potuerunt.* Fruſtra ergo ſe fatigant homines voluptarij, fruſtra, vt ſuauius tempus fallant, ſeipſos fal-

Liberum arbitrium in hominibus dari certiſſimũ eſt.

Nulla vox clarior quàm natura.

lere

Conſcientia mille teſtes. lere nituntur: *Conſcientia mille teſtes*: liberè affirmant ſe libertate deſtitutos eſſe, ſeque ipſi coarguunt mendacij

VII. *Liberum arbitrium ex ſacris literis probatur.* Ad hanc itaque veritatem probandam, vt ex infinitis, quæ in ſacris literis continentur, pauca depromam: occurrit inprimis illud, quo Moyſes populum Iſraeliticum affatur. *Teſtes inuoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Quæ ſanè verba fruſtra protuliſſet Propheta, niſi in ipſorum poteſtate fuiſſet alterutrum ex iis eligere.

Deutero. 30.19.

Non abſimile eſt illud, quod Gad Propheta Dauidi Dei nomine propoſuit: *Trium*, inquit, *tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi*, &c. Optio certè hæc ei data manifeſtè demonſtrat potuiſſe ipſum ad vnumquodque ex illis ſe pro ſua voluntate determinare. Idem clarè oſtendit illud numer. trigeſimo: *In arbitrio viri erit, vt faciat, ſiue non faciat*: & Eccleſiaſtici trigeſimo primo: *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Idipſum apertiſſimè conuincit illud Apocalypſis tertio: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo*, &c. Deo ergo ad cordis ianuam pulſanti, hoc eſt per ſanctas inſpirationes lumenque cœlitus infuſum ad reſipiſcendum, ac pœnitentiam de peccatis agendum virtutiſque exercitationem inuitanti; integrum eſt homini apetire, hiſque Dei illuſtrationibus conſenſum præbere, ac diuinæ gratiæ cooperari. Fruſtra enim tam pretioſum ſemen in hominum animis ſpargeret cœleſtis agricola, ſi fructus ex eo prouenire nequiret. Fruſtra ignem in terram mitteret, ſi accendi non poſſet. Ad quam rem pulcherrimè Origenes in illa verba numer: *& nunc Iſrael, quid Dominus Deus poſcit abs te*, &c. *Erubeſcant illi hæc verba*, inquit, *qui negant in homine liberum arbitrium. Quomodo poſceret ab homine Deus niſi haberet homo in ſua poteſtate, quod poſcenti Deo deberet offerre.* Plurium Scripturæ ſacræ

2. Reg. 24. 12.

Numer. 30.14.

Eccli. 31. 10.

Apoc. 3. 20.

etæ teſtimoniorum relatione ſuperſedeo, quæ paſſim in diuinarum literarum interpretibus, aliiſque iſta tractantibus reperiuntur: res enim hæc tam crebro, tamque luculenter illic traditur, vt nullus, niſi peruerſiſſimus, planeque perfrictæ frontis, de ea dubitare queat.

Subſcribunt Patres omnes, & ita conſpirant vt ſuperuacaneum ſit eorum auctoritates attexere, qui namque vnius, hac in re ſententiam refert, eâdem operâ refert cæterorum: vna enim omnium vox eſt, hominibus liberum ineſſe arbitrium, pleniſſimamque ſe, in quam velint partem inflectendi poteſtatem. *Homo,* inquit, S. Irenæus, *rationabilis, & ſecundum hoc Deo ſimilis, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Sic S. Baſilius: *Creatura ita comparata eſt,* inquit, *vt virtutis, & diuinæ dilectionis præmium ſanctificationem habeat, quoniam naturâ vtitur liberâ, vt ad vtrumlibet poſſit inclinari, ad electionem ſcilicet boni & peioris.* Clariſſimè idem docet S. Chryſoſtomus his verbis: *Quoniam bona atque mala Deus poſuit in noſtrâ poteſtate, electionis liberum donauit arbitrium, & nos inuitos non retinet, ſed volentes amplectitur.* Ad eandem rem ſic ſcribit S. Ambroſius: *Non ſeruili ad obediendum conſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbitrâ ſiue ad virtutem propendemus, ſiue ad culpam inclinamur.* Tandem vt infinita prope omittam, neruosè hoc ipſum docet S. Auguſtinus, & in Manichæis, noſtri temporis hæreticos exagitat. *Peccatum,* inquit, *fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium eſt: & pœna infligitur iuſtitiâ Dei, qua nihil facit iniuſtè. Aduerſus hæc ſolitâ cæcitate latrant Manichæi, & cum conuincuntur naturam non eſſe malam, ſed in poteſtate eſſe hominis facere bene aut malè, dicunt non eſſe animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem ſuam. Quis enim non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa*

VIII. *Patres omnes docent hominibus liberum ineſſe arbitriũ.*

S. Iren.

S. Baſil.

S. Chryſ.

S. Ambr.

S. Auguſtinus de fide contra Manichæ: c. 9. & 10. tom. 6.

iuſſa complere. Innumera alia Sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, ad hominis libertatem aſtruendam teſtimonia proferre poſſem, ſed hæc ad intentum ſufficiunt.

IX. Luce ergo clarius eſt vno Patres omnes conſenſu in hoc conuenire, hominibus ſcilicet liberum ineſſe arbitrium: nihilque ferme eſt, quod maiore ſtudio & conatu ſtabilire nituntur, validioribuſque firmare argumentis, tanquam totius humanæ & honeſtæ vitæ principium. Nec id latuit huius temporis ſectarios, Patres nimirum hanc de libero arbitrio doctrinam, tot labentibus ſæculis; iam inde à naſcente Eccleſia tradidiſſe. Quid ergo tam claris & manifeſtis eorum teſtimoniis, quibus veluti vinculis, vnde expedire ſe nullo pacto poſſunt, conſtringuntur, faciunt? Audite: ſi Nodus, inquiunt, ſit Gordius, & ſolui nequeat, ſcindatur: ſua nihil referre aſſerunt, qua Patres viâ incedant, nec tanti eſſe illorum auctoritatem, affirmant, vt ad eorum dicta tanquam ad normam ſita ſua omnia, & placida exigenda exiſtiment. Imo verò, eo vſque procedunt Magdeburgici cum aliis quibuſdam, vt hoc nomine acriter Patres reprehendant, acerbeque in eos inuehantur, quod in arbitrij libertate, hominiſque poſt lapſum indifferentia aſtruenda, tantopere deſudarint.

Sectarij, cum Patres contra ſe facere animaduertunt, eoſdem cõtemnunt.

X. Illis vero hac in re facem prætulit Martinus ipſe Lutherus, qui cum frequentem apud Patres *de libero arbitrio* Sermonem eſſe animaduerteret, illudque validiſſimis paſſim ab iiſdem argumentis probari, vt ſe ipſis opponeret homo arrogans, librum compoſuit, quem veluti in contemptum Patrum inſcripſit *de ſeruo arbitrio,* vbi turpem hunc errorem contra eos pro viribus firmare ac ſtabilire conatur. Cumque aliquando Sancti Auguſtini, aliorumque Patrum auctoritate premeretur, tantùm abeſt vt debitam iis venerationem exhibuerit, vt contempſerit: *Nihili,* inquit, *aduerſum me facio mille Auguſtinos, mille Cyprianos, mille Eccleſias.* En hominẽ mo-

Lutherus Patres cõtemnit.

modeſtum: quæ tamen eius modeſtia clariùs adhuc conſtabit ex eo quod hic ſubiungam. Dum hoc modo liberè omnes carperet, & nec Patribus, nec ipſi etiam Dei verbo parceret, ſed fœde illud deprauaret, & è latino in vernaculum ſermonem vertendo peruerteret: Catholici rem tam indignam ægrè, vt par erat ferentes, apud Lutheri ſectatores de tam iniquo magiſtri ipſorum agendi modo palam conqueſti ſunt, quòd ſcilicet verba in ſcripturâ non reperta eidem ſuo arbitratu inſereret diuinaſque literas violaret, atque illarum ſenſum corrumperet. Cum res manifeſta adeo eſſet, vt nulla tergiuerſatione eludi poſſet, quidam per literas Lutherum de hac Catholicorum accuſatione certiorem fecit. Excandeſcens homo inſolens audite quam modeſtè reſpondeterit: *Si Papiſta tuus,* inquit, *garrire pergat, ei confeſtim reſpondeto: Doctor Martinus Lutherus vult illud ſic habere, aitq́ Papiſtam & aſinum eſſe vnum; ſic volo, ſic iubeo, ſtet pro ratione voluntas. Nolumus Pontificiorum eſſe diſcipuli, ſed magiſtri, ac iudices. Lutherus vult ita rem eſſe, dicitq́ ſe Doctorem eſſe ſupra omnes Doctores totius Papatus.* Hæc ille. Sexcenta huiuſmodi ex Lutheri ſcriptis proferri loca poſſent, quibus Theologos, Doctores, Epiſcopos, ipſoſque etiam Eccleſiæ Patres orbis lumina contemnit, eoſque dicteriis, probris, ac ſcommatibus procaciter inceſſit: illud, vt videtur, ſequutus: *Qui ſemel verecundiæ limites tranſilierit, eum bene & grauiter oportet eſſe impudentem.*

Arrogans Lutheri dictum.

Surius anno 1530.

CAPVT SECVNDVM.

Ex antiquis Philoſophis oſtenditur hominis Libertas.

I. ETſi cuiuis æquo rerum æſtimatori ſatis ex iam dictis conſtet liberum hominibus ineſſe arbitrium,

Digitized by Google

Philoſophorum de libertate hominis ſententia. ita vt nullus niſi planè peruerſiſſimus de hac dubitare veritate poſſit, quam tot virorum Sapientiâ & doctrinâ illuſtrium auctoritate firmatam videt. Vt tamen eius certitudo clarius innoteſcat, quid multis retro ſæculis de libertate hominis Philoſophi ſenſerint, aperiam, vt qui hoc tempore in libero arbitrio negando adeo ſunt pertinaces, hunc ſuum errorem à Philoſophis priùs cõfutatum videant, quàm natum.

II. *Quatuor præcipua Philoſophorum ſectæ, Academici, Peripatetici, Stoici, & Cynici.* Dum ergo floreret quondam, hominumque ex omni orbis parte literarum cauſa confluentium multitudine frequentarentur diſciplinarum omnium inuentrices Athenæ, quatuor præ reliquis ibidem eminebant Philoſophorum ſectæ, Academici, Peripatetici, Stoici, & Cynici. Hi licèt in variis non leuiter diſſiderent, acerrimeque, feruentibus vt fit calore Philoſophico animis, inter ſe diſceptarent, dum quiſque ſuæ dignitatem ſcholæ exiſtimationemque tueri pro viribus contenderet, circa hominis tamen libertatem ne minima inter ipſos reperiebatur opinionum diſcrepantia, ſed in ea aſtruenda maximè erant concordes.

III. *Plato cum Academicis libertatem defendit.* Hinc Academicorum Princeps Plato variis locis liberum hominis arbitrium defendit, illudque vt totius doctrinæ Academicæ fundamentum ſtatuit, vnde de homine diſputans ſic ſcribit: *Liber*, inquit, *eſt animus eiuſq; in poteſtate vt agat vel non agat relinquitur, neque vllâ cogitur neceſſitate.* Magiſtrum ſuum ſequuntur Academici omnes, Pſeuſippus, Xenocrates, Polemon, Crates Athenienſis, Crantor, Carneades, & alij.

IV. *Libertatẽ hominis apertè cum Peripateticis docet Ariſtoteles.* Rem vero hanc multo adhuc apertiùs tradit, variiſque adductis rationibus demonſtrat Ariſtoteles, tum nono metaphiſicorum libro, capite primo, tum alibi. In libris vero Ethicorum libertatem hominis ponit tanquam totius honeſtæ vitæ principium, & inter alia hæc habet: *In noſtra poteſtate eſt*, inquit, *vt frugi ſimus, aut nequam.* Denique tam clarum Ariſtoteli videbatur hominem ſui iuris eſſe, vt cum hæc duo, humanæ ſcilicet volun-

voluntatis indifferentiam, & Dei præſcientiam inter ſe conciliare non poſſet, futurorum potius cognitionem in Deo negare elegerit, quàm hominem in operando eſſe liberum. Quem etiam hac in parte ſequutus Cicero à Deo ſimiliter actionum noſtrarum ſcientiam ſuſtulit, ne quidquam officeret libertati, de quo proinde Sanctus Auguſtinus, *vt homines*, inquit, *liberos faceret, facit ſacrilegos:* vtpote qui Deum maximâ perfectione per ſummum nefas ſpoliaret. Ariſtotelem ducem ſuum ſequuntur Peripatetici, Theophraſtus, ſtrato, Lycon, Demetrius Phaleræus, Heraclides, & alij. *S. Aug. l. 5. de ciuit. c. 9.*

V. Nec in eadem veritate defendenda minùs ſeduli erāt cum Zenone ſtoici, qui licèt reliqua fato ſubiicerēt, & ſecretâ quadā vi agi omnia, ac volui affirmarent, hominum tamen inde voluntates eximebant, eaſq; in operādo liberrimas ſtatuebant. Hinc ſcitum illud de Zenone refertur; ſeruum namque in furto deprehenſum fuſte excepit: hic cum excuſationis loco neceſſitatem obtenderet, diceretque *fatale ſibi fuiſſe furari; & cædi*, inquit Zeno, multoque eum acrius excepit, vt ſtoliditatē illam ab eo verberibus expelleret, hoc facto indicans, fatuum hunc errorem fuſtibus potiùs quàm argumentis eſſe confutandum. Zenoni in libero hominis arbitrio aſtruendo aſſentiuntur illius ſectatores Cleanthes, Cryſippus, & reliqui. *Zeno cum ſtoicis aſtruit liberum arbitrium.* *Zenò fatali ſerui ſuī morbo aptiſſimum adhibet remediū. Laërt. in vita Zen.*

VI. Tandem Cynici qui quoad vitam & mores primum inter Philoſophos locū obtinebant, & vel ipſo Seneca, quāuis ſtoico, fatentre, ſtoicis erant præferendi, *hos enim hominis naturam vincere* dicebat, *Cynicos excedere:* hi, inquam, cū principe ſuo Antiſthene acerrimi erant in voluntatis humanæ libertate defendenda, totoq; ſtudio in illud incumbebant, vt tum cohortando, tum redarguēdo, tum maximè vitam ſupra communem, non reliquorum tantum hominum, ſed etiam Philoſophorū, viuēdi rationem inſtituendo, alios miris illis exemplis ad ſe ex parte imitandum, virtutemque in inferiori ſaltē gradu *Stoici naturā vincebant, Cynici excedebant.*

 exercen-

exercendam inducerent Quo in genere vt Cynici inter cæteros Philoſophos, ita inter Cynicos Diogenes eminebat, ob vitam in ſumma aſperitate, rerumq; omnium indigentia tranſactam, vt homines ad mediocritatē ſaltē aliquam, diuitiiſq; ac deliciis moderatè vtendū pertraheret, dicere ſolitus ſe Chori magiſtros imitari, *illi enim*, inquit, *tonum excedunt, vt reliqui congruū tonū accipiant*: ſic ille duram ac rigidam vitam amplexus eſt, vehementeq; illo, vt ita dicā, tono præcinuit, vt alij moderatū inde tonum ſumerent, modumq; in vtendo mundi commodis ſeruarent.

Dicebat Diogenes ſe imitari Chori magiſtros.

VII. *Cynici in hominibus requirebāt libertatem.*

Ad hæc autē omnia velut fundamentum requirebant in hominibus libertatē, per quam ea quæ ſuadebantur amplecti poſſent Qui enim adhortationibus & monitis ad aliquid impellere quemquam nititur, penes quē non eſt facultas illud exequendi, id ſeriò facit, quod Diogenes olim fecit ioco, qui vt Athenienſium tenacitatem notaret, circumiens ciuitatem voce flebili, vultuque ac geſtu ad commiſerationem mouendam cōpoſito, eleemoſynam petebat à ſtatuis ſicut ergo cæteri Philoſophi ſuos Duces, ita Antiſthenem in libertate humanæ voluntatis tuenda ſequuti ſunt Cynici, Diogenes, Crates Thebanus, Metrocles, Menippus, Menedemus, & alij.

VIII. *Fatetur Caluinus Philoſophos tenuiſſe liberum arbitrium.*

Communi ergo Philoſophorū conſenſu habetur animas hominū liberas, ſuiq; iuris eſſe, vt & agere pro libito poſſint & non agere, ſeque in quamcumq; velint partem ſuo arbitratu flectere. Vnde Caluinus Philoſophos ad vnum omnes liberū hominis arbitrium propugnaſſe fatetur. Eorum tamen hac in re ſententiam non magnopere curandam aſſerunt ſectarij: nec mirum, qui enim Sanctos Eccleſiæ Patres, vt ſupra vidimus, exſibilarūt, quid mirum ſi explodant Philoſophos.

IX. *Dictū Democriti circa libertatem.*

Concludā itaq; pulcherrimo Democriti Philoſophi circa arbitrij libertatē effato. *Si*, inquit, *corpus animū in ius vocaret, haud quaquā futurū eſſet, vt ille muneris malè adminiſtrati crimē effugeret: animus quippe in corpore veluti*

in

in præſidio collocatus eſt, & tamen pleraq; mala corpori ab animo veniunt, quæ nihilominus is arbitrij poteſtate vitare potuiſſet.

CAPVT TERTIVM.

Nationum omnium conſenſu, rationeq; inde deducta, oſtenditur hominis libertas.

AD humanæ voluntatis libertatẽ aſtruendã produxi Eccleſiæ Patres, orbis lumina, eorumq; omniũ cõmunẽ eſſe ſenſum oſtendi dari liberũ arbitriũ, plenamq; in hominibus facultatẽ, ſe quacunq; velint inflectendi. Produxi inſuper Philoſophos, antiquitatis ſydera, ſydera inquã, errantia illa quidẽ, & in multis Eclipſim patiẽtia, veritatis ſcilicet luce deſtituta: in hoc tamen omnes eorũ ſcholæ, vt vidimus, conueniebãt, homines nimirũ ſui iuris eſſe, nec vllâ eorũ voluntates neceſſitate conſtringi, ſed agendi pro libito & non agendi integerrimã vnicuiq; vim ineſſe. Iſtud conſtãtiſſimè omnes affirmabant, & quamuis in aliis non rarò vacillarent, in hoc tamen ſeſe oſtenderunt firmiſſimos, erantq; ſtellę fixæ, nõ planetæ Nunc ætates omnes ac nationes hac in re cõſpiraſſe, adeoque ipſius naturæ vocem eſſe oſtendam, vt quiſquis obloquitur, naturæ ſe obloqui intelligat ſuamque vocem illius voci anteponere. I.

Philoſophi antiquitatis ſydera.

Inprimis itaq; arbitrij libertatẽ apertè probat cõmunis totius vniuerſi cõſuetudo, qua vrbs omnis ac Reſpublica, & quiuis hominũ cœtus, aliquẽ ſemper eligit qui cęteris cũ poteſtate præſit, legũq; obſeruationi inuigilet, atq; in officio omnes contineat. Cui adiũgi etiam alios mos eſt, quorũ opera, vbi res ita poſtulat, in deliberationibus vtatur, cõmuniq; decreto quid facto opus ſit, ſtatuant. Hoc, inquã, homines liberos eſſe euidentiſſimè demõſtrat: ad quid enim magiſtratus, ſi nec penes ipſos ſit quę publico ciuiũ bono expedire iudicant, pręcipere, nec penes ſubditos parere, & quæ iubentur exequi, ſed neſcio quo naturæ pondere agãtur potiùs homines quã II.

Inanes ſunt deliberationes, & conſilia, ſi hominibus non ſit libertas.

 agant,

agant, nec ſuâ voluntate, ſed ferreâ quadã neceſſitate ad omnia impellantur, ac veluti præcipites ruant. Ad quid etiam tot deliberationes & conſilia, ſi integrum homini non ſit, quod ad finis intenti adeptionem conducere eſſet, eligere. Quare Ariſtoteles tertio Ethicorum lib. c. 5. inanẽ de iis rebus deliberationem eſſe docet, quæ neceſſariò eueniunt, & conſultationem, ad electionem tantùm liberam requiri.

Ariſtotel.

III. *Laus bene operantibus tribui ſolita arguit libertatem.*

Deinde liberã eſſe hominis voluntatem manifeſtè indicat laus & cõmẽdatio ob actiones honeſtas bene operantibus tribui ſemper ſolita: quod indicio eſt, illas non ex vi vllâ aut neceſſitate, ſed ex liberâ vniuſcuiuſq; determinatione procedere. Quæ enim maior laus homini, qui bona ſubinde quædã præſtat, quàm arbori, quæ ſtatis temporibus ſuauiſſimos fructus profert, ſi in neceſſario agendi modo par ſit vtriuſque conditio. Quæ laus ſtrenuo illi, omniumq; antiquorum monumentis tantopere celebrato Horatio, qui irrumpentibus per pontẽ in Romanam vrbem Hetruſcis, in extremam pótis partem magno animo procurrens, vniuerſo hoſtium exercitui ſe oppoſuit, ac tamdiu illorum impetum ſolus ſuſtinuit, donec fracto poſt tergum ponte, ciuitatem præſentiſſimo periculo liberaſſet, Hetruſcis & excidio excluſis: eaque de causâ *Secundus vrbis Conditor, & alter Romulus* eſt appellatus. Quæ inquam huic laus, tanto iſthic tempore pugnantem conſtitiſſe, ſi nec inde diſcedere, nec pugnam intermittere potuerit: Quæ Attilij Reguli, quæ Manli, quæ ſcipionis, quæ Fabij, & aliorũ commendatio, qui rebus præclarè geſtis vrbem, & orbem impleuerunt, ſi quæ pro Republica vel præſtiterunt, vel paſſi ſunt, non ex liberâ voluntate iis, ſed ex neceſſitate contigerint.

Horatius Cocles ſecundus vrbis conditor.

IV. *Dedecus & vituperium pro malefactis oſtendunt homines eſſe liberos.*

Vt vero ex rebus eximiis laus & commendatio, ita ex iis quæ malè ab hominibus perpetrantur, dedecus ac vituperiũ naſcuntur, ex quibus non minùs efficax ad humanæ voluntatis libertatem probandã deducitur argumentum.

mentum. Quod nemini dubium erit, ſi diuerſum modum conſideret, quo homines paſſim erga animæ in aliis defectus, actus ſcilicet eorum prauos, & erga defectus corporis afficiuntur. Næuos ergo & vitia corporis nemo cuiquam vitio vertenda cenſet, næuos vero animi, ſcelera ſcilicet & flagitia omnes execrantur, hominemque iis infectum ſummo dignum dedecore exiſtimant. Si quis claudo incedat pede, miſerationem omnibus mouet illa infirmitas, cunctique vicem eius dolent: Si mente claudicet, atque inter eos quibuſcum verſatur non rectè incedat, ſed fraudibus eos, & technis circumueniat, cuncti eum deteſtantur, balbutiendo, aut læsâ linguâ loquatur, verbaque imperfectè pronunciet, nullus indignatur, Sed oris illud vitium diſſimulandum cenſent: Si eodem ore maledicta, probra mendacia proferat, auerſantur eum omnes, hominumque conſortio indignum autumant. Alexander obſtipa erat ceruice, capite nonnihil in alterum humerum reflexo: Hanc colli curuitatem nullus ei exprobauit vnquam, curuos eius mores, ambitionem ebrietatem, rapinas, vituperabant omnes, eumque quod regiones varias peragrando, innocentes bonis ſpoliaret, ſibique integra etiam regna per ſummum ſcelus raperet, *Latronem omnium gentium* appellabāt. Dionyſius ille ſiculus oculis laborabat, breuiſque admodum erat viſus, nec tamen quiſquam eum hoc nomine reprehendebat, in crudelitatem eius ac tyrannidem integri ſcribebantur libri.

Diuerſitas inter næuos corporis & animi.

Alexander.

Dionyſius.

V.

Cur ob animi, non corporis vitia homines reprehendantur.

Hinc ergo euidenter conſtat liberum cuique ineſſe arbitrium: ideo namque ob animi, non corporis vitia reprehenſione ac vituperio cenſentur digni, quod hæc plerumque vna cum hominibus naſcantur, nec in cuiuſquam poteſtate ſitum ſit illa vitare. Secus res ſe habet in vitiis mentis, flagitiis nimirum, quæ in dies admittuntur: nemo quippe naſcitur fur, vel homicida, nemo periurus, blaſphemus, aut ſacrilegus, ſed his ſe homines criminibus ſponte inquinant, vltro ſibi has macu-

las inurunt, dedecore & infamiâ, quæ inde oriuntur digniſſimi.

VI. *Ex adhortationibus ac præmiis arguitur in homine libertas,*

Nec minus euidenter libertatem humanæ voluntatis probat mos ille, qui omni ſemper ætate viguit, quo ſcilicet cunctæ per orbem nationes, tum adhortationibus, tum etiam præmiis propoſitis homines ad virtutem, & præclariſſima quæque incitabant. Hinc tot diuerſi in omni Republicâ honorum gradus, ad quos non niſi per totidem virtutis gradus, aſcendebatur. Hinc Romæ honoris templum ita erat exædificatum, vt non niſi per virtutis templum ad illud pateret aditus. Hinc apud eoſdem Romanos tot diuerſæ, præmii loco, parabantur coronæ, nempe Corona *Triumphalis, obſidionalis, ciuica, muralis, caſtrenſis, naualis*, & aliæ, quibus nemini ornare caput fas erat, iis duntaxat exceptis, qui eximium aliquid facinus, quorum ſingula ſingulis coronis reſpondebant, perpetraſſet. Hinc etiam Athenienſes, eos quorum ſumma extabant in Rempublicam merita, ſerto ex oliuæ, fœcundiſſimæ arboris ramis contexto donabant, quòd *virtutis vberrimum*, vt aiebant, *alimentum eſſet honos.*

Honoris & virtutis templa. Variæ Romanorum coronæ.

Corona Athenienſium.

VII. Iam verò ad quid tot ad virtutem ſtimuli, tot ad res maximas incitamenta, ſi libera hominibus poteſtas non ſit vel illam, vel hæc amplectendi. Sanè fruſtra præceptor in ſcholâ diſcipulos ad literas & pietatem, fruſtra in templo concionator populum ad morum emendationem, fruſtra orator in curia vel foro iudices ad clementiam, denique fruſtra Imperator in acie milites ad manus ſtrenuè cum hoſte conſerendum, victoriamque reportandam hortatur, ſi his integrum non ſit iſthæc exequi, eorumque monitis obtemperare. Fruſtra inquam hæc omnia fiunt, ſi hominibus nulla ſit libertas: ſurdo enim canit, qui conſilio variiſque adductis rationibus ad id aliquem impellere nititur, ad quod præſtandum non habet facultatem.

Tan-

Tandem libertatem, ſeu vim agendi prohibito & non agendi hominibus ineſſe clarè demonſtratur ex pœnis ob ſcelera iiſdem infligi ſolitis, quæ certè iniuſtiſſimæ forent, ſi non ex libera voluntatis electione flagitia, ſed neceſſariò fierent, ita vt in facientis poteſtate non ſit illa omittere. Cur exempli cauſa magis plectitur miles qui metu correptus ſtationem deſeruit, quàm equus qui tympanorum ſtrepitu, & fragore tormentorum perterritus ex acie profugit, Suorumque etiam ordines turbauit, ſi miles loco conſiſtere non potuerit, ſed ad fugam æquali cum equo fuerit neceſſitate compulſus? Cur item homo quiſpiam, qui nummos alterius aut veſtem ſurripit, morte mulctatur, potius quàm iumentum, quod ſepem tranſiliens, aliena grana tum depaſcendo, tum pedibus proterendo, duplo fortaſſis maius damnum intulit: aut quàm mente captus, qui triplo plus pecuniæ ſurripuiſſet. VIII. *Ex pœnis malè agentibus inflIgi ſolitis oſtenditur libertas.*

Noxia quidem interdum animalia è medio tollunt homines, ne nocumenti plus adferant, ſicut ignem extinguunt, qui domum aliquam corripuit, ne vlterius malũ ſerpat; at vero in brutas animantes nullus vnquã tãquã in ſontes animaduertit, nec mortem iis per modum pœnæ aut ſupplicij intulit. Quis enim lupum ob mactatas aut deuoratas oues capitis reum egit, præter ſtolidos quoſdam homines, quos inter Albanos quondam repertos fuiſſe aſſerunt, qui cum à lupis plurimum damni paterentur, vnum tandem ex iis, retibus captum, in ius vocarunt, cauſaque eius maturè diſcuſsâ, reum repertum morti adiudicarunt: at clementiæ memores, mortem demum in infamiam mutarunt: quare notâ latronis fronti eius candente ferro inuſtâ, dimiſerunt, vt documento ſodalibus ſuis eſſet, quid ipſis ſimiliter eueniret, niſi à rapinis, & innocentum cædibus abſtinerent. Miluos etiam ſolemniter proſcripſerunt, edictoque publico ſanxerunt vt ſub pœna capitis ſolum omnes, vel potius cœlum verterent, quod ſcilicet eorum patria ab iis IX. *Brutis animantibus nunquam infertur mors per modum ſupplicij.* *Stolida quorundã hominum ingenia.*

iis plurimum infeſtaretur. Alia etiam his ſimilia præſtiterunt, audito enim tonitru, ſupra ſe brachium eleuabant, vt ruentis cœli fragmenta arcerent, ne ipſis caput comminuerent. Lumen inſuper extinguebant, ne à pulicibus morderentur.

X. *In actionibus ciuilibus concedunt aliqui libertatem, negant in ſacris.*

Multiplex ergo hæc nationum omnium & ætatum conſuetudo euidenter adeo libertatem hominis demonſtrat, vt nullus mentis compos de ea dubitare poſſit. Vnde ex nouatoribus nonnulli fatentur tandem reſpectu illarum actionum quibus magiſtratui, & legiſlatori ciuili obtemperatur, liberum hominibus ineſſe arbitrium, idque ex præmiis ac pœnis conuinci aiunt, legum tranſgreſſoribus ſtatutis, quæ inquiunt ſaluâ æquitate infligi iis non poſſent, niſi ita leges violarent, vt in eorum poteſtate eſſet, opera per quæ violantur, omittere: & tantundem de honeſtis actionibus affirmant reſpectu præmij. Ad illas itaque tantummodo actiones homini libertatem negant, quæ ad æternæ vitæ vel acquiſitionem, vel amiſſionem pertinent.

XI. *Sola liberæ actiones præmij & pœna meritoriæ.*

At quis non videt quàm parum hæc rationi ſint conſentanea? Opera nimirum, quæ non ex liberâ voluntatis electione procedunt, ſed ad quæ impetu quodam ac pondere homines rapiuntur, nullius ponderis ſunt ad exiguum illud præmium, quo homines ab hominibus donantur, nec ſufficientem ad hoc habent honeſtatem, & habebunt ad immenſum illud gloriæ pondus, quod á ſummo legiſlatore Deo, præmij loco confertur, cuius comparatione nihil cenſeri debet, quicquid à mortalibus tribui poteſt? Item, nullum ab hominibus perpetratũ facinus, niſi ex pleno ac libero animi conſenſu, mereretur ſecundum ipſos ſupplicium temporale, merebiturne ergo æternum, grauiſſimoſque illos cruciatus, quorum acerbitas tanta eſt, vt reſpectu illorum pœna omnis temporalis vmbra tantùm quædam iure cenſeri poſſit? ſanè quiſquis hæc ſeriò dici audiet, Albanos reuixiſſe exiſtimabit.

Vide S. Auguſtin. lib. de fide contra Manichæ: 9. & 10. *mo* 6.

CA-

CAPVT QVARTVM.

Nullum fatum libertatem hominis infringit.

Liberum hominis arbitrium è vinculis, in quæ illud coniecerāt ſectarii, eripuimus, & libertati, id eſt ſibi reſtituimus, vimque ei ineſſe oſtendimus, in quamcunque velit partem ſe pro libito inflectendi. Alii ergo, quamuis hanc hominibus ineſſe virtutem fateantur, ſuique eos, quantum ad internam agendi facultatem, iuris eſſe, ab intrinſeco nihilominus neceſſitatem illis incumbere affirmant, eorumque voluntates adamantino & indiſſolubili nexu conſtringi. I. *Fatum aliqui ſtatuunt tollens libertatem.*

Ineuitabili ergo quadam vi agi omnia, ac volui aſſerunt, & cuique naſcenti, ipſo primo ortus inſtante fatalem nodum necti, quem nullo niſu & impetu abrumpere, nulla arte & induſtriâ diſſoluere vnquam poſſit. Eam inquam vniuſcuiuſque capiti impendere dicunt concatenatam rerum ſeriem, vt nulla curâ ac diligentiâ peruerti, aut earum inuerti ordo queat, ſed quantumcunque contra eas luctentur homines, eluctari nunquam valeant. Hinc vanos & inanes eſſe aiunt omnes hominum conatus, quibus de ſe ſuiſque rebus diſponere nituntur: id enim, inquiunt, quod fato ſtatutum eſt, eueniet, nullaque omnino poteſtas eſt vim eius declinandi. Si Ergo incolumitatem tibi fata decreuerint, in mediis eris periculis ſecurus, & inter hoſtium tela tutus: fortunatum enim, inquiunt, illud omen quod capiti tuo impendet, melius quam galea vlla aut lorica ictus â te omnes & vulnera arcebit. Sin verò fato ſtatuta tibi mors ſit, nec ipſa te ſeruare poterit ſalus. Hæc illi. Atque hac ratione languorem quendam & ſocordiam perniciolo planè conſilio in animos hominum immittunt: imo in omne eos flagitiorum genus præcipitant, dum libertate deſtructâ, fatalem hominibus dominari neceſſita- II. *Fatalis nodus â quibuſdā confictus.* *Sceleratorum quorundam de fato diſcurſus.*

ceſſitatem affirmant. Quamuis ergo qui iſthæc dicunt, qui inquam hoc morbo laborant, Zenone egeant medico: qui optimam ei & efficaciſſimam, vt capite ſecundo vidimus, adhibuit medicinam, huius tamen erroris, cum humanæ voluntatis libertatem tollat, confutationi paulò diutiùs inſiſtam.

III. *Fatum triplex apud antiquos.* Triplex itaque Fatum ab antiquis vſurpatum reperio, *Mathematicum, naturale, ac Diuinum*, vt vocabant, ſeu abſolutum ſummi Numinis decretum, quo ita Deū res omnes, ipſoſque etiam humanæ voluntatis actus velle, ac præordinare aſſerebant, vt libertatem adimeret imponeretque agendi neceſſitatem. Qua de re mox plura adiiciam.

IV. *Fatum mathematicum ſeu aſtrologicum.* Fatum itaque *Mathematicum* eſt mira quædam vis & efficacia (quam ineſſe ſideribus dicebant) fixa adeo & firma, vt eam declinare nullus poſſet, nec magis id ad quod ſtellæ inclinant, deuitare, quàm ipſorum ſiderum curſus ſiſtere. Nec in res tantum corporeas, ſed in ipſas etiam hominum voluntates imperium ſtellis concedebant, omniaque earum veluti nutu fieri dictitabant: vnde, vt aquarum, ita animorum æſtus planetis ac ſideribus tribuebant, lunamque vt mari, ita menti dominari, vltro eam citroque agitare, & quamcunq; in partem ita inflectere aiebant, vt penes eam nō eſſet reſiſtendi poteſtas? ſtupidi homines, qui lunam mentis moderatricem conſtituebant, nec ſuo, ſed ſiderum arbitrio ſe viuere exiſtimabant, quo quid ſtolidius? Quid enim tam abſonum, quàm res rationis, imò vitæ expertes rationalibus præponere, eiſque humanæ voluntatis habenas tradere, quæ nec ſibimetipſis frœna iniicere, nec ſuos vel ad momentum inhibere curſus poſſunt, ſed quo eas cunq; Intelligentiæ motrices rapiunt, ſequuntur neceſſariò, earumq; nutu aguntur. Cuius ergo dementiæ eſt, res, quæ ſui iuris non ſunt, alieni iuris arbitras conſtituere, hominibuſque ius eas quodammodo dicere exiſtimare.

Lunam aliqui ſtatuunt mentis humanæ moderatricem.

Adde cœlum ac ſtellas in vſum ac veluti obſequium homi-

hominum eſſe creata, atq; vt iis inſeruiant, ac famulentur. Quæ ergo ſtoliditas hoc modo rerum ordinem inuertere, ſeruiſque, vt ita dicam, in dominos imperium committere, ac ſtellas, vt loco, ita dignitate hominibus ſuperiores arbitrari: Quare S. Auguſtinus de ſtella quæ Chriſto naſcente apparuit, loquens, & confutans manichæos, qui homines omnes, ipſumq; adeo Chriſtũ ſtellis ſubiici earumq; teneri fato dicebant, inter alia ſic habet: *Stella illa quam viderunt magi, Chriſto ſecundum carnem nato, non ad decretũ dominabatur, ſed ad teſtimoniũ famulabatur, nec eũ ſubijciebat imperio, ſed indicabat obſequio.* Ac deinde ſubiũgit: *Si ergo ſunt fata, quæ â fando, id eſt dicendo appellata ſunt, quoniam Chriſtus verbum Dei eſt, in quo antequam eſſent, dicta ſunt omnia, non conſortium ſiderum fatum Chriſti eſt, ſed fatum etiam ſiderum Chriſtus eſt:* &c.

S. Aug lib 2. contra Fauſtum cap. 5.

Fateor quidem cœlum, vt in res alias ſublunares, ita & in hominem ratione molis corporeæ, quâ conſtat, quamque cum rebus aliis habet communẽ, eodemq; diſpoſitionũ & qualitatum apparatu inſtructam, influxum aliquem habere, vehementeſq; interdum animi motus, corporis ſcilicet diſpoſitiones mouendo, excitare, & vt in terrâ ac mari, ita & in hominibus varias ſubinde ciere tempeſtates. Hinc etiam tanta eorum, qui ſub diuerſis cœli plagis naſcuntur, terraſque alio & alio calentes ſole incolunt; non in corporibus tantum, ſed etiam in mẽtibus diſſimilitudo & varietas. Hic enim excitati ſunt, erecti, alacres: illic ignaui, ſocordes, deſides. Hic magnanimi, & ad res altas atq; excelſas innato quodã animi vigore ſemper anhelantes: illic inertes, nihilq; præclari vnquam aut eximii cogitantes, ac veluti *fruges tantũ conſumere nati.* Hic ingenioſi, ſolertes, acuti, ſingularique mentis perſpicaciâ & ſagacitate præditi, quique ad perfectam cuiuſcunque artis & ſcientiæ cognitionem facillimè pertingunt: illic obtuſi, hebetes, plumbei, ac nullius prope ingenii: qui proinde vbi ad literas addiſcendas animum applicant, mentemque ſtudendo excolere nitun-

VI. *Cœlum quo pacto in hominem influat.*

Diuerſa cœli plaga magnam in hominibus pariũt diſſimilitudinem.

tuntur, non niſi inuitâ Mineruâ, & auerſis Muſis id præſtant: & quantumuis elaborent, nunquam tamen ad eminentem aliquem doctrinæ gradum (*nec enim ex quolibet ligno fit Mercurius*) peruenient: quo ſenſu dici ſolet, *nemo poëta, Orator, Philoſophus, niſi qui talis naſcitur.*

Non ex quolibet ligno fit Mercurius.

Hæc vero, quamuis ita ſe habeant, Cœlumque in hominum etiam mentibus effectus quoſdam, & affectus per corpus, eiuſque diſpoſitiones & Organa nonnunquam excitet, libertatem nihilominus non violat, nec infringit, ſed integrum homini eſt quamcunque velit partem amplecti, operari ſcilicet, vel operationem omittere. Quod ergo de humani generis hoſte, cani eum catenâ ligato comparans, dixit S. Auguſtinus, *latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem*: idem de cœlo quis ac ſideribus veriſſimè dixerit, mouere poſſunt, inclinare poſſunt, aſſenſum extorquere non poſſunt, niſi volenti. *Sapiens* quippe *dominabitur aſtris*, ſuique ſemper potens, vim omnem ſiderum elidet. Quare Ptolomeus, & præſtantiſſimi quique Aſtrologi affirmant, lateque probant, nec omnes hominum actiones à ſtellis cœlique influentia procedere, nec poſſe ſidera ad vllum omnino opus humanam voluntatem compellere. Inſipienter ergo planè agunt, qui talem vim ſtellis, imperiumque eiuſmodi in mortalium animas tribuunt, vt eas cogere poſſint, fatalique neceſſitate nunc huc, nunc illuc impellere. In quos aptiſſimè quadrat illud Sancti Auguſtini: *Fatum non ponunt niſi fatui.*

VII. *Stellæ hominem inclinant, nō neceſſitant.*

S. Aug.

Sapiens dominabitur aſtris.

Fatum nō ponunt niſi fatui.

VIII. Facto itaque *Mathematico* vt inani & impoſſibili reiecto, aliud à quibuſdam fatum ſtatuitur, quod *naturale* vocant: eſtque, inquiunt, implexa rerum & cauſarum ſeries, certo ſibi ordine ſuccedentium, ſeque veluti conſertis manibus ita trahentium, vt nullo pacto inuerti earum ordo, aut interturbari poſſit, ſed aliæ ſemper naſcuntur ex aliis, reſque omnes ad præſtitutos ſibi fines

Fatum naturale in quo à nonnullis conſiſtere dicatur.

fines perducunt. His ergo ineſſe dicunt ineluctabilem fati vim, omnia ante ſe agentem, eoque impetu ac neceſſitate rapientem, vt in nullius poteſtate ſit obſiſtere, impendenteſque capiti euentus declinare, & auertere.

Sed hæc mera ſunt ſomnia: quæ enim, oro, hæ cauſæ, quæ tam ſtupendos operantur effectus (Deum enim in præſenti ſecludimus, ac de Fato merè *Naturali*, pro vt a *Diuino*, fas ſit ita loqui, & *Mathematico* diſtinguitur, ſermonem inſtituimus) quis inquam adamantinus hic rerum nexus quem abrumpere nullus valet, ipſis etiam hominum voluntatibus dominans, & nodis eas plus quàm Gordiis conſtringens, quos diſſoluere, & ex iis ſe extricare nunquam poſſunt. Sanè quiuis vſu quotidiano contrarium experitur, ſeque ad hæc vel illa non vi aliquâ externâ, ſed ſuopte nutu & arbitrio ferri, variaſque viuendi rationes aſſumere ac relinquere pro libito: nunc domi quis habitat, nunc ruri, nunc in hac, nunc illa ciuitate aut regione, nunc hoc vitæ genus amplectitur, nunc illud, ac denuo ad prius, vbi ita viſum fuerit, reuertitur. IX. *Reiicitur Fatum Naturale tanquam merum figmentū.*

Exempli cauſa, eruditionis ac doctrinæ excellentiâ pellectus aliquis, ſe ad literas addiſcendas confert: ſpinoſas tamen ſtudiorum difficultates expertus, iis relictis ad aliud mentem applicat. Cementarius quiſpiam, baiulus; aut agaſo, comparato ſibi equo ad bellum ferox proficiſcitur: aſt vbi glandes hinc inde, & mortem volitantem cernit, deferueſcit paulatim ardor ille, ac militiæ pertæſus, ad priorem viuendi rationem ſe recipit, *ab equis ad aſinos.* Si quis ab hoc homine inquirat, quæ eum implexa ſeries cauſarum ad iſtud impulerit, ſuâſe id voluntate præſtitiſſe reſpondebit, ſibique ſatius eſſe tuto in tenebris ac ſordibus, quâm in militari ſplendore vitam cum tanto diſcrimine tranſigere: malle, inquam, ſe dicet aſinum in plateis, quàm in tot bellorum periculis animam ſemper agere: tandem optabilius eſſe X. *Varia vitæ genera aſſumuntur, & relinquuntur pro libito.*

affirmabit paulatim ſeneſcendo, ætate iam confectum naturæ concedere, quàm immatu â morte in honoris, vt aiunt, lecto occumbere. Nulla ergo huiuſmodi fatalis rerum ſeries quæ hominum animis vim inferat, ſed integrum cuique eſt quà velit incedere, vitamque hoc vel illo modo, ſuo arbitratu inſtituere, & vt habet dictum vetus, *Faber quiſque fortunæ ſuæ*: de variis nimirum pro ſua voluntate diſponit, oſtenditque non res creatas ſibi, ſed ſe rebus creatis Dominum ab Auctore Naturæ eſſe conſtitutum.

Faber quiſque Fortunæ ſuæ.

CAPVT QVINTVM.

Expenditur tertium Fati genus, & oſtenditur non obſtare libertati.

I. *Quorundã de fato opinio.*

DIſcutiendum itaque tantummodo reſtat tertium Fati genus, quod Diuinum nuncupant. Quorundam ergo opinio fuit, Deum abſoluto quodam decreto ita vniuerſi huius res omnes præordinare ac diſponere, vt nihil hominum arbitrio relinquat, ſed fatalem iis neceſſitatem imponat. Hinc illa antiquorum Commenta: inprimis enim Deam quandam *Carmentam* fingebant, cuius munus eſſe dicebant, ſingulis cum primum in lucem ederentur, fata canere. Parcas etiam *Iouis ſcribas* appellabant, quod ſcilicet illius circa homines decreta in tabulas æreas ſtylo adamantino referrent. Eaſdem inſuper cuique naſcenti fatale filum texere, eique ſingulorum fata intertexere dicebant, quæ nullo pacto mutari, aut impediri poſſe affirmabant, ſed planè immobilia perſiſtere, & cauſam cauſæ nexam, fatum etiam fato longâ ſerie ad finem vſque vitæ neceſſitate prorſus ineuitabili connectere. Huc alluſiſſe videtur Poëta dum caneret:

Parcæ cur dictæ olim Iouis ſcribæ.

Fatis

Fatis agimur, cedite fatis:
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati ſtamina fuſi.
Quicquid patimur mortale genus.
Quicquid facimus, venit ex alto,
Seruatq́ſua decreta colus
Lacheſis, durâ reuoluta manu.

Et alibi:

Dura peragunt penſa ſorores,
Nec ſua retro fila reſoluunt.

Sed parcamus fabulis, & Poëtarum figmentis, nec quicquid ipſi in bicipite ſomniarunt pernaſſo, humanæ vitæ normam putemus. Ego certè Poëtis, quantum ingenioſæ hominum nationi tribuendum cenſeo, laudemque haud dubiè merentur non exiguam, vtpote de omni hominum genere optimè meriti: ſed intra ſuos ſeſe limites coërceant, dum enim audaci volatu ad diuina conſcendunt, & ſe Pegaſos autumant, Icari euadunt, ac liquefactis ad ſuperni ſolis radios pennis, præcipites ruunt, grauiſſimaſque inconſultæ temeritatis dant pœnas. Quiſquis vero arcana Dei conſilia ad Apollinis explorare lyram tentat, delirat. II. *Poëtæ ſuis ſe debent limitibus coërcere.*

Vt ergo vera à falſis, certa ab incertis ſecernamus, indubitatum eſt ſummi Numinis prouidentiæ vniuerſum hoc, reſque omnes in eo contentas, eſſe ſubiectas. Qua in re errauit Plato, qui cœli quidem & aſtrorum, Idearum item & vniuerſalium, ac nobilium quarundam ſpecierum curam Deum per ſe gerere dicebat, cæterorum vero omnium viliorum ſcilicet animantium, plantarum, rerumque vitâ carentium adminiſtrationem, Diis, vt aiebat, minorum gentium, ſeu Intelligentiis committere. Errauit etiam Ariſtoteles qui vt refert in eius vita laërtius, curam Dei ac prouidentiam ſe infra lunam non extendere affirmabat, ſed iiſdem cum ſphæris cœleſtibus terminis definiri, illud veluti de III. *Plato & Ariſtoteles errarunt circa prouidentiam diuinam.*

Iob c.22. v.14. Deo pronuncians, *Circa cardines cœli perambulat*, & noſtra non conſiderat.

IV. *Ad omnia extenditur Dei prouidentia.* Certiſſimum nihilominus eſt Dei prouidentiam non ad cœlum ac ſtellas, perfectaſque nonnullas rerum ſpecies reſtringi, ſed nullis omnino ſeptis aut limitibus circumſcribi, reſque omnes ſigillatim modo perfectiſſimo complecti. Qua de causâ, vt ſupra dictum eſt fuſiùs, *Deus mundi oculus, & mundi anima* ab antiquis appellabatur, *Oculus*, quod nihil tam reconditum eſſet ac latens, quo eius conſpectus non pertingeret. *Oculus Domini lucidior ſole*, inquit S Ambroſius, *occulta omnia deprehendit, tenebroſa illuminat, & intimi cordis penetrat conſcientiam, atque in alta & profunda deſcendit. Mundi* vero *anima* idcirco dicebatur, quod ſicut anima Microcoſmi, ita Deus maioris mundi partes omnes adminiſtret, & vt ait Boëtius, (Boëtius.) *ſuis quaque nectat Ordinibus*, ac de iis arbitrio ſuo & voluntate diſponat. *Quam Dei voluntatem vel poteſtatem*, inquit S. Auguſtinus (*S.Aug. l.5. de ciu. c.1.*) *ſi quis Fati nomine appellet, ſententiam teneat, linguam corrigat.*

V. *Fati nomẽ Sanctis Patribus ſuſpectum.* Fati nimirum nomen Sanctis Patribus maximè erat ſuſpectum, nec omnino à Chriſtianis vſurpandum cenſebant, ne in Paganorum quorundam errorem incidere viderentur, omnia ferrea quadam & fatali neceſſitate peragi dictitantium. Angelicus tamen Doctor, quem (*B.Thom. 1.p.q.116.*) multi ſapientiâ ac literis illuſtres viri ſequuntur, *Fati* nomen non reſpuit, ſi per *Fatum*, aliud nihil, niſi Dei de omnibus ſapientiſſimè diſponentis Prouidentia intelligatur.

VI. *Dei Prouidentia non officit hominum libertati.* Quantumcunque autem Deus res omnes creatas certò diſponat & in ſuos quaſque fines dirigat, hæc tamen eius diſpoſitio hominibus in operando vim nullam infert, ſed ſuas ipſi operationes cum plenâ & perfectâ mentis indifferentiâ exercent Imo vero tantum abeſt, vt hoc ſummi Numinis Prouidentia hominum libertati officiat, vt proſit potiùs, eamque promoueat:

vnicuſ-

vnicuique ſiquidem effectui aptam & accommodatam, vt prudentem moderatorem decet, parat cauſam, neceſſario neceſſariam, libero liberam: hoc enim eſt *ſuis quæque nectere Ordinibus*, & ſingula iuxta propriam cuiuſque naturam & indolem adminiſtrare. Hoc optimè aduertit, pulcherrimeque his verbis declarauit S. Auguſtinus: *Non eſt conſequens*, inquit, *vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtra voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiuſq; præſcientiâ continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt. Atque ita, qui omnes rerum cauſas præſciuit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit.* Hæc ille: S. Aug. *l.5. de ciu. c.9.*

VII. *Ethnici docuerunt Fatum nō officere libertati.*

Quin & ipſis etiam Ethnicis hæc veritas ſolo naturæ lumine innotuit: ſic enim hac de re in libro quem de *Fato* ſcripſit, loquitur Plutarchus: *Fatum* (hoc eſt Prouidentia diuina) *omnia continet, neque tamen propterea omnia neceſſariò eueniunt, ſed vnumquodque pro ſua naturæ modo.* Imo Philoſophi omnes, vt ſuprà capite ſecundo vidimus, quamuis res alias fatali neceſſitate euenire dicerent, hominum tamen voluntates inde penitus eximendas affirmabant: alioqui, vt poſt alios dixit Cicero, *Omnis humana vita ſubuertitur: fruſtra leges dantur, fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur: neque vllâ iuſtitiâ bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt.* De quo latiùs dictum eſt capite tertio.

VIII. *Blaſphema hæreticorū voces.*

His tamen non acquieſcunt huius temporis ſectarij, ſed omnes hominum actiones fato ſubiectas eſſe planeque neceſſariò euenire pronunciant. Deum itaque ferreo quodam decreto, non bonas tantum, ſed etiam malas operationes ita decernere ac præordinare affirmant, vt in nullius poteſtate ſit refragari, & opus decretum, quantumuis malum ſit, omittere. Deus, inquiunt,

Blaſphema hæreticorũ voces. *non permittit tantùm, ſed directè vult ac decernit peccata omnia, quæ indies fiunt ab hominibus: imo ea ab æterno ſtatuit, ordinauit, prædeſtinauit: iam etiam per ſe homines ad flagitia mouet, incitat, neceſſitat.* Hæ & huiuſmodi voces in Lutheri, Caluini, Zuinglij, & aliorum ſcriptis reperiuntur, quibus pietatis fontem, impietatis omnis auctorem conſtituunt, ac talia de ipſo dicunt, qualia de Deo affirmare, vel ipſam puderet impudentiam.

IX. Hos itaque, præter iam dicta, vnico hoc S. Auguſtini diſcurſu refellam. *Si enim*, inquit ille, *vel ipſis ſideribus indignum ſit ſcelera decernere, quanto magis indignum erit ſiderum conditore.* Sed Sancti Doctoris mens melius ex propriis ipſius verbis intelligetur. *Qui*, inquit, *poſitionem ſtellarum quodammodo decernentium, qualis quiſque ſit, & quid ei proueniat boni, quidue mali accidat, ex Dei voluntate ſuſpendunt, ſi eaſdem ſtellas putant habere hanc poteſtatem traditam ſibi à ſummâ illius poteſtate, vt volentes iſta decernant, magnam cœlo faciunt iniuriam, in cuius velut clariſſimo ſenatu, ac ſplendidiſſimâ curiâ opinantur ſcelera facienda decerni, qualia ſi aliqua terrena ciuitas decreuiſſet, genere humano decernente fuerat euertenda; &c. Aut ſi non dicant ſtellas, acceptâ quidem poteſtate à ſummo Deo, arbitrio ſuo iſta decernere, ſed in talibus neceſſitatibus ingerendis illius omnino iuſſa compleri: itane de ipſo Deo ſentiendum eſt, quod indigniſſimum viſum eſt de ſtellarum voluntate ſentire.* Hæc Sanctus Doctor, adeo appoſitè, quaſi impia iſtorum dogmata iam tum animo præcepiſſet.

S. Auguſtinus libro quinto de ciuitate, cap. I.

X. Homines ergo ſui iuris ſunt, nullis neceſſitatis vinculis, nullis fatorum nodis & nexibus irretiti, ſed plena ipſis & integra poteſtas eſt in re quauis propoſitâ alterutrum ſuo arbitratu eligendi. Libertate ergo ſtabilitâ, ad alia honeſtæ & moralis vitæ impedimenta remouenda procedamus.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

Ad vitam iuxta Philoſophiæ Moralis regulas tranſigendam, neceſſaria & animæ immortalitas.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur quantum ad vitam moralem & honeſtam conducat immortalitatis animæ cognitio.

HOc alterum è duobus eſt, quæ ſuprà, tanquam omnino neceſſaria ad mores iuxta Philoſophiæ, rectæque rationis præſcripta exigendos propoſui: nec minus quàm libertas ad virtutis exercitationem requiritur, vitiorumque fugam, ac vitam inſtituendam homine dignam. Si enim anima mortalis ſit, corpuſque illam in eandem ſecum internecionem trahat, Mortales, magis iam, quàm antea mortales, & corpore ſcilicet & anima morituri, recti honeſtique rationibus poſthabitis, vnicum vitæ, actionumque omnium ſcopum conſtituent voluptatem, idque vnum curæ erit, vt luxu ac deliciis fluant, dieſque ipſis quàm molliſſimè iucundiſſimeque prætei labantur: & , vt ſuprà dixi, ſi hominum mors, morti brutorum ſit ſimilis, mores, eorum moribus non erunt admodum diſſimiles. I. *Quanti interſit cognoſcere, animam eſſe immortalem.*

Hinc impiæ illæ facinoroſorum quorundam hominum voces, ſeſe ad omne ſcelerum genus, vitamque in turpitudine ac ſordibus tranſigendam adhortantium: *Venite*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ ſunt* &c. *Ne prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra* Cùm enim, animâ (vt ipſi perperam ſibi perſuaſerant) cum corpore, expirante, nulla poſt hanc vitam ſupereſſe bona exiſtimarent, totos ſe præſentibus addi- II. *Sap. 2. v. 6.* *Animam mortalem eſſe, perniacioſiſſima eſt perſuaſio.*

 xerunt:

xerunt: ſicque, dum temporis florem ſpectant, æternitatis fructum amittunt, & caducas, breuique tranſituras, quibus ſe coronant, roſas æternæ ſpinæ excipiunt, miſerique mortales, dum ſe totos mori autumant, vitam inueniunt omni morte acerbiorem.

III. Conſtat ergo hoc principium, animam ſcilicet non iiſdem cum corpore viuendi limitibus circumſcribi, ſed illo moriente manere ſuperſtitem, conſtat, inquam, quantum ad vitam honeſtè inſtituendam conferat, quantique interſit vt firmiter omniū animis infigatur. Nihil enim eſt quod homines in officio contineat magis, nihil quod à turpi & flagitioſâ vitâ efficacius coërceat, quàm metus ſupplicij, aliquando pro ſceleribus infligendi, vtque perſuaſum id omnes habeant, quo plura & atrociora perpetrant flagitia, eo grauiores (Deo rationem à ſingulis exigente) daturos pœnas. Is ergo, cuius menti hæc ſemel inſederit cogitatio, nihil hominis poſt mortem ſupereſſe, quod huiuſmodi pœnis ſit obnoxium, quæ clàm ſcelera, quæ etiam palam non admittet, quoties ſpes erit humanarum vim legum, ſuppliciaque à magiſtratibus infligi ſolita declinandi: nihil ipſi ſanctum, nihil ſacrum erit, ſed datis habenis, quo eum cunque effrænati animi impetus, ac libido rapuerit, ſequetur, ſeque in ſcelerum omnium ac turpitudinum voraginem immerget.

Metus pœnæ, peccādi frenum.

IV. Ex hoc principio, quòd ſcilicet animas hominum, pecudum ritu vnà cum corporibus interire crederent, profluxit tanto orbis malo lutulenta illa Epicureorum ſecta, quæ (viam ſternente voluptate, carniſque illecebris) ſuauiter in hominum animos illabendo, molliaque ſua dogmata, ac mellitum iis virus ſenſim inſtillando, lenociniis huiuſcemodi captos ad ſuas pertraxerunt partes. Imò, vt *ad vitiâ, non prona tantùm eſt, ſed præceps via*, eos voluptaria hæc ſecta progreſſus fecit, vt exiguo temporis ſpatio innumerabilem hominum multitudinem noxiâ illâ contagione afflauerit, Græciamque

Ad vitia, non prona tantùm, ſed præceps via.

ciamque prope modum vniuerſam, vnam Epicuri ſcholam reddiderit. Quare his incommodis permoti Vrbium quarundam Magiſtratus, quibus honeſtatis ratio, ac bonum ciuium, morumque integritas cordi fuit, ſeriò obuiam eundum cenſuerunt: atque vt malum in ipsâ radice tollerent, Epicureos omnes edicto inde publico expulerunt, tanquam peſtes Reipublicæ, morumq; deprauatores, ac penitus hominum conſortio indignos.

Ex variis Græciæ ciuitatibus expulſi Epicurei.

V.

Ex hoc, inquam, principio homines iſti originem duxerunt: hoc namque ab Epicuro magiſtro ſuo hauſerunt, qui fœdiſſimorum quæ ſpargebat dogmatum baſim ac fundamentum ſtatuit, animam corpori non eſſe ſuperſtitem. De quo hac in re ſic loquitur S. Auguſtinus. *Fortè quis dicit, cùm mortuus fuero, poſtea nihil ero. Et literas didicit, & ab Epicuro didicit hoc, neſcio, quo deliro Philoſopho, vel potiùs amatore vanitatis, non ſapientiæ, quem ipſi etiam Philoſophi porcum nominauerunt, quia voluptatem corporis ſummum bonum dixit. Hunc Philoſophum porcum nominauerunt volutantem in cœno carnali* &c. Ex hoc, inquam, circa animam errore Epicurus velut è fonte totam illam turpiſſimorum principiorum colluuiem deriuauit, quibus omnium mores corrupit. Vnde ad Idomenæum quendam ſcribens, ſeriò eum monet. *Ne in legum obſeruatione ſuperſtitioſiorem ſe præbeat, vbi nullum ob earum violationem, pœna à magiſtratibus infligenda incumbit periculum.*

S. Auguſtini de Epicuro iudicium. Pſalmo 73. circa finem.

Epicuri conſilium.

Metrodorus etiam ex præcipuis Epicuri diſcipulis, ſummâque illi familiaritate coniunctus, ad fratrem ſuum ſcribens, hæc ei monita, velut Epicureæ doctrinæ medullam tradit: Caue, inquit, ad bellum proficiſcaris, nec patriæ, boniúe quantumuis publici causâ vllis te periculis exponas, ſed domi te contine, & cutem cura, generoſum illic vinum bibe, tibique ac ventri vaca, tui vnius commodis ſtude, idque honeſtiſſimum autuma quod tibi eſt vtiliſſimum. Tandem totâ curâ & induſtriâ ad id incumbere eum iubet,

Metrodori, vnius ex Epicuri diſcipulis, monita.

vt corpus delicatè tractet, omnique voluptatum genere oblectet. En veram & genuinam Epicuri ſobolem; hominem, inquam, qui animi habitu ac lineamentis parentem ſuum ad amuſſim referat, quique in omnibus, magiſtri ſui perfectè veſtigiis inſiſtat.

VII. Hic Epicuri dogmatum, ex falsâ & perniciosâ, quā ſibi de animæ mortalitate finxerat opinione, procedentium fructus, quem proinde hoc nomine meritò S. Auguſtinus *delirum* appellat. Atque vtinam ſibi ſoli deliraſſet, ſordeſque illas ſuas intra ſinum proprium continuiſſet, nec eâdem morum corruptelâ alios infeciſſet. Sparſum ſiquidem ab illo dulce venenum, carnis ſcilicet illecebris corporiſque oblectationibus illitum, ita ſerpſit paulatim, ſeque nouis in dies incrementis in maximam humani generis perniciem diffudit, vt nō Græciam tantùm, ſed pleno alueo fluens, mundum inundauerit vniuerſum. Nec Epicuri ſolummodo ætate viguit hoc malum, ſed longâ annorum ſerie ad hæc vſque tempora, nunquam interrupto curſu manauit: non paucos namque etiam hodie videmus, qui animam corpori, cœlum terræ, virtutem vitio, honeſtum dulci poſthabentes, vitam ita inſtituunt, quaſi voluptatem actionum omnium ſuarum ſcopum eſſe exiſtimarent, & in eâ ſitam vltimam hominis felicitatem.

Epicuri venenum quomodo ſe diffuderit.

VIII. Habet ergo noſtra etiam ætas ſuos Metrodoros, adeò ſcilicet ipſum in omnibus referentes, quaſi eodem eſſent cum illo ouo geniti, ex eâdem, inquam, Epicureâ ſcholâ prodiiſſent. Se proinde totos Epicuri diſciplinæ addicunt, eiuſque dogmata, vt lapſa de cœlo oracula ampleсtuntur: eum vt virum orbis bono natum, ſolum inter Philoſophos ſapientem, vnicum morum magiſtrum, æternâque memoriâ dignum prædicant. At nil mirum ſi his eum homines voluptarij ornent præconiis, & ad cœlum vſque laudibus extollant: nec enim dum vitia viuunt, Epicuri vnquam nomen morietur.

Ætas noſtra ſuos habet Metrodoros.

CAP.

CAPVT SECVNDVM.

Sitne anima hominis immortalis.

RES hæc, non tam in ſacris Theologorum ſubſelliis, aut lyceis Philoſophorum, literatorumque hominum cœtu, quàm in Areopago, & ſeuero illo iudicum conſeſſu, quo cauſæ omnes capitales deferebantur, videtur tranſigenda. Cauſa namque iſthæc capitalis eſt; animæ ſiquidem dies à nonnullis dicitur, in diſcrimen, vt ita dicam, capitis vocatur, ipſumque vitæ principium in vitæ periculum adducitur. Quare vt aliorum frequenter, ita nunc ſuam agere cauſam, ſuique ſuſcipere patrocinium cogitur, ni præſtet, communem, his iudicibus, cum rebus aliis, mortis legem ſubitura. Imò verò iam eam neci adiudicârunt, & homine moriente, vnà cum corpore expirare animam dicunt, reddique inanimem. Quo facto virtutem omnem & honeſtatem, vt capite præcedente dixi, è medio tollunt, eodemque cũ ipsâ, condunt ſepulchro. I.

Anima ſuſcipere patrocinii cogitur.

Sed cauſam hanc è tenebris eruamus, & ab obſcuris hiſce hominibus ad Orbis lumina, ſanctiſſimos ſcilicet Eccleſiæ Patres prouocemus; eorum, vt par eſt, calculis rem tantam decidamus. Sanè quiſquis illa antiquitatis oracula conſuluerit, quiſquis, inquam Orientis, vel occidentis, Græcos vel latinos Patres inſpexerit, ſummâ eos conſenſione in hoc conſpirare reperiet, vnoque omnes ore affirmâſſe, animam eſſe immortalem, & ob hanc perfectionem peculiariter eam *ad imaginem ac ſimilitudinem Dei* factam interpretantur. Ex infinitis verò, quæ proferre poſſem, eorum teſtimoniis, ne tædium lectori pariam, pauca tantummodò recenſebo. II.

Auctoritate Patrũ oſtenditur, animam eſſe immortalem.

Inprimis itaque S. Chryſoſtomus ſic de anima loquitur: *In homine ſubſtantia quædam eſt incorporea, & immortalis,* III.

S. Chryſ. *Hom. 13. in Genes.*

mortalis, multo interuallo corpus excellens, & tanto, quanto corporeis eminent incorporea Oratione etiam quartâ de Prouidentia, inſanos appellat eos, qui animam negant eſſe immortalem, & *perinde facere* dicit, *ac ſi in die diem eſſe negent.* Idem clarè docet S. Epiphanius: *Moritur caro, inquit, anima immortalis eſt. Proinde ſi anima eſt immortalis, corpus autem mortale, qui reſurrectionem quidem eſſe dicunt, verùm carnis non eſſe, hi reſurrectionem negant.* Tantundem aſſerit S. Gregorius Nyſſenus: *Anima quidem, inquit, ſi ipſa per ſe examinetur, & excutiatur, nunquam reſurget, quandoquidem non moritur; ſed interitûs & corruptionis eſt expers. Cùm autem ſit immortalis, mortale corpus ſocium habet actionum, atque idcirco apud iuſtum iudicem tempore reddendarum actionum, rurſus ſocio ſuo inhabitabit, vt cum illo recipiat communes vel pœnas, vel premia.* Sanctus item Ioannes Damaſcenus ſic de anima ſcribit. *Anima eſt viua, ſimplex, & corpore vacans ſubſtantia, corporeorum oculorum ſenſum ſuapte naturâ fugiens, immortalis, rationis & intelligentiæ particeps, figura expers.*

S. Epiph. *Hæreſi 64.*

S. Greg. Nyſſenus *Orat. 3. de Reſurrect.*

S. Io. Damaſcenus *l. 2. Orth. Fid. c. 12.*

IV. Appoſitiſſima verò ad hoc declarandum, eſt illa D. Gregorij magni ſententia, qui de anima ad inferos damnatâ ſcribens, ſic habet: *Anima & mortalis eſſe intelligitur, & immortalis: mortalis quippe, quia beatè viuere amittit: immortalis autem, quia eſſentialiter viuere nunquam deſinit, & natura ſua vitam perdere non valet, nec cùm in perpetuâ fuerit morte damnata. Illic enim poſita, beata eſſe perdit & eſſe non perdit. Quæ ex re cogitur ſemper, vt mortem ſine morte, & defectum ſine defectu, & finem ſine fine patiatur: quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.* Idem clariſſimè docet S. Cyprianus his verbis: *Homo quia ex cœleſti, & terrenâ materiâ compactus eſt, veſtitus extrinſecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo, te iubente, redderet terræ quod de terra aſſumpſerat, & ad immaterialem originem reuerteretur ſpiritus, cuius natura diſſolutionis non patitur iniuriam.*

S. Greg. *lib. 4. dial. c. 45.*

S. Cyprianus *de Reſurrect. Chriſti.*

iniuriam. Eandem veritatem, ſic declarat venerabilis Beda: *Homo*, inquit, *qui de terra factus eſt, in terram reuertitur* &c *Anima verò non habet vllum elementum, ad quod reuertatur, niſi ad Creatorem ſuum, poſtquam de corpore exierit, vt ipſo moderante recipiat quod meretur.* B. Laurentius Iuſtinianus idem teſtatur: *Anima*, inquit, *eſt potior pars hominis, ſubſtantia inuiſibilis, incorporea, immortalis, Deo ſimillima.* Beda. *Quæſt. in Geneſin, de natura animæ.* B. Laur. Iuſtian. *de fide, c. 6.*

Nullus verò hanc de animæ immortalitate doctrinam clariùs tradidit, quàm Sanctus Auguſtinus: præter id enim, quod capite præcedente ex eo attulimus, vbi acerrimè inuectus eſt in Epicurum quòd animæ immortalitatem negaret, eumque hoc nomine delirum appellabat: præter hoc, inquam, librum integrum de animæ immortalitate compoſuit, & inter alia quæ de hoc argumento eruditiſſimè ſcripſit, capite quarto ait, *manifeſtum eſſe, animam humanam eſſe immortalem.* V. S. Aug. *Docet, animam eſſe immortalem.*

Hinc ergo conſtat, Sanctos Patres, etſi locorum ac temporum interuallo maximè inter ſe diſtantes, in animæ tamen immortalitate tradendâ ac declarandâ, perfectiſſimè conſpiraſſe, communique conſenſu eam perpetuò victuram certò prouinciaſſe. Iis quippe rationibus, & quod caput eſt, ſacrarum literarum teſtimoniis, quorum nonnulla mox producam, veritatem hanc firmatam ac ſtabilitam animaduerterunt, vt de eâ nullus relictus videretur ambigendi locus. VI.

CAPVT TERTIVM.

Rationes aliquot proponuntur ad probandam animæ immortalitatem.

QVæſtionem hanc de immortalitate animæ fusè in Philoſophia, diſputatione decima de anima diſ- I.

cuſſi:

Digitized by Google

cuſſi:vbi quorundam argutias, quæ eius officere immortalitati videbantur, diſſolui, argumentiſque tum Metaphyſicis, tum moralibus veritatem hanc catholicam pro viribus conatus ſum ſtabilire:vnde etiâm quædam,nonnullis tamen mutatis, huc transtuli. In præſenti verò, cùm hoc opus morale ſit,moralibus præcipuè rationibus inſiſtam.

II. *Anima immortalitatem probat appetitus quietis omnibus innatus.*

Animam itaque eſſe immortalem probat inprimis appetitus innatus; propenſioque omnibus à natura inſita ad quietem & tranquillitatem, perfectamque aliquam beatitudinem continendam. Quod certum adeò exploratumque apud omnes eſt, vt principium per ſe notum â Philoſophis haberetur: nihilque apud eos frequentius, quàm, *omnis homo deſiderat eſſe beatus.* Hic vero appetitus fruſtra hominibus eſſet à natura inditus, ſi anima vnà cum corpore expiraret, & totus ſemper homo extingueretur.In hac quippe vitâ, inter tot perturbationes & pericula, perpetuaſque rerum viciſſitudines ac moleſtias,nullus hunc finem,inconcuſſam ſcilicet & ſtabilem quietem conſequi poteſt. Qua de causâ,ſolo naturalis luminis ductu antiqui Campos Elyſios, ac beatas illas ſedes finxerunt, loca ab omni dolore, moleſtiâ, ac perturbatione remota, vbi eorum animæ,qui hanc vitàm in virtute traduxerant, perfectâ tranquillitate gauderent, veriſque fruerentur deliciis, ac finem ſuum naturalem adipiſcerentur.

III. *Quorundam contra anima immortalitatem obiectio.*

Opponet fortaſſis aliquis, his quidem confici,animas non eodem interire momento cum corporibus, ſed ad tempus aliquod,putà,diem, menſem,vel annũ, manere ſuperſtites, vt fœlice illo ac tranquillo ſtatu fruantur,non tamen poſtulare vt perpetuò durent, ſed eas poſt certum tempus extinctum iri, & in nihilum abituras.At ſanè, ſi anima corporis vinculis ſoluta, perſiſtere ad horam, diem, vel annum poſſit naturaliter,ſemper poterit: hinc enim nihil eſt,quod eius deſtructionem exigat, cùm nullum habeat contrarium; inde

inde verò, defectu cauſæ, quæ eam conſeruet, (quod luci, & rebus iſtiuſmodi minutis interdum accidit) interire nequit, cùm peculiare ſibi principium poſcat Deum, qui & præſens ſemper eſt, & eam ab omni poſſit internecione vindicare. Sed de hoc fuſiùs dixi in Philoſophia, loco initio capitis citato.

IV. *Beatitudo vera non eſt, de cuius æternitate dubitatur.*

Addo vlteriùs, qui animabus à corporibus ſeparatis certum menſium, vel annorum numerum, ac definitum viuendi tempus aſſignant, & limitatam huiuſcemodi beatitudinem iis tribuunt, nullam tribuunt. Ad felicitatem ſiquidem maximè requiritur ſecuritas: nam, teſte S. Auguſtino, *Beatitudo vera non eſt, de cuius æternitate dubitatur.* Illæ ergo animæ, niſi quiete hac & tranquillitate, qua gaudent, ſemper ſe fruituras cognoſcant, anxietate perpetuâ & ſolicitudine angentur, ne eam amittant: ſicque exiguum ac propè nullum erit gaudium, vtpote timore maximo permixtum. Quæ ergo deliciæ quæ iucunditas, quæ voluptas, dùm fruentis capiti gladius ſemper impendet, quò timet ne momentis ſingulis in nihilum redigatur.

V. *Eccleſiaſtici 41. v. 1. Beatitudo limitata, timore & ſolicitudine eſt permixta.*

His proinde non incongruè applicari poteſt illud Eccleſiaſtici: *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis.* Imò, recordatio annihilationis & interitûs, quem perpetuò formidant, eo huiuſmodi animabus eſſet amarior, quàm homini illi memoria mortis, quo earum deliciæ ſunt huius voluptatibus maiores, & fœlicitati iſti tanquam vltimo fini ſuo firmiſſimè adhærent, atque in eâ, velut in centro, conquieſcunt. Acutiſſimo itaque doloris iaculo transfigerentur, quoties vnam aliquam ex animabus quibuſcum degunt, interire cernerent & euaneſcere. Quam ob cauſam, Theologi omnes ad beatitudinem ſupernaturalem ac cœleſtem, requiri aſſerunt, vt quiſquis illâ fruitur, de eiuſdem perpetuitate & perſeuerantiâ ſit ſecurus.

VI. Alia ad Animæ immortalitatem probandam, ratio hinc

Fœlicitatis mundanæ contemptus arguit, aliam poſt mortem ſupereſſe. hinc deducitur: multos quippe videmus, ex rectæ rationis dictamine, mundi huius oblectamenta, voluptates, & humanam omnem fœlicitatem, ipſamque adeò vitam contemnere, & vbi id pietas exigit, profundere: quod indicio eſt, aliam ſupereſſe vitam, aliam, poſt mortem corporis, felicitatem, quâ hanc generosè contemnentes, aliquando perfruantur: alioqui flagitioſiſſimus quiſque eſſet his fœlicior. Ad quod alludere videtur Apoſtolus, dum ait, ſi non ſit reſurrectio mortuorum, nos, hoc eſt, eos qui vitam in virtute & pietate traducunt, *miſerabiliores eſſe omnibus hominibus.* *1. ad Cor. 15. v. 19.*

CAPVT QVARTVM.

Præcipuum argumentum ad Animæ immortalitatem oſtendendam.

I. Efficaciſſima verò ratio ad probandam animam non ſimul interire & extingui cum corpore, deſumitur ex æquitate Dei, bonis præmia, malis ſupplicia iuſtè decernentis: *vbi enim foret iuſtitia Dei,* inquit Origenes, *vbi bonorum merces, malorumque iuſta ſupplicia, ſi anima mortalis eſſet?* Homines nimirum in dies videmus omni ſcelerum ac flagitiorum genere coopertos, in ſummâ proſperitatè ac florentiſſima fortunâ in hoc mundo degere, & per longam annorum ſeriem turpiſſimis hiſce voluptatibus, ad finem vſque vitæ pacatè & tranquillè frui. Bonos è contra, vitæ morumque integritate inſignes, virtutem ac pietatem ſedulò colentes, opprimi cernimus, & per totum vitæ decurſum continuis doloribus, miſeriis, ac vexationibus affligi. Ad infinitam ergo Dei, æquiſſimi iudicis, iuſtitiam, rectamque vniuerſi adminiſtrationem pertinet, vt pio homini hîc tantopere oppreſſo, tot ærumnis & calamitatibus iactato, alibi pietatis & laboris præmium conferatur: vt, inquam,

Origenes *ſuper Cantica.*

Ex rebus ſecundis malorum, bonorum aduerſis, probatur Animæ immortalitas.

quam, in hac vitâ *Virtutis* templum ingreſſo, poſt mortem, *Honoris* templum referetur, ibique tot meritis debitam coronam conſequatur, vberemque laborum fructum percipiat; cùm hîc non perceperit. Idemque quoad pœnas & ſupplicia, eſt de impiis. Vnde Lactantius, cùm animas hominum dixiſſet eſſe immortales, rationem reddit: *Nec enim fas eſt*, inquit, *aut eum, qui ſceleratus in vita fœliciter fuerit, effugere quod meretur: aut eum, qui ob iuſtitiam miſerrimus fuerit, ſuâ mercede fraudari.* Lactantius *lib. 3. Inſtit. c. 19*

Imò ipſi etiam Ethnici hoc ex prouidentia ſummi Numinis rectè de omnibus diſponentis, mundumque eâ quæ ſapientiſſimum moderatorem decet, æquitate adminiſtrantis, collegerunt. Vnde quantumuis facinoroſus quipiam erectâ ceruice incederet, & ſcelera ſceleribus addendo, toto vitæ tempore impunis perſiſteret in flagitiis, hunc nihilominus Dei vindictam, pœnamque noxis illis & criminibus debitam non effugere affirmabant, ſed grauiſſima poſt mortem ſubire ſupplicia: locumque peculiarem, vbi infœlices impiorum hominum animæ acerbiſſimis cruciatibus ac tormentis afficerentur, aſſignabant. II. *Ethnici Animæ immortalitatem agnouerunt.*

Hinc ortum habuit prouerbium illud paſſim ab antiquis ad hoc ipſum vſurpatum, *Dij laneos habent pedes:* hoc dicto innuentes, lentè quidem, eos procedere, aliquando tamen, & inopinatò pœnam de malefactis ſumere, & cùm ſcelerati homines iam morti proximi, pœnæ ſe ſecuros exiſtimant, tum verò iis grauiſſimam infligere, & puniendi tardítatem acerbitate ſupplicii compenſare. Ad idem etiam exprimendum familiare ipſis erat hoc adagium. III. *Dij laneos habent pedes.*

Ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτά.

Lentè Deorum molunt mola, molunt autem minutim, & omnia in puluerem reducunt, id eſt, grauiſſimis pœnis & cruciatibus in ſceleratos tandem animaduertunt. Nempe, vt ſuprà dixi, Deus ſerò punit, ſed ſeriò, & *Deorum mola lentè molunt, ſed molūt minutim.*

Nunquam antecedentem ſceleſtum, ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.

IV. *Stoicorum Obiectio.*

Dicet aliquis fortaſſe, vt quis pro bonis, quas hic exercet, operationibus, præmium, pro malis pœnam recipiat, nil opus eſſe vt ad aliam vitam recurramus: qui enim, dum in hoc mundo degunt, virtuti ac pietati ſtudent, reſque præſtant laude dignas, hîc præmium accipiunt; & è contra, qui ſcelerate viuunt, pœnam: virtus namque eſt ſibimet præmium, vitium pœna. Hinc Romanus Philoſophus, *Rectè facti*, inquit, *feciſſe merces eſt.* Aequitatis ergo ratio, ſeu vt bonis merces detur, malis infligatur pœna, non poſtulat vt anima corpori ſit ſuperſtes.

Virtus, inquiunt, ſibimet præmium, vitiũ pœna.

V. *Ille Philoſophandi modus, hominum conuictum deſtruit.*

At ſanè hic Philoſophandi modus & communi omnium conſenſui aduerſatur, & penitus hominum inter ſe communicationem & conuictum deſtruit, ipſoque vſu quotidiano & conſuetudine refellitur. Miles, exempli gratiâ, quiſpiam in nauali pugna hoſtes cernens in nauem irruentes, accurrit illico, magnoque illos animo aggreſſus, alios obtruncat, alios corporis ſui oppoſitione in mare proturbat, ac demum exactis hoſtibus, nauem periculo, Ducem metu liberat, honeſtiſſimis etiam, aduerſo pectore vulneribus acceptis. Huic poſteà fortitudinis, ſtrenueque nauatæ operæ præmium poſcenti, ſi Dux reſpondeat, pulcherrimi illius facinoris præmium eum iam recepiſſe, *Virtus quippe ſibimet præmium, & rectè facti feciſſe merces eſt:* quiſquamne eum ſatis aut exiſtimationi propriæ, aut merito alieno feciſſe arbitrabitur? Nullus haud dubiè æquus rerum æſtimator id iudicabit, ſed eum hac in re omnes, non ducis aut Imperatoris, ſed ſordidi hominis, imò parum ſanæ mentis partes expleuiſſe afferent. E contrario, ſceleratus aliquis poſt furta, rapinas, homicidia, innumeraque admiſſa flagitia comprehenſus, adjudicatur patibulo, Hic ſi vociferari incipiat, iniuſtè ſe infami huic ſupplicio addici, pœnaſque iam dediſſe clamitet, dicatque, *ſcelera*

lera plura admiſi, & hoc ipſo ſatis pænarum ſuſtinui, nam *vitium ſibi pœna :* fœliciter is certè Philoſophabitur, ſi his argutiis furcam effugere, & Philoſophicâ hac ſententiâ mortis in ſe latæ ſententiam euadere poſſit: quod tamen haud facilè eum facturum exiſtimo.

VI. *Nulla natio cenſet virtutem eſſe ſibi premium ſufficiens.*

Nationum ergo omnium communi conſuetudine, falſitatis arguitur hæc Philoſophandi ratio: nulla enim eſt ſub ſole regio, nulla gens, quin rectè operantibus præmia, ſceleratis ſupplicia decernat, in eoque rectam ciuitatis omnis, & cuiuſcumque hominum cœtus adminiſtrationem ſitam eſſe, omnes affirmant. Adde, homines, quo ſceleratiores, eo cum minore conſcientiæ ſtimulo ſe vitiis dedere : imò interdum ita ſceleribus ſunt immerſi, vt vix vllo admiſſorum criminum ſenſu tangantur, ſed *ducunt in bonis dies ſuos*, & cum ſummâ voluptate luxuriantur. Rectus ergo rerum ordo poſtulat, vt ſcelera hic impunita, alibi plectantur, vitamque in flagitiis ac turpiſſimis voluptatibus traductam iuſtâ poſt mortem pœna ſubſequatur.

VII. *Dices, animas poſt mortem ad tempus ſolummodò puniendas;*

Tandem dicet quiſpiam, probare hæc quidem animas cum corporibus non extingui, ſed aliquamdiu poſt eorum mortem ſupereſſe, id rectam vniuerſi adminiſtrationem, id Dei iuſtitiam, id denique ſcelera in hac vita perpetrata requirere, hinc tamen non confici, eas eſſe immortales, ſed poſt certum tempus ; vbi debitum criminibus ſupplicium ſubierint, & pœnâ & luce orbandas.

VIII. *Grauia in Deum crimina poſſunt pœnâ æternam. Ad Hebr. 10. v. 31.*

At quiſquis hoc aſſerit, non ſatis admiſſi in Deum facinoris, & mortalis, vt aiunt, noxæ atrocitatem perpendit, quid, inquam, ſit creaturam Creatorem, vile mancipium Regem regum, terræ vermiculum ſummum Numen, cœlique ac terræ moderatorem grauiter offendere, ſeque læſæ infinitæ Maieſtatis reum conſtituere, & quam *Horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis.* Tanta nimirum eſt huius enormitas criminis, vt ſuum ſecuti Principem, Theologi, peccato graui in

Deum admiſſo infinitatem quandam ineſſe pronuncient: eiuſque fœditatem ac malitiam nullâ, quantumuis diuturni temporis, pœnâ compenſari poſſe. Et meritò; videmus enim ſi plebeius quiſquam Regem violet, iniectiſque in eum manibus occidat, aut vulneret, immane adeò cenſeri facinus, vt vix vllum par ei reperiri ſupplicium queat.

IX. *Terreſtris regis offenſio ætatem, offenſio Regis cæleſtis æternitatẽ in ærumnis exigit.*

Imò ob minus etiam atrocia crimina, quibus in grauem quis regis alicuius offenſionem incurriſſet, exilio mulctatur, & patriâ boniſque omnibus in perpetuum orbatur. & in deſertum interdum ac ſterilem locum, rerumque omnium penuriâ laborantem relegatur, vbi in ſqualore & ærumnis lentâ morte contabeſcit, vel potiùs vitam longo annorum ſpatio trahit morte acerbiorem. Si ob terrenum regem offenſum, dignus quis cenſetur qui tam diuturno tempore grauem adeò pœnam ſuſtineat, & in mœrore, vexationibus ac miſeriis agat ætatem, certè, qui Regem regum (cuius comparatione terreni omnes Reges vmbræ tantum ſunt, & ſimulachra regum) infinitamque illam maieſtatem offenderit, dignus erit qui in iiſdem agat æternitatem.

X. *Ethnici pœnas inferorum fatentur fore æternas.*

Hoc etiam, Naturâ duce, Ethnici intellexerunt, quî non ſolùm, vt ſuprà vidimus, locum deſignarunt, vbi impij poſt mortem punirentur, debitoſque ſceleribus cruciatus & ſupplicia perferrent, ſed hæc perpetua fore, & in æternum permanſura dixerunt. Hinc de Theſeo, quem ob flagitia ad inferos detruſum eſſe affirmat, ſic loquitur Poëta:

Aeneid. 6. v. 617.

——— Sedet, æternumq́; ſedebit
Infœlix Theſeus, Phegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magnâ teſtatur voce per vmbras.
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Tityi etiam, ſceleſtiſſimi hominis, & ob turpiſſimam libidinem infamis, ſupplicium deſcribens, cuius iecur à vulture pectori eius ſemper inſidente lacerari perpetuò, ac diſcerpi aſſerit, hæc habet:

Roſtro

——— Roſtro immanis vultur obunco *Ibidem v. 597.*
Immortale iecur tundit, fœcundaq; pœnis
Viſcera, rimatur ꝛ epulas, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

De quo etiam, appoſitè ad rem præſentem ſic ſcribit Poëta tragicus: *In Hercule furen.*

Prabet volucri Tityus æternas dapes.

Ante hos etiam Plato vniuerſim de iis omnibus, qui ſceleratam vitam infœlice morte clauſerunt loquens, ſic habet: *Qui ſacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum ſimilia perpetrauerint, hos omnes conueniens ſors mergit in Tartarum, vnde nunquam egrediũtur.* Hæc ille. *Plato in Phædone.*

CAPVT QVINTVM.

Alia quædam argumenta ad immortalitatem animæ probandam.

HInc etiam vlteriùs non leue deducitur argumentum ad oſtendendum animas hominum eſſe immortales: multi etenim, non ſupernaturaliter tantùm, ſed planè naturaliter patiuntur extaſim. Vnde Conimbricenſes narrant ſocratem, Platonem, Triſmegiſtum, & alios ſæpe fuiſſe in extaſim raptos. Imo cuiuſdam ſibi noti mentionem facit S. Auguſtinus, qui pro libito extra ſe rapiebatur ſolis naturæ viribus, ita vt nec applicatum ſibi ignem, nec gladium ſentiret, ſed ita cum ipſo tunc temporis agebatur, ac ſi corpus omnino non haberet. Cum ergo extaſis ſit alienatio animæ à ſenſibus, & ſola attentio ad operationes mentis, poſſitque in hoc caſu anima independenter omninò à corpore operari, poterit independenter ab eodem exiſtere: *independentia* ſiquidem *in operando*, vt commune habet Philoſophorum dictum, *independentiam arguit in exiſtendo.*

I. Extaſis, quã multi naturaliter patiuntur arguit animam eſſe immortalem. S. Aug. *lib. 14. de ciu. t.*

II.
Honor mortuis haberi ſolitus probat eorum animas viuere.

Hoc item ſuadet honor mortuis haberi ſolitus, quæ conſuetudo apud nationes omnes recepta, manifeſto indicio eſt eorum animas etiamnum manere ſuperſtites: alioqui fruſtra iis huiuſmodi honos exhiberetur: niſi enim animæ viuerent, & percipere honorem illum poſſent, perinde eſſet ac ſi trunco haberetur, aut lapidi.

III.
Quod non liceat mortuis detrahere, ſignū eſt animas viuere.

Præterea animarum immortalitatem probat, quod nunquam liceat mortuis detrahere, nec bonum eorum nomen, quod ſibi vitam in virtute traducendo compararunt, imminuere, aut vllam iis infamiæ notam aſpergere. Mortui itaque, cum ius ad famam retineant, eorum animas viuere neceſſe eſſe, quod enim non exiſtit, ius habere nequit, nec ei fieri iniuria.

IV.
Idem probat horror ex conſpectu hominis mortui proueniēs.

Hoc inſuper oſtendit horror ille, qui omnibus naturaliter incutitur ex conſpectu humani cadaueris, & metus neſcio quis loca, vbi, ante multos etiam annos mortui, ſepulti fuerunt, ingrediendi. Quod tamen non ex hominis magis, quam equi aut canis mortui præſentia hominibus accideret, niſi animas etiamnum crederent eſſe ſuperſtites.

V.

Tandem vel hinc apertè deducitur hoc Principium, *animas* ſcilicet *eſſe mortales*, ex Epicuri, vel Theodori potiùs, *impij* nuncupati (à quo Epicurus pleraque ex ſordidis ſuis, & humano generi noxiis dogmatibus hauſiſſe dicitur) ſchola procedens, falſum eſſe, quod, vt capite primo oſtendi, impietatis omnis ac turpitudinis radix ſit & fundamentum, hominesque in belluas tranſmutet. Hinc, inquam, iure omnes hoc dogma falſum eſſe exiſtimauerint: ſicut enim, vt dici ſolet, *Ex vero nil niſi verum*, ita nil niſi rectum, nil niſi honeſtum, nil niſi tali radice dignū. Ex limpido nimirum fonte lutulentæ non ſcaturiunt aquæ: non ergo cum veritate, cuius limpidiſſimæ ſemper ſunt aquæ, ſed cum errore, falſitate, mendacio coniunctum eſt hoc principium, ex quo tot ſordes, ſcelerumque omnium ac flagitiorum

Ex vero nil niſi verum.

ſentina

ſentina promanat, quæ nocentiſſima aſpiratione mortalium animis venenum & mortem afflat.

Argumenta præcipua contra animæ immortalitatem tribus hiſce poſtremis capitibus, data hinc inde occaſione, propoſui, & diſſolui. Leuiora, tantùm nonnulla reſtant, quibus nihilominus ex iactis hic fundamentis haud difficulter occurri poſſe exiſtimo. Si quis tamen pleniòrem eorum ſolutiònem deſideret, conſulat diſputationem decimam de anima, vbi hæc fuſiùs diſcuſſi. VI.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De tribus ad rem tum priuatam cuiuſque, tum publicam, conſtanſque virtutis, & honeſtæ vitæ exercitium præcipuè conducentibus.

CArolus Imperator, huius nominis Quintus dicere ſolitus fertur, ad rectam ciuitatis omnis ac Reipublicæ adminiſtrationem tria P. P. P. maximè eſſe neceſſaria, *Paſtorem, Prætorem*, & *Præceptorem*. *Paſtorem* qui bono animarum, & pietatis officiis, *Prætorem* qui legum obſeruationi, *Præceptorem* qui iuuentutis inſtitutioni inuigilet. Quanti ergo interſit Reipublicæ hæc tria in ea florere, hac diſputatione declarato, ſermonemque de ſingulis ſuo ordine inſtituam: & primò de pietate.

Tria P. P. P. ad Reipublicæ adminiſtrationē maximè neceſſaria.

CAPVT PRIMVM.

Veneratio & cultus Dei, firmamentum Reipublicæ.

DVobus potiſſimùm omnem labefactari & mere cernimus Rempublicam, ciuium inteſtinâ inter ſe I.

 diſſen-

diſſenſione, & externâ hoſtium vi: quorum prius multo grauius eſt, multoque plus ſecum affert periculi: *Tela* enim *præuiſa minùs feriunt*: impetus ergo ille hoſtium armatâ manu irruentium, cum apertus ſit, & præuideri poſſit, haud difficulter poterit præuerti, & vis vi repelli. Diſſenſio vero, cùm tecta ſit & latens, ſerpit paulatim, & alios atque alios noxiâ contagione corripit, ſeque intimis Reipublicæ vſceribus ſenſim implicat, quæ dum minus cogitat, malum intra ſe ſuum & mortem fouet, ſecretum ſcilicet hoc virus, quod eam paulatim excedit & conſumit. Imo clandeſtinum hoc malum in apertam interdum ſeditionem prorumpit, ac turbis omnia & tumultibus miſcens, ciuitatem aut patriam ſubitò euertit.

Tela præuiſa minùs feriunt.

Ciuium diſcordia venenum Reipublicæ.

II. Teſtis huius rei, vt alia omittam, Romana Reſpublica, quam, initio paruam, illius ciues iunctis armis & animis ad eam amplitudinem prouexerunt, vt eoſdem imperij ſui quos Orbis fines habuerit, & vix vlla fuerit regio, in qua fortitudinis ac fœlicitatis ſuæ trophæa non erexerit, victricesque aquilas non fixerit. Hæc ergo ciuitas tot victoriis celebris, tot illuſtrata triumphis, & omnium gentium ſpoliis ditata, mundique, dum in ea pax floreret, Domina effecta, diſſidentibus inter ſe ducibus, armiſque in mutuam cædem ruentibus, ſolutis veluti compagibus diſſiliit, & victrix orbis ſuccubuit ſibi. Gliſcentibus quippe in dies odiis, qui prius latebant offenſionum igniculi, quoſque intra ſuum diu pectus ſinguli coërcuerant, in ingentem ſubito ciuilis diſcordiæ flammam proruperunt, quæ ita exarſit, vt non niſi Romano ſanguine reſtingui potuerit, nec prius deſiit, quam Roma tota conflagraret, ſuiſque iaceret cineribus ſepulta. Imo omnes ferme Orbis regiones, quibus implicata erat Romana res, in idem ſecum traxit incendium. Vnde nulli aptiùs quam Reipublicæ Romanæ congruit dictum illud: *Concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.*

Roma victrix Orbis, ſuccubuit ſibi.

Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

Stabili-

Stabilimentum ergo Reipublicæ animorum coniunctio: ad hanc vero comparandam nihil aptius pietate, Deique veneratione & cultu, cui ſi ſe seriò cuncti addicant, eumque in ſe promouere pro viribus conentur; & per pios mentis affectus, ſuas Deo voluntates coniungere, eâdem operâ ſibi inuicem iungentur, fœliciſſimoque inter ſe nexu conſpirabunt. Nullum quippe eſt fortius vinculum quàm pietatis: ceſſante vero Numinis cultu; & communi hoc vinculo ſublato, ſibi tantummodo ſtudet quiſque, & propriis omnia rationibus metitur. Qua de cauſa rectè Cicero: *Pietate, inquit, aduerſus Deum ſublatâ, fides etiam & ſocietas humani generis, & vna excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur neceſſe eſt.* Imo addit Plutarchus *facilius eſſe vrbem condi ſine ſolo, quàm opinione de Deo penitus ſublatâ, ciuitatem coire, aut conſtare.* Tanti ad ciuium concordiam, firmamque ac ſtabilem vrbis alicuius aut Reipublicæ tranquillitatē intereſt Numinis cultus, Deo enim vniti animi, facilè ſibi inuicem coniunguntur: nec in moralibus magis quàm Phyſicis verum eſt illud Peripateticorum Dogma: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* III. *Stabilimentum Reipublicæ animorum coniunctio.* I. *De natura Deorum.*

Demonſtrant Mathematici in circulo lineas omnes, quæ à centro ad ſupremam eius partem rectà ducuntur, non ſe interſecare vnquam, nec vnam alterius ordinem interturbare, ſed in centro concurrentes, arctiſſimeque illic inter ſe coniunctæ, inde quaquauerſum ordinatiſſimè ſe diffundunt, & ſingulæ ſuo loco ſitæ vnà conſpirant, pulcherrimamque faciunt harmoniam. *Deus*, inquit Triſmegiſtus, *eſt Circulus, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam:* qui ergo ſedulo pietatem colunt, votorumque omnium ſuorum & affectuū centrum habent Deum, eiuſque cultu cuncta metiuntur, atque ad illius honorem tanquam ad lapidem Lydium actiones ſuas explorant, vt ſinceræ ſint, omnique ex parte integræ: hi inquam nihil in ſe curuum, nihil IV. *Deus eſt circulus, cuius centrum vbique, circūferentia nuſquam.*

 obliquum,

obliquum, nihil ſiniſtrâ intentione diſtortum continēt, ſed ſicut lineæ rectæ in circulo, ordinem quiſque ſuum ſeruat, nec vnus alteri impedimento eſt, ſed adiumento, miráque inter ſe animorum conſenſione conueniunt, & Rempublicam reddunt longè fœliciſſimam.

V. *Quidam, vero cordium centro omiſſo, priuata ſibi centra conſtituūt.* Qui autem Deum ſibi ſcopum non præfigunt, nec ad hoc cordium omnium centrum toto animi affectu tendunt, ſed priuata ſibi centra conſtituunt, diuitias honorem, voluptatem, hi inquam, animæ excentricæ, non vt lineæ rectæ ordinem ſeruant, ſed vt curuæ ac diſtortæ lineæ obliquè feruntur, & in ſe inuicem ſæpe incurrunt, graues inter ſe inimicitias exercent, priuatis & publicis odiis omnia conturbant, & perditum eunt Rempublicam.

VI. *Mundani hominu deſcriptio.* Id nimirum vnum iis curæ eſt, vt rem familiarem quoquo modo augeant, & per fas vel nefas opes accumulent. Integritatem & fidem ſpecioſa eſſe nomina dictitant, & pulchri plus in ſe continere quàm ſolidi. Sinceritatem & candorem animi ſimplicitatem, virtutem ignauiam, pietatem ſuperſtitionem interpretantur. Sordidi illius ac ſcelerati hominis apud Horatium vocem velut oraculum acceptant, ſibique vitæ regulam ſtatuunt:

Horat. lib. 1. ep. 1.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

VII. Si pietatem interdum colere videntur, falſa eſt & fucata, eâque tegitur laruata impietas, ac ſub vultu ad Dei venerationem compoſito latet cor impium, nihilque minùs interiùs præſtant, quàm quod præ ſe ferunt exteriùs. Indis non abſimiles; quibus cum ab Hiſpanis, qui eos ſubiugauerant, ſeuerè interdictum fuiſſet, ne cultum idolis exhiberent, illi idolum, quod in pariete clam collocauerant, appenſâ ante illud cruce obtegebant, moxque ſolitas ſuas cerimonias peragebant, & idolum cruce occultatum adorabant, & hoc pacto, dū Chriſtum venerari videbantur, venerabantur dæmonem.

Artificiū Indorum ad colenda idola.

nem. Sic homines iſti, impiè pij, externa ſubinde quædam pietatis ſigna exercent, vel vt exiſtimationem inde aliquam conſequantur, vel vt vitent infamiam: ac dum Deum colere videntur, colunt ſeipſos.

Ex his ergo conſtat quanti Reipublicæ alicuius intersit, vt in ea floreat pietas, quæ, vt teſtatur Orator Romanus, baſis eſt & fundamentum omnium virtutum. De qua etiam pulchrè Philo: *Sunt*, inquit, *virtutes omnes virgines, ſed harum choros ducat pulcherrima iuncta cum iuſtitiâ pietas.* Quæ proinde vbi viget, nihil ea ciuitate, Republica, aut regno fœlicius, quippe quæ omnia ad bene beateque viuendum ſecum cumulatè affert, rerumque ſtatum efficit florentiſſimum. Quemadmodum autem Virginei huius Chori ductrix pietas, harmoniâ illâ, pulcherrimoque virtutum cœtu, quæ eam ſemper comitantur, cœlum quoddam in terra conſtituit, ita impietas, Deique obſeruantiæ ac venerationis neglectus agmen vitiorum ducit, optimeque etiam conſtitutam Rempublicam peſſundat, & in ſcelerum ſentinâ, confuſioniſque Barathrum comutat. VIII. *Quanti interſit Reip. vt in ea floreat pietas.*

Hac de cauſa Nationum omnium legiſlatores, ſapientiſſimi viri, cum illius, quam quiſque formandam fingendamque ſuſceperat, Reipublicæ tranquillitati & paci proſpectum vellent, id inprimis curabant, vt diuinus in ea cultus maximè floreret, firmiſſimaſque ageret radices. Vnde ipſis legibus varia pietatis exercitia præſcribebant, & in ea totam cuiuſque ciuitatis & hominum cœtus felicitatem ſitam eſſe arbitrabantur. Hoc, inquit Plutarchus, apud Lacedæmonios præſtitit Lycurgus, hoc Numa apud Romanos, hoc apud antiquos Athenienſes Ion, Hoc, deniqùe in Græcia ferme vniuerſa Deucalion, vnicum ſcilicet Reipublicæ firmamentum exiſtimantes pietatem. IX. *Legiſlatores præcipuam ſemper habebant curã pietatis.*

Hinc ortum axioma illud Philoſophorum: *Nulla inter malos amicitia, nulla ſocietas.* Vnuſquiſque nimirum in ſe tantumodo oculos figit, ſe ſibi ſcopum ſtatuit, ſui vnius X. *Nulla inter malos amicitia.*

vnius commodis ſtudet, ac veluti ſpartam nactus quam adornet, eò cogitationes eius omnes & conatus tendunt, vt rem ſuam priuatam curet, & ad ſe omnia deriuet. Nulla apud eos ratio honeſti: mille fallendi, mille alijs nocendi artes, dolis cuncta & fraudibus, quibus ſe inuicem circumueniunt, plena. Demum in votis, vt aliis nihil è voto accidat, ſibi omnia ſuccedant ex ſententia. Denique toto ſtudio in id feruntur, vt aliorum depreſſione ipſi emineant, aliorum ruinâ extollantur: aliorum dedecore clariores, damnis ditiores, infortunio fœliciores euadant. Sicque dum poſthabito communi bono ſibi viuunt, perdunt omnia, & Rempublicam euertunt.

CAPVT SECVNDVM,

Non ad Ciuium tantùm animos inter ſe conciliandos, impediendaſque ſeditiones, ſed ad hoſtium vim arcendam plurimùm conducit pietas.

I. *Vis maxima pietatis ad arcendam hoſtium violentiam.*

AD alterum pietatis munus quod attinet, nempe vt hoſtium ferociam frangat, violentoſque eorum impetus retundat, ac ciuitatem aut patriam à vi externâ immunem ac tutam præſtet, ſi quis terras & tempora mente & cogitatione percurrat, omnium hoc animis inſediſſe reperiet, atque ad inimicorum violentiam arcendam, eorumque reprimendas incurſiones in pietate plurimum ſemper poſuiſſe præſidij: nec Chriſtianos tantùm, quibus è cœlo diuina lux affulget, ſed & Ethnicos in Numinis cultu maximam ſtatuiſſe ſecuritatem.

II. Atque vt à florentiſſima, quam vnquam Orbis vidit, Romanorum ſcilicet Republica incipiam, quiſquis illorum res geſtas recolit, videbit plus eos fiduciæ ac ſpei in cerimoniis quibuſdam, ſacrorumque ritibus, quibus opem

opem ſibi è cœlo tranſmitti poſtulabant, quàm in virtute bellica, ducumque ac militum fortitudine collocaſſe.

Hac de cauſa Numam, alterum vrbis conditorem appellabant, meliuſque quàm Romulum illius iecisse fundamenta aſſerebant. Quod quibus nixi rationibus dixerint conſtabit, ſi vtriuſque in ciuitatem illam merita, diuerſumque in ea firmanda ac ſtabilienda procedendi modum conſideremus. Romulus homo bellicoſus Romanos ſuo ingenio finxit, in eoque totus erat vt militares ac Martios iis ſpiritus inderet. Numa feroces eorum animos pietatis exercitiis temperabat, & ad Numinis cultum inſtituebat. Vrbem Romulus propugnaculis ac turribus, Numa templis replebat, eaque dicebat propugnacula eſſe omnium munitiſſima. Romulus in armorum tractatione, & belli artibus ciues exercebat, hoſtem fortiter aggredi iubebat, pedem pedi conferre, ſpem in dextris reponere. Numa illas dextras fortiſſimas eſſe aiebat, quibus è cœlo robur acceſſiſſet, manuſque ad maxima præſtanda aptiſſimas eſſe eas, quæ ad Deum ſæpius fuiſſent eleuatæ. Ob hæc ergo, antiquorum iudicio meliùs de Romana ciuitate meritus cenſebatur Numa quàm Romulus, cui proinde hac in parte palmam omnes deferebant, melioribuſque eum auſpiciis vrbem, Orbis dominam futuram condidiſſe affirmabant. III. *Vter meliùs de Romana vrbe meritus, Romulus an Numa.*

Quam vero naſcens tincturam à Numa hauſit Romana Reſpublica, cum ea adoleuit, copiaſque deinceps Romani, non armis magis, omniquè apparatu bellico, quàm pietate (ſuperſtioſâ illâ quidem, cum Ethnici eſſent, & plurium Deorum cultui addicti) inſtructas eduxerunt. Hinc tot ſemper ante prælium vota, tot preces, tot ſacrificia, quibus Deos ſibi redderent placatos, quæ quiſquis omiſiſſet, inauſpicato manus cum hoſte conſeruiſſe cenſebatur. Hinc etiam poſt partam victoriam tot pro re bene geſta Diis, vrbis tutelaribus inſtitutæ IV. *Romani plus ſpei in pietate ponebant, quàm in armis.*

ſuppli-

ſupplicationes, appenſa in templis ſpolia gratiæ ſolemniter actæ, vt eorum ſe ope ac fauore victoriam adeptos eſſe profiterentur.

V. *Gentium deuictarũ Deos in vrbem transferebant Romani.*

Hinc ſimiliter manauit illa Romanorum conſuetudo, qua, vbi gentem aliquam armis ſubiugaſſent, ſuoque adiunxiſſent imperio, loci illius Deos Romam tranſferebant, ibique magnifica iis templa, ſedeſque maximè ſplendidas extruxerunt. Quo facto, & ſuas ſe augere, & hoſtium imminuere vires exiſtimabant, dum eos Deorum patrocinio denudarent.

VI. Atheniẽſes *cur ſingulariter coluerint Mineruã.*

Nec Romani tantum, ſed aliæ etiam nationes Victoriæ ſpem in pietate magis, quàm robore militum poſuerunt. Sic Athenienſes ſingulari veneratione & cultu Mineruam proſequebantur, tum armatam, tum oliuæ ramo coronatam, & armorum ſcilicet & literarum ac ſapientiæ Deam: vt nimirum artium Præſes, vbi diſciplinarum omnium inuentrici ſingularem opem ac patrocinium præberet: Oliuæ, inquam, ſerto redimitam venerabantur, vt pacis eos artes doceret, modumque ciuitatem ab inteſtinis turbis ac tumultibus immunem conſeruandi. Galeatam vero, haſtaque & Ægide inſtructam colebant, vt hoſtium vim repelleret, eoſque ab omni violentia externa tueretur.

VII. *Lacedæmonij ante prælium ſacrificabant Muſis.*

Lacedæmoniis autem in more erat, vt ante prælium ſemper ſacrificium offerrent Muſis: quòd nimirum, cùm carminis ac Muſicæ moderatrices eſſent, omniaque certis numeris, menſurâ & ordine perficerent, eorum mentes ita regerent, nihil vt inordinatum inter manus cum hoſte conſerendum admitterent, ſed pugnandi ardorem ratione & conſilio temperarent, ne, vt fit, præpropero feruore, dum rem fortius agere vellent quàm prudentius, impetu animi abrepti victoriam amitterent, ac præda hoſtibus facti, inconſultæ audaciæ graues pœnas darent. Muſas inſuper Lacedæmonij pingebant armatas, & Herculi in eadem tabella adiungebant, quò denotarent eam ſolam veram eſſe fortitudinem,

Muſas armatas pingebant Lacedæmonij.

Digitized by Google

nem, quæ ſapientiâ & pietate eſſet condita, remque bellicam, non marte magis quàm arte, manu quàm conſilio eſſe adminiſtrandam.

Sed mittamus profana, tot enim tamque præclara in hoc genere exemplà ſuppeditat Religio Chriſtiana, vt ſiquis prælia omnia per exercitia pietatis, fuſaſque ad Deum preces fœliciter confecta, victoriaſque cæleſti ope obtentas, in vnum congerere vellet, iuſtum volumen implerent. Pauca ergo tantummodo referam, memor breuitatis, quam mihi ab initio huius operis præfixi. VIII. *Exemplis ſacris oſtēditur ad deuincēdos hoſtes plurimum valere pietatem.*

Anno poſt partum Virginis centeſimo ſeptuageſimo ſexto Marcus Aurelius Imperator contra Marcomannos cum exercitu proceſſit: regionis tamen ignari Romani in loca quædam difficilia inciderunt, ibique ab ingenti hoſtium multitudine ita cincti tenebantur, vt nulla eſſet ſpes euadendi. Siti inſuper vrgebantur adeo vehementi, vt eâ extingui ipſos neceſſe foret, vel ſuo eam ſanguine, datis hoſtibus iugulis, extinguere. In omnem ergo ſe partem vertunt Gentiles (quibus maxima ex parte conſtabat Romanus exercitus) vt ex his ſeſe anguſtiis extricent. Deos inclamant, ſed cœlo auerſo, leue eſt inferorum præſidium: Oracula conſulunt, at Chriſto nato, Deique verbo in terris loquente, obmutuerunt dæmones, & *obſtructum eſt os loquentium iniqua*, Cum ergo fruſtra ſe & Deos clamando fatigaſſent, nec quidquam accepiſſent ſubſidij, deſperabundi frendent, ſuamque deflent ſortem, quod tam ignauâ & viris indigna morte iis eſſet pereundum: triumphantibus interim barbaris, & magnis vociferationibus Romano militi inſultantibus. IX. *Victoria precibus Chriſtianorum obtenta.*

Erant ibidem ſub ſignis Chriſtiani complures, qui tempus illud idoneum rati, quo Deus ſuam oſtenderet potentiam, ad eum ſummo mentis ardore conuertuntur. Flexis itaque genibus, oculiſque ac manibus ad cœlum ſublatis diuinam opem, toto intuente exercitu, X.

& rei euentum auidè expectante, feruentiſſimè implorant. Quid multa? obducitur illico cœlum, coguntur nubes, magiſque ac magis conſtipantur, & miſericordiâ & irâ plenæ. inde quippe eodem tempore, & aquâ & igni pluit, magnâ ſcilicet vi imbrium in Romanos effuſâ, qua reficiebantur, & ſitim reſtinguebant, innumeriſque in barbaros fulminibus emiſſis, quibus ad internecionem propemodum ſunt deleti. Imperator itaque tam ingente prodigio, quod ſuis ipſe oculis ſpectauerat permotus, edictum promulgauit, ne quis vllum Chriſtianæ religionis nomine in iudicium uocaret, quiſquis id faceret, viuum iubebat exuri. Legioni porro illi, quæ in re tam ardua ſaluti Romanis fuerat, ad perennem facti memoriam *Fulminatricis* nomen eſt inditum.

Legio fulminatrix.

XI. *In hoc ſigno vinces.*

Non parum etiam ad rem præſentem facit pietas Conſtantini, & nomine & rebus geſtis magni: hic enim crucis ſignum, & in eo Chriſtum venerando, nobiliſſimas aduerſus Maxentium, Licinium, & alios victorias eſt conſecutus: & tum diuini Numinis cultu, in quo maximè ſemper erat ſedulus, tum Sancti Antonij, vitæ ſanctitate, & miraculorum gloriâ toto Orbe celeberrimi, cui ſe enixè commendauerat, precibus, Imperium quod turbatiſſimum acceperat, reliquit maximè pacatum.

XII. *Theodoſii contra Eugenium expeditio, & victoria è cœlo conceſſa.*

Nihil vero in hoc genere illuſtrius illo, quod Theodoſio Imperatori contigit. Is contra Eugenium, qui Imperium Occidentis per ſummum ſcelus occupauerat, exercitum in Italiam ducturus, cum ſciret quanti ad bellum fœliciter conficiendum intereſſet ſummi Numinis ſibi conciliare clementiam, opemque è cœlo acquirere, totum ſe ieiuniis, orationibus, aliiſque pietatis officiis addixit. Mox irrita pugna quamuis primum prælium parum proſperè Theodoſio ſucceſſit, ſequente tamen die ſpe plenus, hoſtes iterum eſt aggreſſus, ſeque ſigno crucis muniens, primus in eos irruit, ac prodigioſa potitus eſt victoria, Eugenio capto, copiiſque

piiſque eius omnibus profligatis.

Denique, vt alia omittam, quid poſſit armis iuncta pietas oſtendit celeberrima illa Henrici Angliæ Regis, huius nominis Quinti, gemmæ Regum ſui temporis, ad Agincurtum victoria. Hic Galliæ parte occupatâ, Caletum verſus redibat cum exigua militum manu. Iter eius intercipiunt Franci, & ingenti conflato exercitu eum cingunt. Rex quo loco res eſſent animaduertens, vt Chriſtiani ſanguinis effuſioni parceret, quam, ſi ad manus ventum eſſet, certò ſecuturam videbat, amplas ineundi fœderis conditiones offert, quas tamen illi, hoc timidi animi indicium interpretantes, prælijque diſcrimen ſubire metuentis, reiiciunt: iubent poſitis armis, vltro in eorum poteſtatem concedat, hanc vnicam eſſe aiunt pugnam declinandi viam. At parum conſultò, non recordantes cum eo hoſte rem ſibi fore, qui & plurimis eos cladibus affecerat, & in tot conflictibus ſemper euaſerat ſuperior. XIII. *Celeberrima Henrici Quinti ad Agincourt victoria.*

Quid ergo in his anguſtiis deprehenſus faceret pius Princeps? dederet ſeſe? magnitudo animi obſtabat. Pugnaret? multitudine obmeretur. Clam ſe ſubduceret? at honeſtam mortem ignominioſæ fugæ anteferendam exiſtimabat, parumque generoſi animi arbitrabatur eos in tanto diſcrimine deſerere, ac veluti dilaniandos relinquere, quorum eximiam, & in hoſtes fortitudinem, & in ſe fidem toties fuerat expertus: imo eos potiùs, vel laterum ſuorum interpoſitione defendere ſtatuebat. Capit ergo in arena conſilium, ſed ſalubre, ſed ſanctum, ſed Chriſtiano Principe dignum. Edicit vt omnes noctem illam in precibus Deo fundendis, cæleſtemque opem implorando inſumant. Præit ipſe, ſummoque animi ardore diuinæ benignitati & clementiæ ſe & exercitum, prælijque mox futuri euentum commendat. Nec ſegniùs idem præſtant milites, tum ſuo periculo, tum Ducis exemplo moti: de ſe ſinguli, omnes de communi bono ſoliciti. XIV. *Prudens & pium Henrici conſilium.*

Hoſtes interim noctem in mutuis gratulationibus, quod Angliæ Regem veluti in cauea concluſum haberent, omnibuſque gaudijs ac lætitiæ demonſtrationibus, de victoria ſecuri tranſigunt, nihil magis quàm diem optantes, quo tamen neſcio an aliis luctuoſior iis vnquam illuxerit. Orto ſole, in campum prodit vterque exercitus, concurritur acriter, diuque anceps fuit certamen, qua inclinaret victoria incertum. Adeſt vbique ſuis Henricus, ſingula oculis ſuis luſtrat, in omnem, rem bene gerendi, occaſionem intentus: irruentes hoſtes ſuis etiam manibus repellit, audaciſſimum quemque obtruncat, omnes tum vigilantiſſimi Imperatoris, tum ſtrenui militis partes obit. Gallorum tandem nutare exercitus cœpit, mox pedem referre, ac demum terga dare, & proiectis armis, fugâ ſibi conſulere. Inſtat cum ſuis Henricus, ac toto eos campo propellit, decem eorum millibus occiſis, multo pluribus captis.

Acerrimus inter vtrumque exercitum conflictus.

XVI. *Deo pro obtenta victoria gratias agit Henricus.*

Vbi plenè ſe victoriâ potitum vidit pius Princeps, nihil habuit antiquius, quàm vt vnde eam acceperat, eo etiam refunderet. In genua itaque prouolutus ſummas diuinæ Maieſtati gratias agit, nullumque ſummi Numinis in ſe benignitatem extollendi finem facit. Clericos etiam, quos ad ſuum & exercitus ſpirituale ſubſidium ex Anglia ſecum duxerat, Pſalmum centeſimum decimum tertium canere iubet, illumque verſiculum, *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, ter continenter repetere, ac totum exercitum ad ſonum tubæ, dum verſus ille caneretur, ter ſe in terram proſternere, eoque facto teſtari, ſe non ſuis, ſed acceptis è cœlo viribus tam nobilem victoriam retuliſſe. Mox in Angliam regreſſus, ſub graui pœna interdixit, ne quis Regem victoriam reportaſſe, hoſteſque illo prælio deuiciſſe diceret, ſed quicquid in hoc erat laudis, vni Deo omnes tribuerent.

XVI. Hinc ergo conſtat quantum ad hoſtium vim propulſandam, manuſque fœliciter cum iis conſerendum conferat

ferat Diuini Numinis cultus, & quo pacto cæleſtibus auſpiciis ingentes etiam copiæ à paucis ſubinde ſuperentur, Tela nimirum pietate tincta acutiora, & ſagittæ quæ cœlo dirigente emittuntur, feriunt certius, & altius penetrant. Concludo itaque illo Triſmegiſti dicto: *Vnica cuſtodia pietas. Deus pium ab omni malo tuetur: vnum enim & ſolum bonum eſt pietas.* *Tela pietate tincta acutiora. Vnica cuſtodia pietas.*

CAPVT TERTIVM.

Leges ſanctè obſeruandæ.

BIas vnus ex ſeptem ſapientibus, cum inter Philoſophos orta quæſtio fuiſſet, quænam Reſpublica cenſenda eſſet fœliciſſima, variis, vt fit, varia reſpondentibus, illa, inquit, in qua leges exactiſſimè ſeruantur, diſciplinaque à maioribus tradita maximè floret. Et meritò, leges quippe ſunt nerui Reipublicæ, vtpote à quibus robur illa ſuum, & firmitatem accipit: ſunt frœnum, quod pronos ſemper ad vitia mortalium animos cohibet, & intra æqui bonique terminos coërcet: denique ſunt vincula, quibus homines aſtricti, fœlici quadam neceſſitate ad honeſtiſſima quæque compelluntur. Sine his vero conſiſtere Reſpublica non poteſt, ſed libertate & licentiâ graſſantibus, omnia peſſum ibunt, cunctique in turpiſſima quæque ſcelera ac flagitia præcipites ruent, nec quidquam intererit noſtram inter & pecudum vitam, ciuitaſque omnis, quantumuis bene ordinata & inſtituta, in ferarum ſaltum tranſibit. Ad quam rem appoſitè Orator Romanus: *Nil, inquit, tam aptum ad ius conditionemque naturæ, quam lex, ſine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec Gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* I. Plutarch. *in conuiuio ſeptem ſapientum. Leges nerui Reipublicæ. Libro tertio de legibus.*

Hinc prudentiſſimis viris, rerumque vſu & experientiâ clariſſimis, cum eas in quibus degebant Reſpublicas, II.

N 2 ſtabiles

ſtabiles maximè ac firmas reddere optarent, prima ſemper cura fuit, vt legum illis præſidium accederet, nullamque ad florentem eatum ſtatum diu conſeruandum aptiorem eſſe viam arbitrabantur. Hoc Ægyptiis præſtitit Hermes ille, qui ob tria maxima quæ in ſe habebat (maximus namque erat Philoſophus, maximus ſacerdos, & Rex maximus) dictus eſt Triſmegiſtus: hoc Athenienſibus ſolon: hoc Lycurgus Lacedæmoniis: hoc Numa Romanis: hoc alij aliis præſtiterunt.

Triſmegiſtus Legiſlator Ægyptiorum.

III. *Quid ad ſtabiliendam Lacedæmoniorũ Rempublicam fecerit Lycurgus.*

Illud verò ſingulare de Lycurgo in hoc genere refertur: cum eiuſmodi iam inſtructa legibus ei videretur Sparta, quæ ad rectum illius regimen fœlicitatemque ſufficerent, nihilque iis deeſſe præter perpetuitatem, aduocatâ concione, Delphos ſibi neceſſariò eundum dixit, Oraculi de præcipuis quibuſdam rebus ad Lacedæmoiornm Rempublicam ſpectantibus conſulendi gratiâ: orat, nihil circa leges iam inſtitutas, modumque adminiſtrandi ciuitatem, ante eius reditum mutent: cũ id omnes maximâ animi alacritate promitterent, à ſingulis ordinibus iuramentum hac de re exegit, quod ſimiliter cuncti ob ſummam viri auctoritatem promptiſſimè præſtiterunt, iubentque bonis auibus Delphos petat, ſecumque ciuium vota deferat. Peregrè itaque profectus ſtatuit Spartam nunquam ampliùs reuerti, vt Lacedæmonij leges illas perpetuò ſeruarent ac iuramẽto aſtricti, ab iis violandis aut immutandis religione deterrerentur. Amicorum itaque conſortio, & aliis, quibus domi frui potuiſſet, commodis, vltro ſe priuans, exul vitam finiuit, vt ſuâ miſeriâ Patriæ pareret fœlicitatem.

IV. *Cur legiſlatores olim vtebantur operâ Poëtarum.*

Hanc inſuper ob cauſam affirmat Plato ſolemne Legiſlatoribus fuiſſe, vt in promulgandis proponendiſque legibus, operâ Poëtarum vterentur, qui lepore quodam ingenij (vt indole ſunt ad omnem amœnitatem compoſiti Poëtæ) illas condirent, ac iucundiſſimis numeris, vocumque & ſyllabarum aptè & ſuauiter cadentium concinni-

concinnitate, earundem rigorem & aſperitatem lenirent, faciliuſque hoc pacto omnes ad eas amplectendas obſeruandaſque inducerent. Huc etiam alludebant antiqui, dum Orpheum ſaxa, feras, & ſylnas cantu ac citharæ ſono traxiſſe comminiſcebantur. Nihil nimirum volebant aliud, quàm eum oris, vt ita dicam, plectro, ſuauiſſimiſque verbis ac modulis, quibus honeſtæ vitæ præcepta continebantur, ſylueſcentes agreſtium animos temperaſſe, barbariſque ac belluinis moribus bruta quodammodo effectos, in homines denuo formaſſe, atque in eandem vitæ ſocietatem perduxiſſe. Vnde & nonnulli Græciæ populi leges in concentu quodam & moleſtia filiis à pueritia addiſcendas tradere ſolebant, vt cum muſicæ ſuauitate amor legum in terreos eorum animos illaberetur, vnaque cum ipſis adoleſceret, ac totâ deinceps vitâ hæreret eorum mentibus infixus. *Cur Orpheus ſaxa, & ſyluas traxiſſe dicatur.* *Conſuetudo quarũdam Græciæ ciuitatum.*

V. Et ſanè, ſi quanta ciuitati aut Reipublicæ à legibus proueniant commoda ſeriò perpendamus, nemini mirum videbitur ſapientiſſimos illos viros tanto ſtudio in id incubuiſſe, vt vtiles ac ſalutares ferrentur leges, & vbi latæ fuiſſent, ſummâ curâ ac diligentiâ ſtabilirentur. Ariſtoteles fructum maximum, qui ex legibus procedit conſiderans, eas *ſalutem Reipublicæ* appellat. Heraclitus leges mœnibus comparat, imo anteponit: *Ciuitas enim,* inquit, *ſine mœnibus conſiſtere poteſt,* (vt de ſparta vidimus, quæ muris cincta non erat) *ſine legibus vero nequaquam.* Plato denique legem normam vocat ſeu regulam, ad quam ſuas quiſque exigere actiones debet, vt ad ſcopum propoſitum, honeſtatem ſcilicet, quæ finis legis eſt, perueniat. *Lex,* inquit, *eſt gubernandi ratio, normaque vera, quæ per conuenientem viam ad optimum nos deducit.* *Salus Reipublicæ in legibus ſita eſt.*

VI. Refert Curopalates Imperatori, penes quem ſumma erat leges condendi & adminiſtrandi poteſtas, ſolitam olim fuiſſe lampadem præferri, tanquam legis ſymbolũ *Lampas legis ſymbolum.*

Lex nimirum & lux, vt voce, ita reipſa exiguam inter ſe habent differentiam: vt enim lux, corporis oculis affulget, hominemque dirigit ne impingat, aut præceps in foueam incidat, ita Lex internos mentis oculos illuſtrat, virtutiſque viam caligine quadam obductam & occultatam aperit, vt hoc pacto, lege ductrice ac directrice, vitam quis in omni honeſtate, morumque integritate traducat. Hac de cauſa Leges omnes veræ ac iuſtæ (iniuſtæ enim legis nomine ſunt indignæ) à *Lege æterna* velut ſcintillæ quædam infinitæ illius ſapientiæ deriuatæ dicuntur, & quaſi radij à Diuino ſole ad Orbis illuſtrationem immiſſi. Quare non abs re eſt Ciceronis illa legis deſcriptio: *Lex*, inquit, *eſt Dei vniuerſa exornantiũ ſpirans imago.*

Lex & lux, & voce & re affines.

Lex eſt ſpirãs Dei imago.

VII. Florentibus ergo, & in ſuo perſiſtentibus vigore legibus, florebunt Reſpublicæ, legibus vero ſublatis aut neglectis, veluti ſuccſiſis neruis, corruant neceſſe eſt, nihilque Reipublicæ præter nomen retineant. Hinc Athenienſes reprehendere frequenter ſolebat Ariſtoteles, quod cum frumentum & leges primi inueniſſent (per Triptolemum videlicet ciuem ſuum, qui & ferendarum frugum, & legum ferendarum auctor habebatur, agrorumque ſimul & animorum culturam primus dicebatur tradidiſſe) reprehendebat eos, inquam, quod frumenti, & eorum quæ ad corpus pertinebant, ſummam curam gererent, leges vero, reſque ad animum ſpectantes plane haberent neglectui. Quod tandem ruinæ ipſis cauſa fuit, eorumque penitus Rempublicam euertit.

Ob duo reprehendere Athenienſes ſolebat Ariſtotel.

VIII. Tantundem accidit Lacedæmoniis, qui, dum apud eos leges vigerent, hoſtibus erant terrori, dum iacerent, contemptui: & Nomen illud *Lacon*, ad quod tota Græcia tremebat, & quot literas tot in ſe fulmina continere uidebatur, hoc inquam tantum Nomen, poſtea nullius nominis erat, & ad terriculamentum ſolummodo puerorum vſurpatum, eique veluti videndo dicebant omnes,

Lacedæmonij *quo pacto ex fortibus redditi imbelles.*

omnes, *Vox eſt, præterea nihil.*

Hoc ipſum Romanorum etiam Rempublicam perdidit. Leges illi tabulis inſcriptas, in templis, in curia, in foro publicè appendebant, interim in ſumma libertate ac licentia viuebant, & ſub ipſis quaſi legum oculis exleges, rectique & honeſti ratione poſthabitâ, in omni ſe turpitudinum cœno volutabant. Quos proinde de hoc nomine carpens comicus Poëta, ac veluti legum vicem miſerans, de iis hoc modo appēſis ac neglectis hic loquitur: IX. *Romani in ipſo quaſi legū conſpectu exleges.*

En miſera etiam ad parietes ſunt fixa clauis ferreis.
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Ex his tandem deduco, quanti vnicuiuſque ad vitam, vt par eſt, dignamque hominę inſtituendam, interſit vt eo quo degit loco vigeat legum obſeruatio. Lege enim & luce extinctâ, ægrè quis virtutis viam inueniet, & inter vitia honeſtatem: ægrè, inquam, Republicâ mortuâ, priuatus quiſquam viuet. Vnde appoſitè ad rem præſentem Plato Legem *Liberi hominis animam* appellat, quod ſcilicet ad honeſtum, rationique conſonum, in quo vera hominis vita conſiſtit, dirigat ſemper, & impellat: & ſicut recedente animâ perit homo, & corpus putreſcit, ita reiectâ & contemptâ lege perit anima, iacetque exanimis, imo cadauer potiùs animæ quàm anima, & vitiorum vermibus exeſa, tota ſanie ac putredine difluit, fœtoremque e x ſe intolerabilem exhalat. X. *Lex liberi hominis anima.*

CAPVT QVARTVM.

Iuuentuti optimi Præceptores præficiendi.

I. *Quanti ignauum filij ſui inſtitutorem fecerit Philippus Macedoniæ Rex.*

PHilippus Rex Macedonum identidem dixiſſe fertur, non tam gaudere ſe natum ſibi filium Alexandrum, quam Ariſtotelis tempore natum, vt ab eo ad vitæ integritatem, virtuteſque Principe dignas inſtitueretur, & quem ipſe mortalem genuerat, Ariſtoteles diuinis Philoſophiæ præceptionibus redderet immortalem. Intellexit nimirum quanti interſit, quis in tenero adhuc & cereo pueri animo primos formet & imprimat characteres, quæ manus in tabulâ illâ raſâ prima ducat lineamenta, quis inquam mollem hanc, & cuicunque figuræ recipiendæ idoneam argillam tractet Prometheus, &, vt verbo dicam, ſub quo moderatore, primæ ætatis, vbi quam quis tincturam imbibit reliquâ fere vitâ retinet, ponantur fundamenta.

II. *Quales eſſe debeant iuuentutis inſtitutores.*

Nihil ergo magis è re ciuitatis cuiuſquam aut Reipublicæ, quàm vt viri tum literis & doctrinâ, tum maximè vitæ morumque innocentia præſtantes eligantur, qui iuuentutis inſtitutione aduigilent; ac teneras illas plantas opportunis monitis ac præceptis, ſacriſque adhortationibus velut quibuſdam è cœlo deductis imbribus rigent, & puerorum mentes optimis honeſtiſſimiſque diſciplinis & virtute imbuant vnaque cum literis inſtillent pietatem: qui inquam lubricam hanc ætatem firment, ac vitiis, quæ facilius excluduntur quàm extirpantur, & vt dici ſolet, æquilino accedunt gradu, teſtudineo recedunt, maturè aditum præcludant: qui denique verbis, qui potiore verbis exemplo curæ ſuæ creditos ad honeſtiſſima quæque impellant, eaque illorum animis inſerant, vnde vberrimus aliquando Reipublicæ fructus proueniat.

Facilius præueniuntur vitia, quàm extirpantur.

Con-

Conſtantinopoli quondam res ita contigit. Vrbis illius Magiſtratus cum ciuitati optimè proſpectum vellent, nihilque ad hoc magis conducere arbitrarentur, quàm vt iuuentus probè inſtitueretur, laudatiſſimiſque imbueretur moribus, virum vndique conquirunt, cui id muneris committant. Cum in omnem ſe partem vertiſſent, oculos tandem in quendam coniiciunt, qui vultu, verbis, totoque agendi modo ſummam vitæ integritatem præ ſe ferre videbatur. Hunc ergo gymnaſio præficiunt, eique liberos tradunt erudiendos, vt eos ad virtutem inſtitueret, quamque ipſe ſpirare videbatur, illis inſpiraret pietatem Sed *frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur*: hic quos ad honeſtatem formandos fingendoſque acceperat, perditiſſimis ſenſim moribus infecit, quodque concluſum animo gerebat virus euomens, teneras eorum mentes nocentiſſimâ aſpiratione corripuit, atque exiguo temporis ſpatio creditum ſibi gregem mirum in modum deprauauit. *Egregium vero cuſtodem ouium, videlicet lupum.* Rem ſubodorati Conſtantinopolitani, hominem, vel potius monſtrum hominis è veſtigio loco ſubmouent, & tanquam peſtem Reipublicæ, vtpote qui ſpem ciuitatis in flore vitiauerat, vrbe ignominioſiſſimè expellunt. III. *Quid circa iuuentutis inſtitutionem contigerit Conſtatinopoli.*

Hanc etiam ob cauſam Plato Poëtas laſciua ſcribentes, velut certiſſimum iuuentutis venenum è Republica eiiciendos exturbandoſque cenſuit. Vt enim poëticis numeris, ſi ex caſto Muſarum choro, puriſque Parnaſſi fontibus promanent, nihil pulchrius, nihil mortalium animis ad omnem honeſtatem, virtutiſque amorem excitandos accommodatius: ita ſi lutulenti fluant, rerumque obſcœnarum ſordibus permixti, nihil illis perniciosius, tum omnibus, tum iis maximè qui in teneriore etiamnum ætate verſantur, vtpote in quorum mentes & pectora faciles illabuntur, eâque fæce inficiunt, quæ vix vllo vnquam tempore elui & abſtergi poſſit. IV. Plato. *Nihil caſta Poëſi pulchrius, nihil tetrius impudica.*

V.
Aurium munimenta pueris potiùs, quàm athletis apponenda.

Vnde appoſitiſſimè ad rem præſentem dicere ſolebat Xenocrates, aurium munimenta pueris potius quàm athletis eſſe apponenda, ne ſicut horum aures verberibus, ita illorum mentes parum pudicis ſermonibus corrumperentur. Imo omnis generis arma ijs à perito harum rerum artifice, prudente inquam moderatore, à prima ſtatim ætate comparanda, vt hoc modo inſtructi & cataphracti; non in præſenti tantum, ſed totâ etiam inſequente vita irruentium vitiorum impetum frangant atque in leuioribus iam velitationibus, & quaſi in vmbra, vincere aſſueti, ſeipſis in dies fortiores euadant, ac tandem in ſolem & puluerem educti, virtutis ſuæ ſpecimen præbeant, teſtatumque omnibus relinquant, quàm firma honeſtæ integræque vitæ in teneris annis poſuerint fundamenta.

VI.
Ex radice vitiatâ nihil ſinceri expectari poteſt.

Nouerant nimium ſapientes hi viri, & in iuuentutis inſtitutione verſatiſſimi, quàm neceſſarium eſſet, vt mobilis hæc ætas, & in omnem partem flexu facilis, rectè inſtitueretur, & ex radice vitiata nihil ſinceri aut ſani expectari poſſe. Altiùs ſcilicet penetrant, quæ nunc infiguntur, & quod in primis annis diſcitur, ægrè vnquam dediſcitur, quæque in puerorum animis ſparguntur vitiorum ſemina firmas adeo radices agunt, vt non niſi conatu ſummo, pluriumque annorum labore euelli atque extirpari poſſint. Rectè proinde Quintilianus: *Naturâ*, inquit, *tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus, vt ſapor, quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt.*

VII.
Non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores. S. Aug. ep. 52.

Econtrario verò, ſi radix incorrupta & integra perſiſtat, ſi prima ætas rectè formetur, ac teneræ adhuc mentes ſedulò excolantur, piique ac prudentis moderatoris ductu à voluptatum lenociniis abſtractæ & cuſtoditæ ad virtutem dextrè & ſuauiter alliciantur, ſubductis peccandi illecebris, affectuque ad alia tranſlato, ſumma in iis relucebit vitæ integritas ac morum innocentia: nam

vt ait S. Auguſtinus, *Non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.* Et hoc modo, quem nunc retinent animi candorem, in inſequentes annos fœliciter tranſmittunt, virtutiſque exercitium, quod aliis laborioſum eſt & arduum, vſu ipſis facillimum redditur, & quaſi à natura inſitum. Tanti intereſt quibus quis à puero aſſueſcat. Vnde & *Conſuetudo altera natura* dici ſolet, quippe quæ omnia ſuperat, & quicquid occurrit pronum reddit & facile. *Conſuetudo altera natura.*

VIII. *Vis conſuetudinis.* Clytien ferunt radiis & ſplendore ſolis captam, eius ſine intermiſſione intuendi deſiderio in altiſſimi ſe montis vertice collocaſſe, ibique obuerſâ ſoli facie, fixiſque ſemper in eum oculis ſedentem, in gyrum ſe quotidie ad ſolis motum vertiſſe, cumque id per dies aliquot conſtanter feciſſet, verſam tandem fuiſſe in Heliotropium, florem ſcilicet, qui ſoli ſemper obuertitur, & eum quaſi intuetur, eiuſque curſum ſequens, ſolis motum ſui habet motus menſuram. Figmentum eſt, fateor, ſub cuius tamen inuolucris, ſicut ſub pleriſque Poëtarum fabulis, veritas latet ſcitu digniſſima. Ingenioſo ergo hoc commento miram conſuetudinis vim declarare volebant, nihilque tam durum eſſe aut difficile, quin vſu & exercitatione emolliatur, reddaturque facillimum, ac tandem tranſeat veluti in naturam.

IX. Incipit exempli gratia puer quiſpiam exercere virtutem: res ei aſpera videtur, ætatique luſui magis quàm ſeriis addictæ parum ſapida. Accedunt monita Præceptoris, qui honeſtatem dignitatemque virtutis ei ante oculos ponit: docet ex amara radice dulciſſimos aliquando fructus prouenturos, & ex breui labore diuturnam, imo perpetuam voluptatem. Eos in memoriam illis reuocat, qui in hac etiam ætate laudatiſſimis fuerunt moribus, ſingulareque pietatis ſpecimen præbuerunt: quorum exemplo velut ſtimulis quibuſdam ad ſimilem ipſos virtutis exercitationem impellit: ſicque nouis in dies incrementis augetur honeſtatis ſtudium, firmioreſ- *Monita Præceptorũ quid in puerorum animis præſtent.*

que

que in teneris illorum animis radices agit Dei, cæleſtis ſolis, amor feliciſſimaque planè Metamorphoſi in Heliotropia tranſmutantur.

CAPVT QVINTVM.

Vlteriùs oſtenditur quantum boni Reipublicæ afferant, virtute & literis præſtantes iuuentutis inſtitutores.

I. *Iuuentutis inſtitutores Phidiæ comparantur, & anteponuntur.*

HInc ergo conſtat quantum Reipublicæ bonum cenſendi ſint probi & periti iuuentutis inſtitutores, qui ſcilicet adoleſcentum animos ſumma curâ & induſtriâ tractent, atque ad optimos honeſtiſſimoſque mores affingant. Athenienſes Phidiam, quod traditam ſibi à Republica materiam, ſeu ebur, in mineruæ ſtatuam artificioſè formaſſet, optimè de ciuitate meritum arbitrabantur, eumque apud ſe quàm diutiſſimè retinere votis omnibus expetebant, maximo vt aiebant & ornamento ipſis & vſui futurum. Si hoc Athenienſium fuerit de Phidia iudicium, quid de inſtitutoribus iuuentutis, animarum inquam artificibus, exiſtimandum? materiam hi quoque à Republica informem illam & impolitam, pueros ſcilicet omni ſaxo rudiores, ac veluti truncos accipiunt, quos mirâ arte, ſummâque ſedulitate induſtriâ fingunt paulatim ac formant, & non in ſtatuas tantum mineruæ, ſed in mineruas fabricant, ingenuis ſcilicet præſtantiſſimiſque diſciplinis imbuunt, ac tales demum efficiunt, qui altiſſima quæque in Republica munera cum laude gerant, & veluti lucidiſſima ſidera omnibus præluceant, fulgentiſſimoſque doctrinæ ac virtutis radios longè lateque, magno orbis bono diffundant.

II. Luce ergo clarius eſt, in maximis Reipublicæ bonis numerandum, gnaros nactam eſſe iuuentutis moderatores.

tores. Quod ſi antiquitatis hac de re inquiramus ſuffragium, & priora longeque poſita tempora inſpiciamus, vno omnes ore teſtantur, nihil magis vtile, imo neceſſarium eſſe; quam vt prudentiâ ac probitate inſignes viri adoleſcentibus præficiantur, qui primos in iis naturæ impetus frangant, & certos intra limites coërcendo, à principio frenum pati doceant opportuniſque honeſtæ integræque vitæ præceptis illorum mentes temperando, ac motus rationi diſſonos cohibendo, auream quandam mediocritatem in eôs inducat, relinquâ deinceps vitâ permanſuram. Si vero, vt pronis ad voluptatem animis feruntur, lenociniis quibuſdam deliniti, eam ſequi ducem cœperint, ægrè eorum ſiſti curſus poterit, & vix vnquam frenum denuo admittent, quod in iuuentute excuſſerint. Hoc ſapientiſſimè aduertit Plato, quantumque emolumenti adferat recta primæ ætatis inſtitutio optimè his verbis expreſſit: *Homo*, inquit, *ſi cum natura fœlici rectam quoque diſciplinam fuerit aſſecutus, in diuiniſſimum manſuetiſſimumque animal ſolet euadere: ſi vero non ſatis, aut non bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium, quæ in terris naſcuntur, animal redditur:* hæc ille. Deinde libro ſequente de educatione iuuentutis ex propoſito agens, ſic habet: *Primâ luce pueri in ludum literarium proficiſcantur. Puer namque omnibus beſtiys intractabilior eſt. Idcircò multis quaſi frenis eſt conſtringendus, iiſque tradendus præceptoribus, qui eius laſciuiam regant, atque domēt, & iis diſciplinis imbuãt, quæ liberum hominē decent.* Vnde Plutarchus: *ſicut*, inquit, *membra corporis ſtatim ab ipſis natalibus infantis ſunt fingenda, vt recta adoleſcant, neque diſtorqueantur, ita & iam inde ab initio indoles eius informanda.*

Antiquitatis vox eſt maximè neceſſarios Reip. eſſe doctos & pios Præceptores.

Plato *lib. ſexto de legib.*

Plato *libro ſeptimo de legibus.*

III. Hinc videmus, quo quis dignitate magis aut ſapientiâ eminebat, eò in maiore ſemper veneratione & pretio habuiſſe illos, qui in hac regendæ iuuentutis arte præſtabant, ſeque magno illius ætatis bono, huic muneri ſedulò addicebant. Hoc Philoſophi, hoc Reges, hoc Reſpu-

Exemplis oſtenditur quanta ſemper in

æſtimatione fuerint iuuentutis inſtitutores. Reſpublicæ tum verbis, tum factis perſpicuè demonſtrarunt, ac theſaurum longè pretioſiſſimum ſe reperiſſe ſunt arbitrati, quoties in huiuſmodi hominem incidiſſent, qui in tractandis adoleſcentum animis doctrinâ que ſimul cum integritate morum ijs inſtillandâ excellebat.

IV. Crates Zeno. Et quoad Philoſophos, vt Cratis ac Zenonis, quorum ſupra ex alia occaſione mentionem feci, exempla omittam; memoratu digniſſimum eſt, quod in hoc genere Diogeni cum Antiſthene contigit. Diogenes admodum adhuc adoleſcens Antiſthenem moralis & honeſtę vitæ præcepta tradentem, ſuoſque auditores ad virtutem adhortantem audiuerat. *Quanti Magiſtrū ſuum* Antiſthenē *fecerit* Diogenes Tam præclaris itaque monitis & doctrinâ captus, ſe illi diſcipulum adiunxit, diſciplinâ que eius penitus erudiendum tradidit, ſeque ad illius nutum & arbitrium in omnibus futurum pollicetur. Antiſthenes, qui nullius in particulari curam ſuſcipere volebat, eum repulit, iuſſitque abſcedere. Perſiſtit nihilominus Diogenes, nec inducere in animum poteſt, vt eum deſerat, repertumque tam dulcium ac ſalutarium aquarum fontem relinquat. Vbi ergo ſæpius abire iuſſum, acribuſque inſuper ad hoc dictis increpitum, etiamnum perſiſtenem vidit Antiſthenes, intenrato tandem in eum, quo incedebat, baculo, hunc ni diſcedat ſe in ipſum impacturum minatur, & quem verbis non poterat, verberibus abacturum. Tum Diogenes, leniter inflexâ ceruice, *Cade*, inquit, ***nullum baculum tam durum inuenies, qui me à te arceat, quamdiu aliquid ad morum inſtitutionem, virtutiſque exercitationem dixeris.*** Quo reſponſo obfirmatum ſenis animum flexit, eiuſque diſciplinâ ac præceptionibus is demum euaſit, vt omnibus admirationi exiſteret, atque in fœlicitate Alexando, vel ipſo Alexandro iudice par haberetur, &, vt aliis videbatur, ſuperior.

Laertius *in vita* Diogenis.

V. Hinc etiam iis, qui, cùm ſcientiæ laude, vitæque commendatione florerent ipſi, alios doctrina ac literis im-

imbuere, & ad ſimilem morum honeſtatem inſtituere nitebantur, tantus vbique Gentium habitus honos, tantoque ſemper ſtudio à ſummis etiam viris, in omni Orbis parte requirebantur. Sic Crœſus ſolonem in Lydiam, Antigonus Zenonem in Macedoniam vocauit, vt eius præceptis tum Rex ipſe, tum totum, vt aiebat, regnum ad virtutem inſtitueretur. Danus Heraclitum, honorificentiſſimis ad eum miſſis literis in Perſidem inuitauit Dionyſius Platonem in Siciliam vittatâ, & ad omnem ſplendorem ac pompam inſtructâ naui acceſſiuit, venientemque albis litore quadrigis excepit, omnique honoris teſtificatione ad regiam deduxit. ***Honor, vita ac morum moderatoribus à Regibus habitus.***

VI. Nihil vero in hoc genere illuſtrius aut honorificentius eo, quod ob vtiliſſimè nauatam Reipublicæ in inſtituenda iuuentute operam Zenoni præſtiterunt Athenienſes. Primò itaque hoc nobiliſſimum de eo ediderunt decretum.

DECRETVM ATHENIENSIVM

De Zenone, ob ſingularem illius in inſtituenda iuuentute curam & induſtriam.

QVONIAM ZENO *Mnaſei filius, litticus, complures annos in ciuitate Philoſophicè verſatus eſt, atque in omnibus vir bonus eſſe perſiſtit, ac iuuenes qui ad illum diſciplinæ cauſa conuenerunt, ad virtutem & frugalitatem exhortando, ad ea quæ ſunt optima intendit, vitam ſuam verbis ac doctrinæ ſuæ conſentaneam exemplar omnibus proponens, bona fortunâ viſum eſt plebi laudare Zenonem Mnaſei filium, litticum, & aureâ coronâ vite ac legitimè ornare* &c. ***Zenonis mortui elogium ab Athenienſibus conſcriptum.***

Deinde ſepulchrum ei magnificentiſſimum in *Ceramico*, celeberrimo ac frequentiſſimo vrbis loco, conſtruxerunt, in omnium ſemper oculos incurreret, viueretque

Splendidiſſimum ſepulchrum ab Athenienſibus Zenoni gratitudinis ergo exædificatum.

Columnæ duæ Athenis Zenoni erectæ.

ratque apud ipſos Zenonis mortui memoria, à quo viuo tot in eorum Rempublicam profecta fuerant beneficia. Deinde viros quinque delegerunt, quibus ſepulchri quàm ſplendidiſſimè exornandi curam demandarunt, quique coronam illam auream, ſummo artificio elaboratam, eidem veluti laborum per tot annos ciuitati à Zenone impenſorum coronidem imponerent.

Duas inſuper columnas, alteram in Academia, in Lyceo alteram, Zenonis laudibus inſcriptas ei ſtatuerunt, vt omnibus teſtatum relinquerent, quanti eum virum, tam eximiè de illorum vrbe, in adoleſcentum animis virtute & literis excolendis, meritum facerent, quamque grata apud ipſos ſemper hoc nomine futura eſſet illius recordatio: atque vt hoc ſuo exemplo alios ad tantundem iis præſtandum incitarent, qui huic tam laborioſo tamque vtili Reipublicæ muneri ſeriò ſeſe addixiſſent.

VII. Ex his ergo conficitur quanti momenti ſit doctrinâ ac pietate inſignes conſtitui iuuentutis moderatores, quibus cordi ſit primæ ætatis inſtitutio, ac tenerarum adhuc mentium cultus, quique eas iam inde ab initio ad omnem honeſtatem fingant, ac ſanis & opportunis monitis aures maturè blandis Sirenum cantibus occludant: qui denique iis virtutum omnium præceptis puerorum animos imbuant, quæ ex hac ætate velut è radice influxum in omnem ſubſequentem vitam deriuent: nam vt rectè Plutarchus, *Fons & radix virtutis, atque honeſtatis vitæ, eſt inſtitutio proba.* Vnde optimè ad rem hanc Ariſtoteles: *Non parum,* inquit, *refert, hoc an illo modo ſtatim quis ab adoleſcentia conſueſcat, ſed intereſt quamplurimum, imò totum in eo penitus conſiſtit.* Concludo itaque Platonis verbis: *Maximè conſentaneum eſt, præcipuam de iuuenibus curam ſuſcipere, vt quàm optimi euadant: quemadmodum decet agricolam nouellarum plantarum primam curam gerere:*

Fons & radix virtutis eſt inſtitutio proba. Ariſtot. Plato.

CAP.

CAPVT SEXTVM.

Breuis admonitio ad parentes.

HÆc vero prima eſſe debet cura parentibus, diligentiam vt omnem adhibeant, ne qua ratione liberorum in pietate progreſſus ipſi impediant, quoſque in teneris eorum mentibus Præceptor accendit virtutis igniculos, domi extinguant. Pronum namque eſt huic ætati, vt facilè omnes in Parentum mores tranſeant, & à quibus acceperunt vitam, vitæ quoque formam accipiant. Tanto nimirum eos in honore & æſtimatione habent, vt illorum dicta ipſis oraculorum inſtar ſint, geſta vero in omnibus ſibi tanquam viuendi normam ſtatuant. Vnde nec tantam eſſe virtutis præſtantiam exiſtimabunt, quam tam parui à Parentibus fieri animaduertunt, nec tetram adeo vitiorum faciem, eoſque reipſa colores ac lineamenta habere, quibus à Præceptori depinguntur, dum Parentes tanto ad ea ſtudio ferri, ac veluti in pretio habere perſpiciunt: imo ipſa potiùs vitia honeſta quiſque iudicabit, quam Parentem inhoneſtum. I.

Pueri facile in Parentum mores tranſeunt.

Fruſtra ergo Præceptor in Schola adoleſcentem ad ſobrietatem hortatur, ſi domum reuerſus Parentem videat totos dies & noctes in compotationibus inſumentem: Fruſtra à rixis ac iurgiis cohibet, ſi Parentes paſſim inter ſe rixantes, & contumelioſis etiam verbis ſeſe inuicem proſcindentes conſpiciat: Fruſtra à iuramentis dehortatur, ſi Parentem ad verba propè ſingula iurantem audiat: Fruſtra à turpium lectione librorum deterret, ſi Parentem turpitudinum veluti compendium quoddam cernat, & in eo, etiam nolens fœdiſſima quæque perlegat: Fruſtra ab inhoneſtarum imaginum inſpectione coërcet, ſi Parentem impudicitiæ II.

Vitia Parentum liberos perdunt.

Vis mali exempli.

omnis viuam imaginem domi ſemper intueatur: Fruſtra denique ad pietatem ac virtutem incitat, ſi Parens contraria omnia agendo, ad vitia prauis ſuis motibus inſtiget.

III. Quoties contingit, vt ſermonem de Deo, de cœlo, de virtute & honeſtate morum inſtituente in ſcholis Præceptore, illa bentibuſque ſenſim vti ſit, in tenellas illas animas eius monitis, quoties inquam contingit, vt puer quiſpiam, floris inſtar, ſeſe primo mane ad ſolares radios expandentis, omnes animi ſinus aperiat, cœleſtemque illum calorem & influxum pronâ mente accipiat, indeque miram trahens fragrantiam, vultu, verbis, totoque agendi modo pietatem ſpiret. Hic nihilominus è ſchola regreſſus, prauo domeſticorum exemplo aliam paulatim tincturam imbibit, ſibique decolor (candore ſcilicet innocentiæ omni gemmâ pretioſiore labefactato) in venenatum, grauiſſimique odoris florem tranſmutatur, quodque domi hauſit virus alijs ſecretâ quadam contagione afflat, non exiguo æqualium ſuorum detrimento.

Mira Metamorphoſis.

IV. Hæc animo reuoluant, ſerioque ſecum perpendant ii, qui liberos rectè inſtitutos cupiunt eoque, fine viris doctrina iuxta & pietate præſtantibus erudiendos tradunt, atque ad ſcholam tanquam ad literarum & virtutis palæſtram tranſmittunt. Caueant, inquam, ne quam eos Præceptor in gymnaſio honeſtatis, vitæque integritatis lectionem docet, ipſi domi dedoceant, pulcherrimamque illam virtutum, vt ita dicam, telam, tanto labore & induſtria à moderatore contextam, parum probis moribus retexant. Inchoatum potiùs à magiſtro opus promoueant, ſparſaque in eorum mentibus pietatis ſemina, tũ verbis, tum præcipuè exemplo foueant: atque in illud toto ſtudio incumbant, vt nec ipſimet præſtent, nec à quoquã ſibi ſubdito præſtari rem vllam patiantur quæ teneris adhuc ipſorum animis, omniq; impreſſioni idoneis, eſſe poſſit offendiculo. Nullius ſanè

Ad quid præcipuè attendere debeant parentes.

rei

rei ſtrictiorem ſeuerus ille iudex ab iis rationem, quàm educationis liberorum exiget. Quid ergo excuſationis loco obtendent, ſi iis, non permittentibus tantùm, ſed etiam impellentibus, prauo ſcilicet ſuo exemplo ad parum honeſta inſtigantibus, pereant: & qui vitam corpori dederunt, animæ demant, patricidæ potiùs quam parentes.

CAPVT SEPTIMVM.

Adhortatio ad iuuenes, de modo quo erga ſuos Præceptores ſe habere debeant.

AT vos modo, Adoleſcentes, quæ veſtræ ſint partes accipitote, & quo in Præceptores veſtros, vitæque moderatores eſſe vos animo deceat perpendite. Si *Adoleſcentis eſt maiores natu reuereri*, quo apud vos loco eſſe debent ij, qui Parentum vices gerunt, nec minore, auſim dicere, quàm Parentes ipſi vos affectu proſequuntur, ſummaque ſedulitate, curâ ac ſtudio veſtræ tum in literis tum virtute progreſſioni ac profectui aduigilant, nulli parcentes labori vt vos honeſtiſſimis quibuſque, homineque digniſſimis artibus inſtruant & informent, & vt verbo dicam, vobis iuuandis, erudiendis, ornandis ſe totos quàm impenſiſſimè addicunt. I. *Adoleſcentis eſt maiores natu reuereri.*

Ingenuæ ergo mentis eſt, primaque laus iuuentutis, gratum in tot de ſe nominibus meritos animum gerere, omnique honoris & officij teſtificatione obſeruare & proſequi. Eorum proinde de vobis curam & ſolicitudinem veneratione, laborem obſequio, amorem amore compenſate, ſingularique illi in vos affectui affectum parem reponite. *Nimis durus eſt animus*, inquit ex alia occaſione Diuus Auguſtinus, *qui ſi amorem nolebat impendere, nolit rependere.* II. *Amor amore cõpenſandus.*

Recordamini Pſeuſippi, Platonis diſcipuli, eiuſque in III.

Pſeuſippus Philoſophus Gratiarum ſigna in Academia collocauerit.

in Academiâ regendâ ſucceſſoris. Hic Gratiarum ſigna artificioſiſſimè delineata in Academiæ ſcholâ, veluti grati quem erga Platonem Magiſtrum ſuum gerebat animi, à quo ſcilicet illo loco ſaluberrimis monitis, honeſtæque vitæ præceptionibus imbutus fuerat, teſſeram collocauit. Hunc inquam imitamini, & Gratiarum ſimiliter ſigna, non in tabellis externis, ſed intimis veſtris mentibus, quas illi tanquam tabulas raſas accipiẽtes, nobiliſſimis artibus & ſcientiis illuſtrarunt, longeque pulcherrimos in iis characteres, integræque vitæ lineamenta, virtutis penicillo duxerunt, efformate. Vbi illi virtutes, vos Gratias depingite, & tabellæ huic vltimam manum apponite, gratam ſcilicet eorum recordationem animis veſtris inſcribendo, quibus ita cordi eſt veſtrum decus, & in bonis artibus inſtitutio, nihilque in votis habent magis, quàm vt vos in literis ac pietate omnibus reddant muneris abſolutos.

Characteres, & lineamenta, virtutis penicillo ducta, pulcherrima.

IV. Audiui in ciuitate hac Leodienſi viros primarios, & tum nobilitate generis, tum eximiâ, qua fulgebant, dignitate conſpicuos; perquam honori ſibi ducere non ſemel mentionem ſummo cum affectu gratique animi teſtificatione de iis facientes, ſub quorum curâ ac diſciplinâ & primam ætatem egerant, vitæque poſuerant tyrocinium, & per omnes Muſarum gradus ad ſublimiores etiam fuerant ſcientias deducti. Hos inquam audiui publicè profitentes, ſe, ſi quid haberent boni (habebant autem plurimum) id omne ſuis Præceptoribus, qui eos ſummâ ſedulitate & induſtriâ a primis annis ad maturam vſque ætatem perduxerant debere. Nullumque faciebant finem, eorum in ſe ſtudium, vigilantiam & curam extollendi, quantumque obſtricti illis eſſent prædicandi. Erant, inquam, hi genere & ſanguine clari, ſed gratitudine, quæ quidam animæ ſanguis eſt, & generoſæ indolis indicium, multo clariores.

Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel. Seneca l. 3. de Ben. c. 17.

Gratitudo generoſæ indolis indicium.

V. Hos igitur vobis ante oculos ponite, eorumque exemplo gratum ſemper aduerſus moderatores veſtros animum

nimum gerite. Hoc ætas veſtra, hoc indoles, hoc ipſa virtus, & ingenuæ, quibus imbuti eſtis, artes ac diſciplinæ poſtulant. quæ parum ingenuas ſe, aut liberales exiſtimabunt, ſi à Gratiarum conſortio diſiungantur: & virtus quantum à gratitudine deficit, tantum deficit à ſeipsâ. *Virtus quantum à gratitudine deficit, tantū deficit à ſeipſa.*

Quod ſi oculos in antiquitatem coniiciatis. vno cūcti ore teſtantur, iuuenem in moderatores ſuos nihil magis quàm gratum animum decere, nihil magis dedecere quàm ingratum. Hinc tātopere laudata, omniumque calculis approbata vox illa Philoſophi: *Deo, Parentibus, & Magiſtris par rependi gratia non poteſt.* Si quis vero quemquam ex inſtitutoribus ſuis vlla in re, verbo vel facto læſiſſet, monſtri inſtar habebatur, eumque execrabantur omnes, & ex hominum conſortio eiiciendū cenſebant, imo hominis, cuius ipſe antea naturam exuerat, nomine exuendum. VI. *Deo, Parentibus, magiſtris par rependi gratia non poteſt. Ariſt.*

VII.

Vnum ſolummodo in hoc genere exemplum producam, quod velut immane facinus antiquorum omnium monumentis conſignatum video, & tanquam rem longè indigniſſimam ad poſteros tranſmiſſum. Ariſtoteli in Alexandri magni inſtitutione ſucceſſerat Calliſthenes, vir prudentiæ laude, cultioriſque omnis literaturæ ac bonarum artium, quas apprime callebat, commendatione celebratiſſimus, ſed qui artem adulandi Principibus (quo hodie morbo non paucos in Regum aulis laborare cernimus, magno & Principum, & Reipublicæ malo) penitus ignorabat. Hic pro eo quod gerebat munere, ſi quid in Alexandro, quod regiam dignitatem dedeceret animaduerteret, liberè eum monebat, illumque & à prauis moribus abſtrahere, & ad honeſtiſſima traducere ſtudebat. Alexander cum à vitiis, quibus addictiſſimus erat, abduci nollet, his eius monitis exacerbatus, nec interim Calliſthenes quidquam de illo ſuo munere eum admonendi intermitteret, ſed Regis gratiam poſt honeſti rationem haberet, Alexander *Calliſthenes Ariſtotelis in Alexandri inſtitutione ſucceſſor.*

der inquam, impotens animi vir, neſcio qua data occaſione, eum iuſſit interfici. Quod tam atrox omnibus facinus eſt viſum, vt acerrime hanc ob cauſam in Regem inuehantur, & *Magni* nomine, vel hoc nomine orbandum pronuncient.

Indignum Alexandri facinus.

VIII. Adeſte hic animis pauliſper, & quibus hoc Alexandri factum coloribus Romanus Philoſophus depingat animaduertite. *Calliſthenis*, inquit, *fuit nobile ingenium, & furibundi Regis impatiens. Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum fœlicitas redimet. Nam quoties quis dixerit: Occidit Perſarum multa millia: opponetur, & Caliſthenem. Quoties dictum erit: Occidit Darium, penes quem magnum regnum erat: opponetur, & Caliſthenem. Quoties dictum erit: Omnia Oceano tenus vicit, ipſum quoque tentauit nouis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ vſque ad Orientis terminos protulit: dicetur, ſed Calliſthem occidit. Omnia licèt antiqua ducum regumque exempla tranſierit, ex his quæ fecit nihil tam magnum erit, quàm ſcelus Calliſthenes.* Hæc ſcilicet vna litura omnem Alexandri famam, rerumque geſtarum gloriam deleuit, nomenque eius illâ maculâ aſperſit, quam nulla, quantumuis diuturni temporis longinquitas abſterget.

Seneca lib ſexto Natural. Quæſtionum, cap. 23.

IX. Tanti nimirum apud æquos rerum æſtimatores in vtramque partem fuit, maximè ſcilicet in laude ſemper poſitum, Præceptoribus honorem, obſeruantiamque exhibuiſſe, ſummoque datum dedecori eos vlla in re violaſſe.

DISP.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

Quibuſdam virtutis proprietatibus & excellentiis propoſitis, homines ad eam amplectendam inuitantur.

VIrtus non tantum pulchra, ſed ipſius Pulchri Idea eſt, inquit Plato: *qua ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſui.* Ea ſcilicet eſt illius venuſtas, is ſplendor ac decus, vt ſi ſuis exprimi coloribus poſſet, omnium animos raperet, mortaliumque in ſe defixos oculos teneret. *Nemo non amore eius arderet*, inquit Seneca, *ſi nobis illam videre contingeret.* Eſt nimirum ſol, eum quem intuemur ſolem luce & pulchritudine multis gradibus excedens, animamque cœlum reddit, ac radiis longè fulgentiſſimis illuſtrat, vtpote à ſole ipſo Diuino ſingulari modo deriuatis. Cum ergo Moralis Philoſophiæ is ſcopus ſit, vt hominis mentem formando paulatim fingendoque, ad virtutis amorem exercitationemque perducat, nonnullas eius excellentias hic obiter proponã, quibus veluti ſcintillis quibuſdam conſpectis, quantus demum illius ſplendor & pulchritudo ſit, quaſi ex vngue vt aiunt leonem quiſque coniiciens, ſummo eius ſtudio, obtinendique deſiderio capiatur.

Plato.

Seneca *epiſt.* 115.

CAPVT PRIMVM.

Virtus, ſola fortitudo: ſeu Virum non vires, ſed virtus facit.

I.

DIogenes ille Cynicus, cum Græciã totâ peragratâ, Athenas rediiſſet, interrogatus ſicubi vidiſſet viros, *Pueros*, inquit, *vidi Lacedæmone*. Innuebat nimirum

Diogenis Cynici dictum.

Lacedæmonios, qui ſingulari quodam modo virtutem colebant, & ob illius exercitationem, præ reliquis Græcis viri videri poterant, ſi tamen cum Philoſophis conferrentur, pueros ſolūmodo exiſtimandos, & prima tātùm virtutis elementa didiciſſe.

II. *Quinam viri cenſendi, qui pueri.*

Hic ergo Diogenis diſcurſus & gradatio: Philoſophos qui totum in eo ſtudium ponebant, vt eximiâ virtutis commendatione excellerent, cæteriſque honeſtæ integræque vitæ exemplo prælucebant, *Viros* vocat: Lacedæmonios, qui Philoſophorum vtcunque veſtigiis inhærebant, *Pueros*: reliquos Græcos, qui virtute poſthabitâ, vitiis implexi hærebant, *Beſtias*: quibus nimirum hominis definitio à Platone tradita, *Animal implume; bipes* ad amuſſim quadraret, nullâ *Rationalis* mētione factâ, quod licèt quidem illic fuerit, ita tamen *Animali* immerſum, & in eo quaſi ſepultum erat, vt ratio ſenſui ſubiecta, eiuſque omnia nutu & arbitrio præſtare videretur, & anima quodammodo in corpus conuerſa. Vnde idem Diogenes Athenis, medio die, pleno foro, accensâ lucernâ frequentiſſimam populo ciuitatem obibát quærens homines, quos namque illic cernebát, aliud nihil hominis præter nomen & figuram habere dictitabat. Huc etiam alludere videtur illud Herodoti: *Homines permulti viri perpauci.*

Homines permulti, viri perpauci. Herodot. in Polthym.

Scitè rem hanc, more ſuo, expreſſit ad Lucilium ſcribens Seneca: *Tenes vtique memoriâ*, inquit, *quantum ſenſeris gaudium, cum Prætextâ poſitâ, ſumpſiſti virilem togam, & in forum deductus es. Maius expecta, cum puerilem animum depoſueris, & te in viros Philoſophia tranſcripſerit*: cum ſcilicet animus ex Ephebis, vt ita dicam, excesserit, pueroque excuſſo, virilem togam, virtutem inquam, quæ ſola virum facit, induerit.

III. *Seneca ep. 4.*

IV. *Ritus quo puer, prætextâ togâ poſitâ, in viros tranſcribebatur.*

Hinc tantâ olim ſolemnitate & pompâ hæc apud Romanos peragi ſolebat ceremonia, dum Puer anno ætatis decimo ſeptimo, Prætextâ veſte relictâ, virilem ſumeret. Multis namque ex Patricio ordine comitantibus,

bus, in templum deducebatur, ibique ante Deorum altaria conſtitutus, primò Bullam auream, pueritiæ ſymbolum è collo deponebat: quo facto in memoriam ipſi reuocabant, vt viridis illius ætatis leuitate & inconſtantiâ relictâ, ſeriis paulatim aſſueſceret, moreſque ſuos ad maturitatem ſtabilitatemque componeret. Mox Prætextam togam exuens induebat virilem, vt vnà cum veſte animum quoque puerilem excuteret, nec foris magis quàm intus in virum transferretur, atque vt corpus ita mentem virili veſte, virtute ſcilicet ornaret. Quare ſicut maximam apud omnes conſequebatur laudem & exiſtimationem, qui dignitatis iam acceptæ, graduſque ſui memor virum ſe in omnibus præſtabat, vitamque inſtituebat togæ conformem, ita ſi quis molli diſſolutoque vteretur viuendi modo ac parum probis eſſet moribus, ſummo vertebatur dedecori, virique habebatur & veſte & voce appellationeque indignus. Hinc velut rem maximè ignominioſam exprobrat Cicero Antonio, quòd poſt ſumptam virilem togam, animum voluptatibus laxaret, delicateque viuendo in mores planè fœmineos tranſiret. *Sumpſiſti,* inquit, *virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſcholam reddidiſti.* *Philippicâ ſecundâ.*

V. *Virtus nerui, & robur animi.*

Virtus ergo ſola eſt quæ fortem, quæ virum efficit, verum animi robur, quæque mentem cataphractam reddit, & adamantinis armis induit: ſine qua homo, quantiſcunque præditus ſit viribus, effœtus eſt & languidus, vtpote neruis animi deſtitutus. Vnde vt obſeruant antiqui, virtutis nomen à *viro* eſt deſumptum. Sic Cicero: *Appellata,* inquit, *eſt ex Viro virtus.* Quam etiam ob cauſam Romani virtutem, non laxo & muliebri, ſed virili habitu exprimebant. Imò Lacedæmonij, vt Muſas, ita virtutes omnes pingebant armatas: innuentes nimirum eas nihil in ſe effœminatum aut molle continere, ſed generoſos & maſculos indere ſpiritus, & in ardua ſæpe, viroq; digna tendere, ſuiq; cultorē incitare. *Romani virtutem virili habitu pingebant, Lacedæmonij armatam.*

VI. *Vir non eſt, qui virtute caret.* Ex his itaque conficitur, qui virtute prædirus non eſt, virum eſſe neminem. Sit fortis, ſit robuſtus, ſit corpore, vt voles, lacertoſo ac valido, mente nihilominus, potiore hominis parte, puer eſt, & quantumcunque externâ ſpecie præ ſe virum ferat, nihil tamen viri, præter figuram continet. Nempe, vt anima corporis, ita animæ forma virtus eſt. Vnde quemadmodum recedente animâ homo perit, ita deficiente virtute, quidquid in eo virile eſt euaneſcit, menſque repueraſcit, ac veluti prætextam denuo togam reſumit.

VII. *Quo pacto virum à puero virtus diſcernat.* Sed rem hanc propius intueamur, magiſque in particulari & enucleatiùs quo puto virum à puero virtus diſcernat perueſtigemus. *Adhuc*, inquit Seneca loca ſupra citato, *non pueritia in nobis, ſed, quod eſt grauius, puerilitas remanet: & hoc quidem peius eſt quòd auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum, nec puerorum tantùm, ſed infantium.* Quod de ſuo tempore Philoſophus, id non minore iure de noſtro queri poſſumus, in quo hominum mores, illius temporis moribus videmus haud abſimiles, & viros paucos reperimus, pueros in omni ætate plurimos. Exempli cauſa: ſiniſtri ſubinde aliquid (vt varia eſt humanæ vitæ conditio) ex improuiſo contigit, officij ſcilicet quiſpiam aut dignitatis, quam prætendebat, obtinendæ ſpe excidit: amicum alteri ſui, mè charum mors abſtulit: illi diluuio, aut inopinato aliò caſu pars aliqua facultatum periit: in gemitus illico & lamenta prorumpunt, fractoque adeo & abiecto ſunt animo, vt nulla neceſſariorum conſolatione leuari ſibi dolorem patiantur, nec vllis eorundem adhortationibus ad æquiorem reduci mentem velint: ſed mœrore confecti animum deſpondent, & propemodum de ſtatu mentis deiiciuntur. Hos, oro, quis viros appellet.

VIII. In Anglia haud ita pridem magnam quis auri vim vſurâ, quam tota vitâ exercuit, congeſſerat, quamque ſummo ſtudio conquiſiuerat pecuniam non minore curâ & ſolicitudine ſeruabat, ad omnem euentum intentus,

tentus,& Argo hac in parte oculatior. Sed(vt *Malè parta malè dilabuntur*)tot annorum laboribus in vltimâ ſenectute orbatus eſt,& in ipſo portu paſſus naufragium. Nummos ſiquidem ſubodorati fures, gnaui huiuſmodi piſcium piſtatores,domum noctu ingreſſi, theſaurum inde ſurripiunt,& opimis onuſti ſpoliis diſcedunt.Rem vbi reſcinit ſenex,& domum excuſſam, pecuniamque ablatam animaduertit,tam acerbè id tulit, vt quamuis ampli ei ſupereſſent reditus , vnde non honeſtè tantùm,ſed lautè ſuſtentare vitam potuiſſet , ægritudine tamen animi intra paucos dies ſit extinctus: & quaſi eius anima in nummis illis fuiſſet, vti reuera fuit(nam *Vbi theſaurus,ibi cor*:& *Anima, vt aiunt magis eſt vbi amat,quàm vbi animat*)nummis ablatis , iacuit exanimis.Hic certè,quantumuis prouectæ ætatis,puer erat, & qui prætextâ indueretur togâ (niſi quod hæc veſtis, præter pueritiam,innocentiam quoque denotaret)longè digniſſimus.

Malè parta malè dilabũtur.

Vbi theſaurus, ibi cor.

IX. *Munus animi virilis.*

Hi ergo virorum nomine indigni : viri quippe eſt mentem in caſus omnes,quibus obnoxia eſt hominum vita,firmare, reſque aduerſas magno erectoque animo ferre,vt iſtiuſmodi malis, velut in virtutis palæſtra exercitatus,ſeipſo in dies fortior euadat,& vires,vt aiunt, ex infirmitate eliciat.

X.

Oculos nunc tantiſper in virum coniiciamus , eum ſcilicet,quem ob ſummum animi robur, pectuſque adamante firmius,ſacræ ipſæ literæ virum appellant: *Vir,* inquiunt,*erat in terra Hus.* Hic in theatro miſeriæ conſtitutus,ac veluti ſcopus in quem omnes collinearent effectus:hic inquam à ſummis opibus ad ſummam inopiam, à numeroſa prole ad omnimodam orbitatem, à palatio ad ſterquilinium redactus , hanc viro digniſſimam vocem emiſit:*Dominus dedit,Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit,ita factum eſt:ſit nomen Domini benedictum* Irruebant in eum vndique calamitates, telis ex omni parte petebatur,cœlum terra, homines dæmon, ignis

ignis aër, omnia denique in eius conſpirare caput videbantur, vt virtutem eius ac magnanimitatem explorarent: perſtitit nihilominus tot malis appetitus, & nec hoſtium incuſſio, nec direptio bonorum, nec famulorum cædes, nec liberorum omnium interitus eum de inuicta illa animi conſtantia deiecit,

Quod ſi fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Quæ omnia & ſummũ in eo fuiſſe mentis robur oſtendunt, illudq; inſuper apertè demonſtrant, quod hic probandũ aſſumpſi, in vnâ ſcilicet virtute fortitudinẽ verã conſiſtere, eumque ſolum virum eſſe, quem virtus virum facit.

CAPVT SECVNDVM.

Nulla ſine virtute Sapientia.
ſeu
Solus probus ſapiens.

I. *Parum ſapiens quorundam de ſapientia iudicium.* DE re nulla inſipientiùs vt plurimum homines, quàm de ſapientia iudicant. Plerique enim, ſi quẽ ſcitè, argutè & copiosè de re quapiam diſputantem, ſummoque verborum apparatu, & elegantia ſermonis differentem audiant, maximè ſi grauitas quædam, oriſque maieſtas, quæ conciliare authoritatem ſolent, accedant, ſapientem illico pronunciant, ac tantum non inter lumina illa Græciæ, antiquitatis ſidera, prima, inquam Philoſophorum ac Sapientum capita numerandum exiſtimant. Sed *ad pauca reſpicientes definiunt*, parumque in quo vera ſapientiæ notio ſita ſit, perpendunt.

II. Aliis rem hanc oculis intuentur ij, quibus perſpicacior eſt mentis acies, quique non in ſuperficie ac velut cortice hærent, ſed ſeriâ & maturâ inſpectione intima perluſtrant, ſuiſque ſingula momentis ponderant. Alio

Aliò inquam hi penicillo, aliis ſapientiam coloribus depingunt, eamque non ſermonis copiâ dicendique facultate, ſed innocentiâ vitæ, non ornatu verborum, ſed morum probitate, non denique externâ corporis, ſed internâ mentis ſpecie & habitu metiendam aſſerunt. Id inquam præcipuè requirunt, vt quis geſta ſua omnia & dicta ad rectæ rationis leges; honeſtatiſque normam exigat: & quo gradu virtutem colit, eodem ſapientiâ præditum eſſe cenſent, parique ſemper hæc paſſu inter ſe procedere affirmant. *Sapientia*, inquit Seneca, *eſt mens perfecta, ad ſummum optimumque perducta* Et Ariſtoteles, *Prudentis Prudentiaque eſt optima exoptare, atque ſemper deligere & agere.* *In quo vera ſapientia conſiſtat.* Seneca *ep* 117. Ariſto. *l.* 1. *magn. moral. c.* 34.

III. Scipio Naſica habebatur Romanorum *Optimus*, Socrates Græcorum *ſapientiſſimus*: hinc orta quæſtio, vter titulus præſtantior, omniumque ſuffragio definitum eſſe æquales, imo non duos ſed eundem titulum, cum nec ſine ſapientia bonus quis eſſe poſſit, nec ſine virtute ſapiens. Vnde apud antiquos omnes, oraculi inſtar cenſebatur pronunciatum illud, *In improbum non cadit ſapientiâ*. Imò ſacræ ipſæ literæ hoc ſuo etiam calculo firmarunt, & tanquam rem certam & indubitatam tradiderunt, *Imo maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitat in corpore ſubdito peccatis.* *Quis titulus potior, Optimus, an ſapientiſſimus.* *In improbum non cadit ſapientia.* *Sap.* 1. 4.

IV. *Solus* ergo *probus, ſapiens*: quantumcunque enim quis omni potiori literaturæ genere, cultiſſimiſque quibuſque artibus ac ſcientiis excellere videatur, ſi tamen moribus parum honeſtis ſit & probis, ſi inquam luxu ac deliciis fluat, vitiiſque & voluptatibus eneruatum habeat animum, nullus æquus rerum æſtimator eum ſapientiâ præditum affirmabit, teſtante ipſo ſacro eloquio *Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* *Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Iob.* 29. 13.

V. Et ſanè, ſi verum ſit dictum illud, quod ab omnibus cenſetur veriſſimum, *Difficile eſt ſimul amare & ſapere*, & hic animi affectus ex omnibus ſit vehementiſſimus, quique intra certos limites coërceatur difficillimus, & in *Difficile eſt ſimul*

rebus

amare & ſapere. rebus etiam non malis fræno indiget, quanto magis dum iis in rebus figitur, ad quæ non proni tantum ſed præcipites, totoque pondere ita feruntur homines, vt ægrè hic eorum impetus cohiberi ac ſiſti poſſit. Quis, oro, hic locus ſapientiæ? *ſcire* fortiſſis dici poterit huiuſcemodi homo, ſi in diſciplinis variis ac ſcientiis ſit verſatus, at non *Sapere*: imò ne *ſcientis* quidem eum, ſed *iguorantis* nomine appellandum cenſet Ariſtoles: *Omnis* inquit *malus eſt ignorans*.

Omnis malus eſt ignorans.

VI. *Tria hominum genera inſipientiæ arguebat Diogenes.* Hinc Diogenes acerrimus morum ſui temporis cenſor, tria hominum genera carpere, inſipientiæque arguere ſolebat: *Hiſtoricos, Muſicos*, & *Aſtrologos*. Hiſtoricos eo nomine culpabat, quod rerum omnium in Orbe geſtarum perfectam ſibi notitiam compararent, quæ domi apud animum ſuum agerentur ignari: cumque Regni cuiuſque ac Reipublicæ rationem ac ſtatum exploratiſſimum haberent, quæ tamen propria ipſorum conditio foret, eos penitus lateret. Hos proinde, quantumuis totius etiam mundi ſcientiam acquiſiuiſſent, fatuos nihilominus vocandos affirmabat, vtpote qui ſe negligerent, tantumque eos à ſapientia, quantum à ſui curâ diſtare aſſerebat.

VII. *Quid Muſicis vitio vertebat Diogenes.* Muſicis id vitio vertebat, quod cum citharæ chordas artificioſiſſimè contemperarent, & in ſuauiſſimam aptarent harmoniam, animæ tamen ſuæ facultibus tam malè moderarentur, moribuſque inconcinnis eſſent ac diſſonis: cumque in hominum auribus demulcendis tantum operæ ac laboris ponerent, in mente ſua componenda, prouiique eius motibus ſedandis eſſet tam ſocordes. Aſtrologos denique vituperabat, quod ſui obliti, inter ſidera vagarentur, totique ſphærarum ac globorum cæleſtium ordini, proportioni ac numero intenti virtutes quæ fulgore & radiis ſtellas omnes multis gradibus excedunt, pulcherrimamque in anima harmoniam efficiunt, negligerent.

In quo idem reprehendebat aſtrologos.

VIII. Hos igitur omnes, etſi in hiſce ſcientiis maximè exercita-

ercitatos, à ſapientum numero excludendos aſſerebat. Quibus alios complures merito quis adiunxerit, eos ſcilicet qui, cum artium ſe liberalium & ingenuarum cultores profiteantur, illiberali nihilominus inhoneſtoque plane vitam ritu inſtituunt, moribuſque parum ſunt ingenuis. Hi, inquam, inter inſipientes iure recenſendi, eoque magis, quo ſcientiis ijs elati, magis ſe autumant ſapientes. Hanc ob cauſam Iſidorus ille Peluſiota, nec Oratores nec Dialecticos, alijſue huiuſcemodi artibus & facultatibus excultos, niſi artem artium, virtutem ſcilicet nouerint, vitamque ſua ac omnem ad illius regulas & præcepta explorent, nuncupandos ait ſapientes *Ad ſapientia*, inquit, *nomen tuendum & ſuſtinendum pro dignitate, tria requiruntur: primò virtus, deinde Philoſophia (moralis) cognitio, tertio rerum ad Dei cultum ſpectantium notitia*, quam *pietatem* appellat. Ex his virtutem ſapientiæ *Fundamentum* vocat, Philoſophiam *Ornamentum*, Pietatem denique *Coronidem*. *Alÿ plures Diogenis hac in re cenſuram non effugiunt.* *Tria ad ſapientiam requiſita.*

IX. Nullus ergo, quantumuis acri & perſpicace ingenio, omnibuſque honeſtiſſimarum etiam Diſciplinarũ præſidiis inſtructus, niſi virtus acceſſerit, ſapientis appellationem meretur. Hinc antiqui vlli Ægypty ſagacis & ingenioſi viri ſymbolum ſpingem ſtatuebant: vbi vero ſapientem exprimere volebant, id per eandem ſpingem in templi veſtibulo figuratam præſtabant: quò ſcilicet denotarent ſubtilitatem omnem ingenijque acumen, vt ſapientiæ nomen ſortiatur, cum pietate coniunctam eſſe debere, alioqui calliditatem potius & aſtutiam cenſendam, quàm ſapientiam. *Sagacis & ingenioſi hominis Symbolum.*

X. Qui ergo non Dei honore & cultu, ſed policitis quibuſdam rationibus omnia metiuntur, quique non æquum & rectum, ſed ſuum ipſorum commodum ſibi normam ſtatuunt, idque vnum in votis habent, vt ipſi emergant, & vel per aliorum caſum ad ſumma conſcendant, qui domi technis omnia & fraudibus, foris bello ac tumultibus implicant, vt rerum potiantur, ſuoque cun-

cuncta nutu & arbitrio moderentur: iſti, inquam, ſphinges ſunt, at non in templi aditu, ſed in foro, in curia, in Regum palatiis collocatæ. Hi tamen ſæpe poſt diuturnum dominium de faſtigio illo non debiti ſibi honoris deiecti, vel furore populi obtruntur, miſerrimeque mortem optant, vel profugi, extorres, vagi, cunctiſque exoſi vitam trahunt omni morte grauiorem: documento omnibus futuri, quàm lubrico loco conſiſtant ij, quos ambitio, dominandique libido tranſuerſos agit, virtuteque ac pietate poſthabitā, in id æſtu quodam animi, totoque ſtudio feruntur, vt magni potius euadant quàm boni.

Stulta ſapientia.

II. *Perfectum ſapientis viri ſymbolum.*

Longè vero accommodatiſſimum ſapientis viri ſymbolum ſacræ ipſæ literæ tradidiſſe mihi videntur in animalibus illis, ita oculis vndique refertis, vt tota oculi viderentur. Intus quippe & foris, ante ac retro, & in omni corporis parte oculos habebant, quibus cœlum & terram, quæ ante pedes poſita erant, quæque, à tergo conſtituta, eodem temporis momento intuebantur, nihilque omnino erat, quod eorum aſpectum fugeret. Hæc inquam animalia perfectiſſimus ſapientis viri character ſunt & ſymbolum vtpote qui oculatus maximè, imo totus eſſe debet oculus, nec terram tantum, ſed cœlum etiam ac Deum tanquam actionum omnium ſuarum finem & ſcopum ſemper intueri, eiuſque honore ſua omnia metiri. Oculos intus habeat oportet, quibus cuncta ad animam ſpectantia, facultates ſcilicet illius omnes & affectus rectè ordinet ac diſponat. Oculos ante & retro habere debet, vt non præſentia ſolùm, ſed quæ poſthac euentura, vitamque hanc ſubſecutura ſunt conſideret, ſeque omni in re, non perituris & caducis, ſed æternis rationibus gubernet. Deniq; oculos in omni corporis parte, in manibus, in pedibus, in lingua, imo in ipſis oculis habeat neceſſe eſt, quibus accuratè ſe ſemper circumſpiciat, ne quid inordinatum; quodque virum prudentem minus decet,

Se vndique circumſpicere debet ſapiens.

ad-

admittat, ſed interna omnia & externa ad rectæ rationis & virtutis normam exigat.

Non malè ergo Seneca ſapientiam, vitam animæ appellat: *Soli*, inquit, *viuunt, qui vacant ſapientiæ*: quòd ſcilicet hæc virtutem, ſine qua nemo vitam degit homine dignam, includat. Solus itaque viuit is qui ſapit, ſolus ſapit cui virtus ſapit. XII. *Soli viuunt, qui vacant ſapientiæ.*

CAPVT TERTIVM.

Virtus vnicum gaudium, vnicum affectæ mentis ſolatium.

Hoc *ante omnia fac, mi Lucili*, inquit Seneca, *diſce gaudere*. Et quamuis ars hæc facilis nonnemini videri fortaſſe poſſit, neque multis ad eam addiſcendam opus eſſe præceptionibus, aut cur in hoc hominibus ſuadendo magnopere ſe fatigent Philoſophi, cum ad lætitiam mentiſque relaxationem pronis omnes animis ferantur, nec tam ſtimulis hac in re, quàm fræno indigeant: nulla tamen mortalibus ars magis neceſſaria, quàm ars rectè debitoque modo gaudendi, vt ſcilicet exploratum habeant ex quibus rebus verum, ex quibus fictum & adulterinum ſolatium deſumatur, ſeu, vt loquitur Sanctus Auguſtinus, gaudia inter & gaudia diſcernant, *gaudia*, ſcilicet *veritatis*, *&* *gaudia vanitatis*. In hoc totius honeſtæ ac moralis vitæ cardo vertitur: *Hoc*, vt teſtatur idem Seneca, *bona mentis fundamentum, hoc culmen eſt: ad ſumma*, inquit, *peruenit, qui ſcit quo gaudeat.* I. *Seneca ep. 23.* *Inter gaudia & gaudia diſcernendũ.*

Multi ergo, vbi mœrore aliquo grauari ſibi ac premi mentem ſentiunt, aut etiam ob grauius aliquod facinus admiſſum conſcientiæ ſe ſtimulis vrgeri, vt huic morbo medeantur, ad res vanas ſeſe, parumque etiam honeſta interdum oblectamenta conferunt, indeque II. *Quidam dolorem minuendo augent.*

Digitized by Google

ſolatij aliquid emendicant. Hi, inquam, peccatum acerbitatis illius & amaritudinis cauſam tollere, vitiaque extirpare non conantur, ſed acres illos remurmurantis conſcientiæ aculeos ſopire potiùs quàm extinguere, quæſitiſque vnde, inde voluptatum illecebris affectum animum, veluti quibuſdam fomentis leuare, doloriſque vim lenire a emitigare ſtudent: ſicque medicinâ morbũ augent, vulneraque vulneribus addendo, in ipsâ curatione ſibi inferunt exitium.

III. *Corporis oblectamẽta morbos animi non curant.* Athenis olim æger quis animi, grauiſſimiſque ex diuturna vitiorum ac ſcelerum, in quibus ætatem egerat conſuetudine, fluctibus agitatus, ac mœrore propemodum confectus, vt ex hac iactatione reſpiraret, mentique laboranti opis aliquid afferret, varias Orbis regiones peregre obiuit, ex diuerſarum rerum conſpectu, locorumque amœnitate ac varietate mœſtitiam inteſtinaſque illas turbas ſedatum iri exiſtimans. Sed *Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Non aura ei Athenienſis, ſed tetra illa vitiorum ſanies ac fœtor, quæ eius animum penitus occupauerant, hunc ei morbum pepererunt. Sceleriimque admiſſorum recordatio ita perpetuis eum acutiſſimiſque ſtimulis vrgebat, vt nec noctu nec interdiu vllam capere quietem pateretur: adeo verum eſt, Qui peccatum animo infixum gerit, ſuum ſecum fert carnificem.

Cœlum, non animũ mutant, qui trans mare currunt.

IV. Quam proinde Athenis extulerat, Athenas retulit animi ægritudinem, eamque nouis potius auctam incrementis, quàm vlla ex parte imminutam. Socratem itaque conueniens, rem ei totam aperit, iterque illud ſuum & itineris cauſam exponit. Cui Socrates: *Quid miraris*, inquit, *peregrinationes tibi non prodeſſe, cum te circumferas?* Quaſi diceret: cum ignem in pectore, ſpinas in ſinu foueas, quid tibi mirum accidit, ſi vel illius te ardore corripi ſentias, vel harum aculeis pungi. Vnde & Seneca ad quendam ex familiaribus ſcribens, qui ſimilem morbum ſimili medicinâ curare, animi ſcilicet

Prudens reſponſum Socratis.

mœro-

mœrorem per diuerſas regiones, terrā marique diſcurrendo depellere fruſtra tentauerat, ideò inquit, hiſce peregrinationibus triſtitiam non diſcuſſiſti, quod te vbique ſequantur vitia. Ac tandem concludit: *Quæris cur te fuga iſta non adiuuet? Tecum fugis. Onus animi deponendum eſt.* Hæc ille. *Seneca epiſt.* 28.

V. Voluptates ergo iſtæ, quas apicularum inſtar, veluti quaſdam mellis guttulas, ex vanis ac vilibus rebus delibant homines, quamuis ægris eorum mentibus leuamenti aliquid afferre ad tempus videantur, multo tamen plus veri mœroris & amaritudinis iiſdem afferūt, quàm antè falſi attulerant gaudij ac delectationis. Hinc pronunciatum illud Pythagoræ antiquorum omnium calculo probatur: *Annulum arctum ne geſtato*: de iis dictum, qui cum mentem mœrore preſſam, grauiterque affectām ſentiunt, ad voluptatum illecebras tanquam ad aſylum confugiunt, vbi dum ſe tutos autumant, acrioribus vrgentur ſtimulis, ipſoque etiam hoc leuamine magis torquentur. *Annulum* ergo *aureum* in eo referunt voluptates, quòd fulgore & radiis intuentium oculos perſtringant, menteſque mortalium blandimentis quibuſdam ac lenociniis captas ac delinitas, ad ſe amplectendum pelliciant. *Annulum* inquam referunt, ſed *arctum*, dum enim relaxare animum videntur, coarctant, atque in maximas anguſtias & quaſi vincula cōiiciunt: nullus quippe grauior carcer, quàm animus ſibi, vbi ſceleris alicuius conſcientiā tenetur. Quæ itaque foris quæruntur oblectamenta, ac veluti affectæ mentis remedia adhibentur, ſopiunt non ſanant, nec quidquam de internis animi morbis imminuunt. Ad quam rem appoſitè Plutarchus: *Diadema*, inquit, *dolore capitis non liberat, nec annulus pretioſus reduuiā.* Externa nimirum hæc mulcent, non medentur, paruiſque animi affectionibus vires addunt potius quàm detrahunt.

Annulum arctum ne geſtato.

Animus ſceleratus, carcer ſibi.

Diadema non ſanat dolorem capitis.

VI. Sed mittamus profana: exemplum huius rei longè

 clariſſi-

clariſſimum ſacra nobis ſuppeditat hiſtoria. Cum Ionas Niniuem ire iuſſus, violato Dei mandato Tharſis tenderet, vehemente ortâ tempeſtate, nauis in qua vehebatur, ingentibus iactata fluctibus, pene ſubmergebatur. Nautæ ergo vaſa omnia & quicquid grauare naui uem poterat, in mare proiecerunt, vt eo onere leuata vim fluctuum commodius ſuſtineret, & in minore eſſet ſubmerſionis periculo. Sed fruſtra: quadiu Ionæ in ea manſit peccatum, nihilo leuior erat nauis, nihilo à ſubmerſione remotior. Illud nimirum onus erat, quod eam degrauabat, & in tanto conſtituebat periculo. Illud inquam erat, quod cœlum ei reddebat iratum, ventoſque in eam & mare concitabat. Ionâ verò cum peccato ſuo, eiecto, mari confeſtim tranquillitas rediit, nauiſque periculo defuncta, fœliciſſimo itinere inchoatum curſum tenuit.

Peccatum cauſa tempeſtatis.

VII. Tantundem non raro hominibus contingit: Graui ſe quiſpiam exempli cauſa, ſcelere obſtrinxit, oritur illicò tempeſtas, & anima ingentibus doloris, qui certiſſimè ſemper peccatum ſequitur, fluctibus iactatur, interniſque motibus miſerrimè agitatur. In omnem ergo ſe partem vertit, vt hoc onere mentem leuet, ræxque & exulceratæ conſcientiæ aculeos mitiget. In varia ſe confert loca, diuerſaſque peragrat regiones: ſed *mutat lectos æger, febris manet*. Muſicam, ſuauiſſimumque vocum & fidium concentum, ægræ menti medelam adhibet: at fruſtra; nullâ ſonorum, quantumuis dulcium harmoniâ curatur animus ſibi ac cœlo diſſonus. Iucundis fruitur neceſſariorum colloquiis, vt ſuaui eorum ſermone affectum animum reficiat: ſed obſtrepit ſemper remurmurans conſcientia, importuniſque & inconditis vociferationibus eum interturbat, & ad ſe identidem vel nolentem rapit. Somno ſe tradit: at ſimul cum eo euigilat acerbus mentis cruciatus, vigilque ille vermis perpetuis cor eius morſibus lancinat & corrodit. Veriſſimè proinde dixit S. Auguſtinus: *Iuſſiſti Domine,*

Anima inſtar nauis fluctibus iactatur.

Nullâ harmoniâ curatur animus ſibi diſſonus.

Domine, & ita factum eſt, vt omnis animus iniquus, ipſe ſit pœna ſibi.

Quiſquis ergo verum gaudium exoptat, mentemque tot inteſtinis turbis ac tumultibus concuſſam quieti tranquillitatique reſtituere, mali radicem tollat, peccatum è naui, ex anima, inquam, eiiciat, omnemque ei deinceps aditum intercludat: mentis denique ſerenitatem, qua nullum maius eſt mortalibus bonum, adeptus, ſummo eam ſtudio ac diligentiâ per ſeriam & conſtantem virtutis exercitationem (ſine qua, nulla firma haberi quies & tranquillitas poteſt) foueat & conſeruet. VIII. *Mali radix tollenda.*

IX. Hoc inquam ſincerum eſt & ſolidum gaudium, & cuius extrema, non luctus, ſed gaudium occupat: in terra quippe inchoatum, cœlum perficit, mentemque vbertimis deliciarum riuis irrigat ac perfundit. *Bona cõſcientia*, inquit S. Bernardus, *quotidie vireſcit, laboribus non affligitur: afficit gaudio viuentem, conſolatur morientem, æternumque durat.* Hoc eſt *iuge* illud *conuiuium*, ſuauiſſimæque dapes, quibus paſtæ & refectæ puræ mentes, omnes mundi delicias ac voluptates ieiunas & vanas autumant, ac veluti amaras ac ſordidas auerſantur & contemnunt. Denique, vt pulcherrimis Diui Bernardi verbis, concludam: *Conſcientia bona*, inquit, *eſt templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus ſancti, liber ſignatus & clauſus, & in die iudicij aperiendus.* Deinde ſubiungit: *Nihil eſt iucundius, nihil tutius, nihil diuturnius bonâ conſcientiâ: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura.* Ex quibus habetur illud ſolum cenſendum eſſe verum gaudium, quod ex virtutis naſcitur radice.

S. Bern. *lib de conſcientia.*

De interiori domo cap. 22.

Illud ſolũ verum gaudium, quod ex virtutis radice naſcitur.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

Nihil ad vitam rectè traducendam, conſtantemque virtutis exercitationem magis iuuat, quàm memoria mortis.

Qui aliorum mores curioſiùs obſeruant, negligunt vt plurimum ſuos.

IN hominis à fabuloſo illo Prometheo constructi fabricâ, id reprehendiſſe fertur Momus, quòd ſcilicet alterum oculum in occipite ſitum non haberet, ſed vtrumque in fronte gereret, ſicque ea quæ retro eſſent, quæque à tergo ſequerentur, intueri non poſſet. Sed, quicquid de Momo ſit, qui ſedulus magis in aliorum notandis vitiis erat, quam in propriis corrigendis (quod iis fere contingit, qui in alienam vitam curioſius inquirunt, dum enim aliorum more mores obſeruant, negligunt ſuos) Quicquid inquam de Momo ſit, Prometheus Chriſtianus in hominis animâ formandâ, alterum oculum veluti in occipite ſtatuet, ea nimirum conſideranda proponet, quæ poſthac ſecutura ſunt, oculoſque in vltimâ etiam vitæ periodo, ipſaque adeo morte figendos eſſe docebit, idque ad vitam in virtute traducendam maximi intereſſe oſtendet.

CAPVT PRIMVM.

Viue memor quàm ſis breuis æui.

Philoſophia aliud nihil eſt, quàm mortis meditatio.

I. PHiloſophia, inquit Plato, *nihil aliud eſt, quàm mortis meditatio.* Neque enim firmiùs fæliciuſque in re vlla honeſtæ vitæ fundamenta iaciuntur, quàm in memoria mortis. Hæc enim cuius ſemel menti inſedit cogitatio, ipſum ſcilicet mortalem eſſe, internecionique obnoxium, animus illico rerum vilium & caducarum pertæſus,

ſus, ad immortalitatem totus aſpirat, oculoſque in cæleſtibus figit, ſemperque duraturis.

II. *Mortis cogitatio mortalibus vtiliſſima.*

Nihil ergo mortalibus vtilius, nihil ad vitam, vt per eſt, inſtituendam accommodatius conſideratione mortis. Hæc vitam format, componit mores, frænat affectus, æſtum animi ſedat, rerum parum honeſtarum amorem ac deſiderium extinguit. Eſt mentis myrrha. vt enim vnguentum illud myrrheum, corpus à corruptione & vermibus, ita hæc animam à vitiorum ſanie ac putredine integram præſtat, & incorruptam. Ad quam rem appoſitiſſimè S. Auguſtinus: *Nihil*, inquit, *ſic reuocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.*

Mortis memoria, mentis myrrha.

III. *Adami offa filiis ſuis Noë diſtribuit, poſt diluuium.*

Noë Patriarcha poſt terribile illud diuinæ vindictæ, ſuppliciique de hominibus ſumpti exemplum, quo Orbem vniuerſum aquarum diluuio, qui antè peccati inundatione obrutus fuerat, ſubmerſit, is inquam vt his malis occurreret, illaſque humani generis reliquias à peccati perpetratione conſeruaret, partem aliquam oſſium primi Parentis, quæ ſecum in arcam tranſtulerat, ſingulis diſtribuit, vt tum Adami, tum propria ipſorum mors certiſſimè ſecutura, iis ſemper ante oculos obuerſaretur, & ſalutari hac cogitatione veluti fræno quodam in officio continerentur, & ab admiſſione ſcelerum deterrerentur.

IV. *Mortis recordatio viam ad vitam ſternit.*

Imo, longo poſt interuallo in more poſitum videmus, vt qui in ſummo conſtituti erant honorum gradu, opumque ac deliciarum omnium copiâ affluebant, & hoc nomine in maximo verſabantur diſcrimine, ne tam lubrico loco ſiti, in omne vitiorum genus (ad quæ præceps ſemper, huiuſmodi præſertim hominibus eſt via) prolaberentur, his inquam in more erat, vt ad mortis memoriam tanquam ad aſylum confugerent, ſeque hac cogitatione aduerſus tot pericula armarent firmarentque. Hinc de Orientis Imperatoribus traditur, hanc apud eos viguiſſe conſuetudinem, vt velut emblema ſui,

Perfectiſſimum hominis emblema.

quiddam libelli inſtar manu ſemper geſtarent, quod foris quidem auro argentoque artificioſiſſimè elaboratum erat, gemmiſque vndique diſtinctum, intus verò puluere ac cinere repletum: eo nimirum fine, vt illi libro aſſiduè ſtudentes, & in ſingulis eius, vt ita dicam, pagidis *Puluis es* ſcriptum legentes, hanc in eo lectionem addiſcerent, quantumcunque ſcilicet caput diademate gemmis auroque radiante ornatum haberent, ſplendidiſſimiſque fulgerent veſtibus, re tamen vera ſe aliud nihil quàm puluerem eſſe, vtpote quos mors breui in cineres eſſet redactura.

V. Nihil itaque ad aditum vitiis intercludendum, homineſque intra æqui rectique limites coërcendos efficacius, quàm vt ſeriò perpendant animoque penitus infixum habeant, ſe morti eſſe obnoxios, & ad ſepulchrum ſemper tanquam ad centrum tendere. Hæc quippe cogitatio vehementiſſimos etiam impetus frangit, & contumaciſſimum quemque edomat, ac veluti moderatrix mentis ad iuſtum temperamentum, rectæque rationis præſcriptum paulatim reuocat. Hinc de Alexandro refertur, conſpecto Cyri, Perſiæ totiuſque Aſiæ Regis ſepulchro, ita perculſum fuiſſe ſuperbum illius animum, vt cùm antè, affinitate cum mortalibus reiectâ, ſe inter Diuos aſcriberet, Iouiſque filium appellaret, nunc demum altos illos ſpiritus ponere, ſuamque hanc ſtultitiam vehementer accuſare inciperet. Sepulchrum namque illud aperiens, cernenſque amplam adeo potentiam ad tam arctos limites redactam, tantam maieſtatem in tali throno ſitam, Aſiæ denique Monarcham pro palatio obſcuram habere & horridam ſpeluncam, pro lecto lapidem, telas aranearum pro aulæis, ſummamque illam pompam & ſplendorem in tenebras & noctem eſſe conuerſa, hoc inquam, altum Alexandri animum ita perculit, ita celſas illas cogitationes repreſſit, vt hoc Cyri ſepulchrum, ſuæ etiam ſepulchrum ambitionis facere cogitaret, niſi quòd oculis aliò auerſis,

Alexander conſpecto Cyri ſepulchro mirè perculſus.

quâ

quâ portâ memoria mortis egrediebatur, ſuperbia mentiſque elatio ingrederentur, firmioreſque quam antea in eo agerent radices.

VI. *Monimentum quaſi monens mentem.* Quæ omnia perpendens Angelicus Doctor, *Monimentum*, inquit, *eſt quaſi monens mentem*, hominibus ſcilicet in memoriam reuocans, nihil hic firmum eſſe ac ſtabile, ſed fluxa omnia & caduca, opeſque omnes, honores ac dignitates, & quicquid in hac vita pulchri eſt aut pretioſi, interueniente aliquando morte ſublatum iri: animi proinde bona, quæ ſola tumulo ſuperſunt, curâ omni & ſtudio eſſe perquirenda.

VII. *Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum.* Hac etiam de cauſa, vt auctor eſt Plutarchus, antiquis illis Ægyptiis moris erat, ſceletum, ſeu exſiccata hominis oſſa, ita inter ſe commiſſa & compacta, ſuo vt ſingula ordine hærerent, inter epulandum inferre, ſuumque ei inter conuiuas locum tribuere, vt eius cõſpectu mortis omnes admoniti, ſobriè ſe & veluti fugi homines gererent, & quaſi non multo poſt è vita migraturi: optimum ſcilicet epularum condimentum exiſtimantes memoriam mortis, vtpote quod non tam cibos ſapidos, quàm conuiuas ſapientes redderet.

VIII. *Quantum boni ex mortis cõſideratione perceperit Henricus Imperator.* Longè vero pulcherrimum in hoc genere, & ad declarandum quantum ex mortis conſideratione hominibus boni proueniat accommodatiſſimum eſt, quod Henrico Bauariæ Duci, mox etiam Germaniæ Regi, ac demum Imperatori, illius nominis primo, contigit. Is dum nocte quadam orationi de more vacaret, cælitus intellexit, non procul à ſancti Wolfgangi ſepulchro ſcriptum quoddam parieti incluſum latere, quod inde tollere & legere iubebatur. Ad locum ergo deſignatum accedens pius Princeps, chartamque inſpiciens, hæc tantummodo duo verba in ea exarata reperit, POST SEX. Henricus hoc mortis ſuæ poſt ſex dies ſecuturæ prædictionem quandam interpretatus, omni ſe diligentiâ ad vltimam illam horam, fœlicemque ex hac vita tranſitum diſponit, ac totos illos ſex dies in precibus

Deo fundendis, aliiſque pietatis officiis maximo quo poteſt feruore inſumit. Vbi vero ſex illis elapſis diebus, ſe adhuc vidit ſuperſtitem, verba illa ad ſex hebdomadas referenda arbitratus, ſimili mentis ardore per ſex inſequentes ſeptimanas, in omni ſe virtutum genere exercet, quaſi tunc è vita exceſſurus. Aſt vbi tunc etiam ſua ſe fruſtratum expectatione animaduertit, rem ad ſex menſes, & poſtmodum ad ſex annos retulit, nihil interim de feruore illo, ſeque ad mortem parandi ſtudio intermittens.

IX. Sex igitur annis integris in ſumma pietate, mortiſque conſideratione trāſactis, tum demum Diuino Numini vaticinium illud implere viſum eſt, alio tam longè modo, quàm Henricus præceperat animo: primo namque anni ſeptimi die electus eſt Imperator, quod munus per duos poſtea & viginti annos, ſummâ cum laude, orbiſque Chriſtiani bono adminiſtrauit, Deo per tam diuturnam mortis meditationem eum ad hoc ſingulariter diſponente. Tantus vero fuit virtutum eius ſplendor, vt radios longè lateque diffuderit, omneſque pertraxerit in admirationem ſui. Nulli nimirum magis viuidi colores, quàm qui à termino humanæ vitæ, lethique conſideratione tincturam accipiunt, nec vlla pulchrior virtutum imago, quam cui mors vmbras adiicit, manumque, vt ita dicam, vltimam apponit.

Nunquam ſecuriores virtutis igniculi, quàm dū mortis cineribus inuoluuntur.

CAPVT SECVNDVM.

Nulli, aut parua, aut magno lethi fuga.

I. *Mors à Philoſophis Latro hominis dicta.*

SEcundus, non ignobilis ſui temporis Philoſophus, ab Adriano Imperatore, quid mors eſſet, interrogatus, *Hominis Latro*, inquit, vtpote quæ momentis ſingulis, vitæ partem aliquam ſurripit, minutiſque iſtiuſmodi & clandeſtinis furtis omnem paulatim vitam tollit, ac totum

tum tandem hominem, in ſuam redigit poteſtatem; quid dico hominem? tot iam inde à naſcente mundo in omni Orbis parte hominum myriades, cunctaſque hiſce ſuis latrociniis Nationes expilauit, ac vita exuit, merito *Latro omnium Gentium* appellanda. Nulli ætati parcit aut hominum conditioni: non eam flectunt virides anni, & morti adhuc immaturi, non ſanguinis nobilitas, ſed quæcunque ſit natalium diuerſitas, par certè cunctorum erit exitus: non eam lenit aurea Oratorum eloquentia, non Dialecticorum argutiæ, nullæ denique preces aut lachrymæ emolliunt, ſed nullo diſcrimine doctos iuxta & indoctos rapit, nobiles & ignobiles, ſummo & infimo loco natos.

II. Hinc antiqui illi Gentiles, licèt Mortem inter Deos numerarent, nulla tamen ei, vt Diis aliis, templa exædificabant, nulla erigebant altaria, nulla ſacrificia offerebant, quòd ſcilicet inexorabilis eſſet, & quiſquis preces illi funderet, perinde ac ſurdo canere cenſebatur. *Cur Gentiles nullũ Morti tẽplum extruerent.*

III. Nihil ergo humanâ vitâ fugacius, nihil inconſtantius, cuius ſcilicet partem ſemper aliquam mors rapit: Vnde, inquit Seneca, *Hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte diuidimus*: & quibus homo in vitâ, iiſdem ad mortem paſſibus procedit, nec mori priùs deſinit, quàm deſinat viuere. Hinc S. Gregorius, *Noſtrum viuere*, inquit, *à vitâ tranſire eſt*: nempe creſcendo decreſcimus, & dum augetur vita, minuitur, ſuiſque exhauritur incrementis. Ex qua conſideratione Diuus Auguſtinus: Dubitare, inquit, meritò poſſumus, hæc quam agimus, vita dicenda ſit, an Mors, ac tandem *morientem vitam* appellandam concludit. Quare ſocrates, cum mortis in eum ſententiam ab Athenienſibus latam eſſe accepiſſet: *Hodie*, inquit, *ego, cras ipſi, me illi morti ad iudicarunt, Natura ipſos, quâ non minus certò in eos, quàm illi in me pronunciatam mortis ſententiam exequetur.* Naſcimur nimirum ad mortem damnati, & vnà cum *Hominis, Mortalis* nomen accipimus. *Nihil humana vita fragilius.* *Noſtrum viuere, à vitâ tranſire eſt.* *Dictum ſocratis ad mortem iũ damnati.*

Hinc

IV. *Varia humanæ vitæ ſymbola.*

Hinc hominis vitam cum rebus maximè lubricis & inconſtantibus paſſim conferri cernimus: nunc enim *folio* comparatur, nunc *vento*, *umbræ*, *vapori*, *ſomnio*, nunc Lettæ illi ſeu *flori*, vt vocant, *Solſtitiali*, qui quo die naſcitur, occidit: & quamuis radios ad tempus pandat, hi tamen vnà cum ſole ad occaſum vergunt, noxque eos tandem excipit, & extinguit. Quibus apertè monſtratur nihil præſenti vitâ eſſe incertius, nihil volubilius: cuius proinde ſymbolum Ægyptij Rotam ſtatuerunt verſatilem, quæ leuiſſimo quoque tactu mouetur, & in gyrum voluitur: ſic in ſuo etiam axe vita vertitur, & breuiſſimo traiectu pars ſuprema in imam commutatur: vt rectè vitam appellet S. Auguſtinus *Curſum velociſſimum ad mortem*.

Homo Rotæ ſimilis. Vita curſus velociſſimus ad mortem.

V. *Humanæ vitæ breuitas vlterius declaratur.*

Ad quam rem appoſitè obſeruat S. Bernardus has duas voces *Orimur* & *Morimur* vnâ tantùm inter ſe literâ differre. Quo, inquit ille, denotatur tam lubricam & celerem eſſe hanc vitam, hominemque rapido adeo ac volucri curſu ad mortem ferri, quaſi ortus eius & occaſus, principium viuendi & finis, non magis inter ſe disiungerentur, quàm duo verba, quæ vnâ tantùm inter ſe literâ diſtinguuntur. Quam humanæ vitæ fragilitatem & inconſtantiam conſiderans, ſic hominem deſcribit Ariſtoteles: *Homo*, inquit, *eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus, inconſtantiæ imago, trutina calamitatis.*

VI. *Homo mutabilitatis & inconſtantiæ theatrum. To. 10. ſermone primo.*

Et ſanè ſi quis caſus omnes & pericula, quibus obnoxij ſumus mortales, neciſque irruentes vndique occaſiones perpendat, non abs re locutum hac in parte Philoſophum reperiet, hominemque veriſſimum inconſtantiæ ac mutabilitatis theatrum eſſe deprehendet. Ad quod appoſitè Diuus Auguſtinus, *Inter caſus*, inquit, *ambulamus: ſi vitrei eſſemus, minùs caſus timeremus* Tot nimirum, tamque inopinati ſunt & improuiſi, vt nec Argi oculis præuidere quis cunctas poſſit, nec vlla diligentia præuertere. Quiſquis proinde illos ſerio conſide-

conſiderauerit, merito affirmabit, non Damoclis ſolùm, ſed omnis omnino hominis capiti mortem ſetâ tantùm equinâ impendere.

VII. *Mille mortis viæ.* Mille ergo mortis viæ: hos morbi vis, & in ipſis viſceribus, ac veluti domi nata mors interimit: illos in prælio gladius ad multa millia, vno, vt ita dicam, ictu demetit. Multos diuturna ægritudo lentâ tabe conficit: alios acuta febris paucorum dierum ſpatio abripit Hos abſumit ignis, illos aqua abſorbet. Hic dolore, ille gaudio interit: quod Chiloni Lacedæmonio, qui vnus fuit ex ſeptem Græciæ ſapientibus, contigit: is filium in Olympiacis certaminibus victorem & coronatum cernens, dum eum gratulabundus amplectitur, immodicâ geſtiens lætitiâ, in ipſo illius amplexu concidit exanimis, filiique triumphum funeſtiſſimum reddidit. *Chilo Lacedæmonius gaudio extinctus.* Hic ſubito iræ ardore correptus, dum excandeſcit, interno calore conflagrat, & igne ſuo extinguitur: ille econtra repentino metu, veluti glacie conſtrictus rigeſcit.

VIII. *Nimia mortem vitandi ſolicitudo quibuſdam mortis cauſa.* Imo nimiâ interdum ſolicitudine caſus, quibus expoſita eſt hominum vita, declinandi, in mortis nonnulli ſeſe fauces coniiciunt, & fugiendo accerſunt. Quo in genere ſingulare eſt illud, quod de Æſchylo fertur: huic vehemens, neſcio vnde, inſederat animo cogitatio, ſe certo die, rei alicuius in eum decidentis ruinâ interiturum. Die ergo illo adueniente, vt periculum effugeret, in latum & apertum campum ſe ſummo mane contulit, ibique ab omni, non domo tantùm ac pariete, ſed etiam arbore, quàm potuit remotiſſimè perſtitit, ruinæ, vt ipſi videbatur, niſi cœlum rueret, ſecurus. Hic itaque, dum in aprico, nudo & caluo capite ſedet, aquila ſuperne in aëre prætervolans, & raptam in altum teſtudinem vnguibus gerens, glabri illius capitis ſplendore eluſa, & ſaxũ rata, prædam in illud rectâ demittit, vt fractâ teſtudine, medullâ eius, ſeu carne veſceretur: ſicque eâ dem operâ medullam teſtudini, Eſchylo cerebrum excuſſit. *Æſchyli interitus.* Hic ergo ex nimiâ vitæ ſeruandæ anxietate, vitam

Digitized by Google

vitam amiſit, quamque veriſimiliter domi vitaſſet mortem, foris quæſiuit: Deo id permittente, vt qui vel ſomniis quibuſdam, vel vanis aſtrologorum prædictionibus ſuperſtitiosè fidem adhibuerat, ſtultæ credulitatis meritas pœnas daret.

IX. *Senum quorundā conſuetudo.* *Quidam ſe minores natu fingunt.*

Ex his ergo conſtat, quàm inanis ſit quorundam ſenum conſuetudo, qui nimiâ vitæ auiditate, variis vtuntur artibus, vt ſibi imponant, & vel falsò multos etiamnum ſibi annos ſupereſſe perſuadeant. Hic itaque minorem ſe natu fingit, partemque aliquam ætatis detrahit, & hoc pacto ſibi tanquam iuueni blanditur, ac ſe qualiquali hoc mendacio ſolatur & lactat: poſt certum etiam tempus, vbi ſerio ſe ſeneſcere animaduertit, in annorum computatione ſiſtit, & frænum quaſi vitæ iniicit, ne nimis properè elabatur. Sed quantumcunque hic numerando, tempus certè, vitæque momenta fluēdo non ſiſtunt; ſed nunquam intermiſsâ ſerie ſtatum curſum ſeruant:

Duræ peragunt penſa ſorores,
Nec ſua retro fila reſoluunt.

Annos ſibi quidam, non canos detrahunt.

Annos hic ſibi non canos detrahit, & fictam iuuentutem vera ſenectus tingit, ſuaque vel nolentem gerere cogit inſignia.

X. *Alius ætatem diſſimulandi modus.* *Calua excuſatio.*

Alius, vbi crines omnes è capitè ſenio defluxiſſe perſpicit, ætatis vitium arte ſupplet, capillumque ſibi adſcititium apponit, ſicquè alienis ornatus exuuiis, erecto incedere ceruice nititur, mortemque needum ſibi accedere debere prætendit, cum cæſaries etiamnum integra ſit, comaque nullâ ex parte imminuta. At calua eſt hæc excuſatio, quantumuis videatur capillata: cum namque ingraueſcentes anni veros capillos excuſſerint, parum eſt in ſuppoſititiis præſidij.

XI. *Capillos nonnulli tingunt, & ex albis nigros faciūt.*

Alius denique tingit capillos, & aduentitio colore canos imbuit, atque ita ſenem ſe exuiſſe autumat, ſibique veluti refloreſcenti viridem denuo ætatem gratulatur, ac ſe tanquam Phœnicem ex ſuis iam cineribus prodeun-

prodeuntem intuetur. Sed haud facile eſt morti fucum facere: *Scit te Proſerpina canum.* Mors Lynce eſt oculatior, non his ei præſtigiis imponitur: ſub iuuenili larua ſenem conſpicit, artiſque illud mendacium facile refutat. nouit ex canâ radice nigros capillos ex cygneâ ſtirpe coruos non procedere Nihilo proinde ſerius ius ſuũ repoſcet, nec ob machinationes haſce & fallacias vel ad momentum differet, quo minùs iuueneſcentem hunc, vel potius repuereſcentem ſenem rapiat.

Omnia ergo hic internecioni obnoxia: ſola mors eſt immortalis, ſola viuit, ſola lautum ſibi vendicat, tot Regum coronis redimita, tot galeis ac loricis, omnique armorum apparatu à fortiſſimis detracto Ducibus cataphracta, tot omnium Gentium ſpoliis ditata: vtpote cuius vim, nullâ quiſquam induſtriâ aut conatu declinare vnquam potuit: vt rectè dixerit Seneca, *Mortem nulla diligentia euitat, nulla fœlicitas domat, nulla potentia vincit.* Orbis nimirum triumphatrix, vbique victricia ſigna explicat; cunctaque ſuo ſubiicit imperio. XII. *Sola Mors morti non obnoxia.* *Lib. 2. natur. quæſt. c. vltimo.*

CAPVT TERTIVM.

Vitæ breuitas & incertitudo mortales admonet, maximi omnium intereſſe, vt eam ſemper rectè habeant inſtitutam.

NEmo quàm bene viuat, ſed quamdiu curat, inquit Philoſophus, *cum omnibus poſſit contingere, vt bene viuant: vt diu, nulli.* Non illius tantùm ætatis limitibus definita eſt ea conſuetudo, ſed hæreditario quodam humani generis malo, ad hæc vſque tempora, tot iam labentibus ſæculis transfuſa, & ſeneſcente mundo viget etiamnum in mortalium animis vitam conſeruandi & augendi, non emendandi ſtudium, primaque hæc omnibus cura, vt ætatem ad vltimam vſque ſenectutem & canitiem I. *Seneca ep. 22. fine.* *Longa vita omnibus cura eſt, non bona.*

canitiem producant, quàm cani mente ſint, quàm inquam virtutum præſidio inſtructi, nil penſi habent. Cum ergo quàm fallax & lubricus vitæ huius curſus ſit declarauerim, nunc quantum bona vita, ad honeſtatis ſcilicet, rectæque rationis normam exacta, omnibus expetenda ſit oſtendam.

II. Et ſanè tanti probè & honeſtè inſtitutam vitam faciendam exiſtimarunt antiqui, vt quiſquis perditis eſſet moribus, ſceleribuſque ac flagitiis addictus, hunc nè viuere quidem arbitrarentur. Sic Democrates: *Viuere, inquit, imprudenter, intemperanter, impiè, non tam viuere eſt, quàm ſenſim mori.* Et Seneca: *Diu vixit, qui bene vixit: qui autem male vitam inſtituit, non diu vixit, ſed diu mortuus eſt.* Is nimirum non longam duxiſſe vitam cenſendus eſt, ſed diuturnâ morte extinctus. Quo pacto namque viuere dici poteſt, cuius pars melior, anima ſcilicet mortua eſt, imo cadauerosa, tota ſanie ac putredine diffluens, vitiorumque vermibus exeſa.

Diu vixit, qui bene vixit.

III. Adde ob maximam, quam ſecum virtus fert amœnitatem, mentiſque iucunditatem, & delicias, ſummo in pretio habendam honeſtam integramque vitam, omnique ſtudio ac diligentiâ amplectendam. Quid enim tam votis omnibus expetendum mortalibus, quàm vt animum inter tot moleſtias pacatum, inter tot tempeſtates ſerenum, denique inter tot angores & acerbitates lætum habeat & erectum. Peregrinus aliquando Lacedæmone Diogenes, eum à quo hoſpitio exceptus fuerat, ſummum tum veſtium, tum aliarum omnium rerum apparatum facientem videt. Cauſam ſciſcitanti reſpondet hoſpes, feſtum quendam diem inſtare, ritu maximè ſolemni ac ſplendido, omnibuſque lætitiæ ſignis tranſigendum. Tum Diogenes: *Quid, inquit, an non viro probo quiuis dies feſtus eſt?* Eſt ſanè, mentiſque ſingulari lætitiâ, ac ſummâ animi alacritate tranſigitur: cum tamen mens improbi acerbiſſimo ſemper cruciatu, doloriſque aculeis vrgeatur, corque ei tot ſpinis

Quanti facienda ſit bona vita.

Viro probo quiuis dies feſtus eſt.

nis transfixum ſit, quot vitiis.

Sed hic de re ſæpius ſupra Cum ergo in ea nunc verſer Philoſophiæ parte, quæ mortis conſiderationem proponit, inde potiſſima ad rectam morum informationem, virtutiſque ſedulam exercitationem ratio deſumenda. quòd ſcilicet ex vitâ bene vel malè actâ mors bona vel mala oriatur: hæc quippe vitam ad amuſſim referre ſolet, vtpote ex qua velut è radice procedit. Hæc antiquitatis vox eſt. hoc ſacri, hoc prophani auctores vno omnes ore teſtantur, & tanquam quoddam oraculum ad poſteros tranſmiſerunt. Hinc axioma illud, quo nihil olim apud Philoſophos vſitatius: *Diſce viuere, diſce mori:* quaſi eadem hæc eſſet lectio, & eo ipſo quod quis artem viuendi diſceret, artem pariter diſceret moriendi Hinc etiam ortum habuit dictum illud: *Faber quiſque, vt Fortuna, ita & Mortis ſua.* Vitam quippe formando, format mortem, & vtramque iiſdem ducit lineamentis. IV. *Vita bena mortis principium.* *Diſce viuere, diſce mori.*

Hinc Mortem quidam non inſcitè ſigillo comparant: quam enim quiſque ſculpit, vt ita dicam, certaque actionum ſerie, velut tot tractibus in anima cælat imaginem, eandem poſtea mors exprimit, perpetuoque ſignat charactere. Exempli causâ, candidis quis moribus, vitæque puritate & innocentiâ in ſe columbæ lineamenta ducit: mors columbam ſignat, & ex candidâ illâ animà columbæ nunquam character delebitur. Sublimi quis volatu cœlum petit, altâ inquam ſupernarum rerum contemplatione terrena tranſgreſſus diuinum ſolem aquilinis oculis, quantum mortali fas eſt, aſſiduè intuetur: mors aquilam ſigna, nobiliſque ille character, eius ſemper hærebit animæ impreſſus. Econtra vero ſi quis in turpium ſe voluptatum cœno volutando ſordidi cuiuſpiam animalis formam induat, ſeque in beſtiam fœdâ metamorphoſi tranſmutet, mors eundem ſignabit characterem, tetraque illa & probroſa ſpecies in eo, ſummo ſemper cum dedecore & ignominia perſiſtet. V. *Mors ſigillo ſimilis.*

ſiſtet. Ei denique omni quod vita ſcribit, mors ſubſcribit, ſuoque in perpetuum firmat calculo.

VI. *Eucritus Chius erroris arguitur à Philoſophis.* Quare erroris omnes, imo & ſtultitiæ arguunt Eucritum illum Chium, qui interrogatus, malletne Crœſus eſſe an ſocrates (quorum ille luxurioſiſſimæ, hic integerrimæ vitæ habebatur, & innocens ad mortem damnatus) reſpondit, in vita ſe Crœſum futurum, in morte Socratem. Sed erraſſe eum hac in parte omnes affirmãt, neque enim Socrates morietur, niſi qui vixit Socrates, nec vitam flagitioſam & nocentem mors ſequitur innocens.

VII. *Mors vitæ Echo.* *Vita* ergo & *Mors* eo fere modo ſe habent, quo *Vox* & *Echo*? vt enim hæc expreſſum à voce verbum reciproco ſemper ſono reddit, ita mors verbatim, vt ita dicam, vitæ reſpondet, dictaque ab illa, eo quò prolata ſunt tenore repetit, iiſdemque articulatim ſyllabis pronunciat. Si vita, conſtante piarum operationum ſerie, veluti iucundâ quadam vocis inflexione præeundo (*Habent & facta linguas ſuas.* nam habent & facta linguas ſuas) *Sancta* dicat, mors *Sancta* reponit. Si vita, *Virtutem, beatitudinem, cœlum* loquatur, mors totidẽ verbis ac ſyllabis reſpondet. Si vero vita flagitioſè tranſacta, triſti & infauſtâ voce *Infernum, pœnam, Cruciatum* clamet, mors funeſtiſſimo planè ſono eadem reddet, ne vno quidem apice, niſi ante mortem rẽſipiſcat (quod tamen in homine ſcelerato, vitiiſque totâ pene vitâ innutrito, eſt difficillimum) relicto: vt veriſſimè dixerit S. Auguſtinus: *Non poteſt malè mori, qui bene vixerit: & vix bene moritur, qui male vixit.* Et S. Cæſarius: *Percutitur hac animaduerſione peccator, vt moriendo obliuiſcatur ſui, qui viuendo oblitus eſt Dei.*

VIII. *Ars artiũ eſt, vt quis diſcat viuere.* Ex his ergo conſtat, ſapienter dixiſſe Platonem, cæteris omiſſis diſciplinis, in hanc vnam seriò incumbendum, vt quis *diſcat viuere*, moreſque ſuos ad virtutis & honeſtatis normam exigere. Hoc quiſquis didicit, eſto alia omnia ignoret, meritò in literatorum numero eſt reponendus. Qui vero iſtud neſcit, quantumuis artibus omnibus

omnibus ſit inſtructus, rudis eſt & ignarus. Concludo itaque cum Seneca; *Viuere totâ vitâ diſcendum eſt*, *imo* (quod eodem recidit, vt oſtenſum eſt) *totâ vitâ diſcendum eſt mori.*

CAPVT QVARTVM.

Sera nimis vita eſt craſtina.

CVlpat Romanos Plutarchus, quòd non niſi multis poſt vrbem conditam annis, ac prope ſeneſcente Republicâ, *Virtuti* templum poſuerint. Iam *Fortuna, voluptas, ſalus, fœlicitas, Libertas, Quies*, & alij id genus minorum gentium Dij deæque ſuas intra vrbis pomœrium ſedes, nobilique loco erecta ſibi habebant delubra: *Virtuti vero*, inquit, *non niſi ſero*, longâque elapsâ annorum ſerie, fanum ab iiſdem eſt ſtatutum. I. *Plutarchus lib. de Fortuna Romanorum.*

Quod Romanis vitio vertit Plutarchus, idem de non paucis hoc noſtro tempore iure quis affirmauerit, vltimam ſcilicet iis virtutis curam eſſe, poſtremoque loco de æde illi extruenda cogitare. Pueritiam nimirum nugis conſecrant, adoleſcentiam voluptati, reliquum vitæ tempus omni vitiorum generi addicunt, ſingulisque ſingula veluti erigunt altaria, ac tandem ſero, in vltima ſcilicet ætate virtutis recordantur, eique non tam ſe, quàm cadauer ſui tribuũt, & tum primùm viuere incipiunt, cum primùm incipiunt mori. II. *Poſtrema non paucis eſt virtutis cura.*

Nulla ergo periculoſior inſidere mortalibus ſolet cogitatio, quàm quæ moram huiuſcemodi, & cunctationem iniicit, vtpote quæ lento quodam torpore eorum mentes occupat, intimiſque ſeſe medullis implicans, omnes animi neruos elidit, homineſque effœtos reddit & languidos. Non eos latet virtutis præſtantia, non honeſtæ recteque inſtitutæ vitæ amœnitas, non quies illa & tranquillitas, qua fruuntur ij, qui ſerio ſeſe III. *Mora torporem ſenſim iniicit.*

pietatis exercitiis applicant. Hæc,inquam,omnia non ignoraniſsimo vero virtutem ſe aliquando amplexuros, temporiſque quam modo faciunt iacturam in ſenectute compenſaturos,ac frugi futuros dictitant. Sed *ſera, vt aiunt,eſt paſſimonia in fundo:* qui temporis antea fuerunt tam prodigi , totque annorum ſpatium otio & inertiâ perdiderunt , fruſtra in poſtremis annis tantum ſibi in hoc genere induſtriæ, tantum lucri pollicentur. Ægrè ſocors iuuentus ſedulam parit ſenectutem. Ægrè vitam in vitiis traductam honeſtus finis excipit. Adde, in media frequenter ætate , ipſaque etiam non raro adoleſcentia homines abripi , ſicque huic moræ immoriuntur, & ante viuere deſinunt quàm incipiant , vnaque cum ipſis vana hæc deſideria in flore deflorescunt.

Sera eſt paſſimonia in fundo.

Aegrè ſocors iuuentus ſedulâ parit ſenectutem.

IV. Quare ſapientiſſimi quique viri acerrimè in eos inuehuntur,qui temporis, quo nihil pretioſius mortalibus à natura datum eſt, valorem minimè vt par eſt expendentes,illud inutiliter inſumunt , *In eo profuſiſſimi,* inquit Philoſophus, *cuius vnius honeſta eſt auaritia* , & tanquam rem nullius momenti dilabi permittunt, cum tamen momenta eius ſingula, ſi quis vti norit , gemmæ ſint , omnibus Indiarum theſauris pretioſiores.

Vnius tẽporis honeſta eſt auaritia. Seneca de breuit. vita,c. 3.

V. Hinc nihil olim apud Philoſophos frequentius,nihilque altiùs auditorũ imprimere animis nitebãtur,quàm *Noſce tẽpus. Parce tempori:* vt ſcilicet, quanta eius ſit præſtãtia cognoſcentes, ſummâ illud cũ vtilitate & fructu, vt æquos rerum æſtimatores,boniqueſui ſtudioſos decebat,impenderent. Huc etiam ſpectabat dictum illud Democriti: *Pretioſiſſimum impendium tempus.* Hoc etiam Zenoni,hoc Theophraſto , hoc ſapientiſſimo cuique ex antiquis in ore ſemper fuit,ſuiſque ſectatoribus vt principium ad vitam rectè inſtituendam longè efficaciſſimum tradebant. Quibus ſubſcribit Seneca: *Nemo,* inquit, *vllum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus.* Ad quam rem apprime etiam facit, quod de Roma-

Noſce tempus. Parce tempori. Pretioſiſſimum impendiũ temporis. De animi tranq. c.1.

Romanorum ſapientiſſimo Catone refertur, quem triũ pœnituiſſe aiunt: *Quòd arcani quicquam fœminæ credidiſſet: quòd nauigio vectus quopiam fuiſſet, quo pedeſtri itinere peruenire potuiſſet: quòd denique diem vllum ſibi per negligentiam ſine fructu effluere permiſiſſet* Rectè proinde Bias, quanta temporis vtiliter impendendi ratio omnibus habenda ſit denotans: *Nihil,* inquit, *tam accuratam in metiendo diligentiam deſiderat, ac tempus. Adeo quippe exactè metiendum eſt, vt neque rationi quicquam ad benè operandum deſit, neque libidini quicquam ad malè agendũ ſuperſit.* *Trium pœnituit Catonem.* *Sapiens dictum Biantis.*

VI. Imo vero illud ſolum vitæ tempus cenſebant, antiqui quod rectè fuiſſet impenſum, tantumque homines vixiſſe affirmabant, quantùm bene vixiſſent. Sic Seneca: *Sæpe fit,* inquit, *vt qui diu vixit, parum vixerit* Si nimirum, non in virtute, rebuſque homine dignis, ſed in nugis, aut etiam vitiis ætatem agendo, tempus inutiliter triuiſſet. Hinc Simonides, cum ad extremam ſenectutem perueniſſet, de annorum numero interrogatus, *Annos,* inquit, *habeo plurimos, vixi paucis.* Tum ſcilicet viuere ſe incepiſſe ſignificans, cum cæteris omiſſis, ſerio ſe ad vnius animi cultum, virtutiſque exercitationem accingeret. Tantundem præſtitit Adriani Imperatoris præfectus, *Similis* nomine. Is cum maximam vitæ partem in Aulæ deliciis, omnique voluptatum genere traduxiſſet, præfecturæ tandem renuncians; ſeptem annis priuatus egit, ſuique curam gerens, totum ſe ad mentem excolendam, moreſque rectè inſtituendos contulit: idque vnicum vitæ ſuæ tempus indicabat. Vnde hoc Epitaphium ſuo incidi ſepulchro iuſſit: *Hic ſitus eſt Similis, qui multos annos egit, ſeptem autem vixit.* *Tantùm quis vixit, quantùm benè vixit.* *Epiſt. 49.* *Simonides plurimos annos habuit, vixit paucis.* *Epitaphiũ Præfecti Adriani Imperatoris.*

VII. Si ergo Titus Imperator, qui ob ſingularem in omnes benignitatem & munificentiam, cæteraſque virtutes Principe dignas, *Humani generis deliciæ* dictus eſt, ſi inquam hic veſpere aliquando recordatus, ſe eo die in neminem beneficium contuliſſe, exclamauerit; *Amici,* *Titus humani generis deliciæ dictus.*

Cur diem ſe perdidiſſe clamaret.

diem perdidimus: quid de illis exiſtimandum, qui vbi ad veſperam, finem ſcilicet vitæ peruenerint, recordantur ſe non vnum aliquod, ſed omne omnino virtutis genus perniciosâ illâ procraſtinatione omiſiſſe, innumeris inſuper ſe contaminaſſe flagitiis? Exclamare meritò poſſunt: *Amici, diem, imo menſes, annos, ætatem perdidimus.* Tunc moram illam ſuam damnant, optantque melius vitæ ſe ſpatium impendiſſe. Sed *ſerò ſapiunt Pryges:* elapſum ſemel tempus nullis lachrymis reuocatur: vnde in ſummis anguſtiis, animique mœrore & acerbitate vitam finiunt, documentoque omnibus ſunt, quàm parum ſapienter homines, vel ex innatâ quadam inertiâ, vel timore difficultatis, vel volaptatum, quibus iam aſſueuerunt, affectu, virtutis exercitationem in vltimã ſenectutem differunt. Ad quod appoſite Philoſophus: *Quid*, inquit, *turpius, quàm ſenex viuere incipiens?*

Sen.ep. 13. fine.

VIII. *Mora morbus periculoſiſſimus.*

Morbus itaque periculoſiſſimus *Mora*, quæ cuius ſemel animam occupauerit, torpeſcit illico, ac veluti ſitum contrahit, aureæque florentis ætatis horæ, quibus nihil pretioſius, ſine fructu dilabuntur, ac ſpecioſo virtutem, vbi iuuentutis impetus, robuſtæque ætatis æſtus deferbuerit, conſtantiùs exercendi prætextu, otio ita in dies langueſcunt homines, vt cum ad ſenectutem venerint, nihil minùs quàm de virtute cogitent. Cum corpore nimirum eneruatur animus, vnaque cum ipſis ſeneſcunt deſideria, & morâ creſcente decreſcunt, votaque tandem in ventos abeunt, & corpus morbis, animam vitiis immerſam relinquunt.

IX. *Procraſtinatio maximè vitanda.*

Iuuenis ergo, quiſquis es, quem virtutis amor, vitæque melioris ſtudium tenet, abrumpe moras, nec faſtidioſo huiuſcemodi languore mentem hebeſcere, viuidaque illa deſideria inerti procraſtinatione obtundi permittas. *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Expergiſcere, inquam, & ad virtutem accingere, nec illius exercitationem in vltimam ætatem, vitamque in vitæ finem differ. Si Deo offerre roſas velis, recentes offer,

offer, non marcidas, Abelis ſacrificium, non Caini: ſi eo ei præbere cogites, purum præbe, non vitiorum ſordibus Ægei ſtabulum factum. Nec te, qui ſubeundus eſt labor, aut difficultas terreat, exigua hæc ſunt maturè inchoantibus, vſuque in dies minuuntur. Audi Plutarchum: *Vitam delige optimam: dulcem eam conſuetudo efficiet.* Magno ergo animo pulcherrimũ hoc opus, rectam ſcilicet vitæ inſtitutionem aggredere. Moroſam omnem cunctationem, certiſſimum mentis venenum, excute coruos illos *Cras, Cras,* tibi clamantes abige, *ſera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.* *Vitam delige optimam: dulcem eam conſuetudo efficiet.* *Plut. de ſani. tuenda.*

Finem imponat præclarus hac de re Philoſophi diſcurſus. *Sic* inquit, *formemus animum, tanquam ad extremum ventum ſit. Nihil differamus. Quotidie cum vitâ paria faciamus. Qui quotidie vitæ ſuæ ſummam manum impoſuit, non indiget tempore, &c. Ille ex futuro ſuſpenditur, cui initium eſt præſens, &c.* Ideo propera viuere, *& ſingulos dies ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt. In ſpe viuentibus proximum quodque tempus elabitur:* &c. Hæc ille Lucilio: quæ quiſque ſibi dicta putet. X. *Seneca Epiſt.* 101.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

Præcipuum moralis vitæ fundamentum, Noſce teipſum.

PHiloſophorum quiſquis ſcripta percurrerit, varias in iis ſententias, acuteque identidem & ingenioſè dicta, velut quaſdam hinc inde intermicantes gemmas, aut, vt veriùs dicam, ſidera conſpiciet, quæ eximio ſuo ſplendore non minùs oculos mentis, quàm cæleſtia illa ſidera corporis oculos perſtringunt, vtpote quæ non à ſole, ſed ab ipſo Naturæ lumine, cuius radij ſolis fulgorem longo interuallo ſuperant, quaſdam in ſe deriuatas

Digitized by Google

habet ſcintillas. Vt ergo ſtellarum conſpectu Nautæ ita horum intuitu ſiderum inter tot vitæ huius procellas ac tempeſtates curſum ſuum moderabantur Philoſophi, eorumque ductu vitiorum ſyrtes & ſcopulos declinabant, atque ad virtutem, quò vela & vota dirigebant, rectà gradiebantur. Has inter ſtellas præcipua, quamque vt Cynoſuram cuncti intuebantur, erat *Noſce teipſum*: huic Philoſophi primas deferebant, eamque in periculoſiſſimâ hac nauigatione & curſu ductricem fixis ſemper oculis, & ſpectabant ipſi, & aliis ſpectandam proponebant. Hoc itaque principium, cùm ad rectam vitæ morumque informationem, quæ huius operis ſcopus eſt, præcipuè ſpectet, breuiter, quantum rei grauitas patietur, declarabo.

Noſce teipſum, *humana vita Cynoſura.*

CAPVT PRIMVM.

Quantum vniuſcuiuſque ad vitam rectè inſtituendam interſit, vt ſui habeat cognitionem.

1\.

OCulus, quemadmodum ex omnibus corporis humani partibus pars eſt elegantiſſima, ita plurimis eſt affectionibus obnoxius. Vnde, vtcum Galeno obſeruant artis medicæ periti, centum duodecim diuerſi reperiuntur ad oculum ſpectantes morbi. Mihi vero non inter minimos, vel morbos oculi, vel defectus recenſendus hic videtur, quòd ſcilicet, cum cætera cernat omnia, & minutiſſima quæque perfectiſſimè internoſcat, ſeipſum tamen intueri omnino nequeat, ſed in rebus aliis perſpicaciſſimus, ſibi cæcus quodammodo exiſtat. Tantundem mentis oculo vſuuenire ſolet: cui quanquam indita à natura vis ſit, qua ſibi attendere, ſeque in ſeipſum reflectere poſſit (in quo corporeum organum excedit) ea tamen vt plurimum eſt hominum indoles, vt ſui immemores, mente in alia omnia commigrent,

112. Diuerſi ſunt oculi morbi.

migrent, rebuſque cæteris perquam familiares, ſibi ſint peregriniſſimo remotiſſima quæque non raro maximè perſpecta habent & explorata, quid domi agatur ignari.

Quare antiqui illi Ægyptij, hominum ſagaciſſimi, dum ſapientiâ prædirum exprimere, aptoque declarare ſymbolo vellent, humanâ quempiam ſpecie pingebant, oculum pectori infixum gerentem: quo denotabant prudentis viri eſſe, oculos in ſe ſemper reflectere, ſibique ſe obiicere, & ad ſuos identidem calculos reuocare, vt perfectam propriæ imbecillitatis & indigentiæ notitiam adeptus, quamque anguſta ei res ſit dignoſcens, non vanè ſeſe efferat, aliiſque fatuè anteponat, nec falsâ ſecuritate fretus, ſibique nimium præfidens, curam ſui intermittat, & hoc pacto in mille, quæ hominem vndique circunſtant mala, incautus prolabatur. Hinc dictum illud toties uſurpatum; *Sexcentis oculis te circumſpicito:* quo omnibus redigebatur in memoriam, ne aliis intenti, ſui cognitionem omitterent, ſed in id toti incumberent, vt ſibi ſemper ante oculos, verſarentur, ſeque haberent quàm exploratiſſimos. II. *Viri prudentis ſymbolum.* *Sexcentis oculis te circumſpicito.*

Omni proinde curâ ac diligentiâ contendebat ſocrates auditorum ſuorum animos ab Aſtrologiæ rerumque curioſarum diſquiſitione ad Ethices ſtudium traſferre, quòd ſcilicet Ethice hominem ſuiipſius cognitionem, quæ totius moralis vitæ fundamentum eſt, expeditiſſimaque virtutem adipiſcendi ratio, doceret. Hanc vero lectionem quiſquis non didicit, qui inquam ſui ignarus eſt, quibuſcunque imbuatur artibus & diſciplinis, abſtruſaque etiam maximè & abdita ſcrutetur ac penetret, rudis cenſendus eſt, & imperitus, vtpore qui veræ literaturæ prima elementa, ſeipſum ſcilicet non nouit. Quis namque eum vel docti vel prudentis explefſe partes dicet, *Qui* (vt quibuſdam ſui temporis exprobrat Pacuuius) *qua ante pedes ſunt neſciens, cœli ſcrutatur plagas.* Qui ſcilicet aſtrorum ſitum, varietatem & nume- III. *Cur ſocrates ſuos ad Ethicē hortabatur.* *Quidam, qua ante pedes ſunt neſcij, cœli ſcrutantur plagas.*

numerum, Solis & Lunæ labores, Æſtatis & Hyemis, veris & autumni, caloris ac frigoris, lucis & tenebrarum ſtatas vices, & id genus alia apprime callet, ſui interim animi labores quot nimirum internis motibus & fluctibus agitetur, quibus vltro citroque, velut æſtu quodam, cieatur affectibus, quæ mentem occupent tenebræ, quas patiatur Eclipſes, omnino non conſiderat, ſed rebus aliis oculatus, cæcutit ſibi.

IV. Huic ergo malo vt occurrerent Philoſophi, hominiſque animum, vbique libentiùs quam domi commorantem, ad ſe identidem reuocarent, nihil in ore habebant frequentius, quàm *Tecum habita*: per quod monitos omnes volebant, vt, quo eos cunque ſciendi ardor, honeſtiſſimaſque etiam artes addiſcendi ſtudium raperet, hanc tamen artem artium, ſeipſos ſcilicet cognoſcendi, non negligerent, ſicque aliarum rerum memores eſſent, vt ſui non eſſent immemores. Denique neminem vere doctum & eruditum cenſeri poſſe affirmabant, qui huic libro, ſibi ipſi ſcilicet accuratè non ſtuduiſſet.

Tecum habita.

V. Hinc interrogatus aliquando Demonax Philoſophus, ob variam eruditionem, bonaſque quas callebat artes, inter ſuos nominatiſſimus, quando cœpiſſet Philoſophari: *Tunc*, inquit, *cum meipſum cognoſcere incepi*. Quaſcunque nimirum literas didiciſſet, illiteratum ſe nihilominus ſine hac ſcientia arbitrabatur, & nihil noſſe animum ſui neſcium.

Demonactis Philoſophi reſponſum. Nihil nouit animus ſui neſcius.

VI. Tanti denique apud antiquos omnes fuit hoc principium. *Noſce teipſum*, vt in ipſo aditu & valuis templi Delphici, velut oraculum de cœlo lapſum, literis illud aureis ſcribi voluerint: quod eo conſilio ab iis factum affirmat Plato, quò denotarent præcipuum id eſſe honeſtæ ac moralis vitæ fundamentum, veræque omnis ſapientiæ originem, nec eum quidquam ſcire, qui ſeipſum neſcit. Et alibi idem Plato *neminem*, ait *aut prudentem, aut bonum, aut fœlicem eſſe poſſe, qui ſeipſum non probè norit.*

Noſce teipſum, *cur valuis templi Delphici inſcriptum.*

CAP.

CAPVT SECVNDVM.

Miſer hominis ſtatus & conditio proponitur, vt inde ſe quiſque meliùs cognoſcat.

PLato alios in ſuam diſciplinã non admittebat quàm Geometras: eos ſcilicet, qui vniuerſi limites ac terminos, variaque dimenſionum & proportionum genera callerent, ac iuſtam de re quauis ſumere menſuram noſſent. Vnde & ſcholæ ſuæ foribus inſcripſit. I.

Plato in ſuam ſcholam ſolos admittebat Geometras.

Ἀγεωμέτρητος ὐδείς εἰσίτω.

Nullus ingrediatur Geometriæ ignarus.

AT, quæcunque hac in parte fuerit mens Philoſophi, ac Geometriæ ad doctrinam Academicam addiſcendam neceſſitas, Geometra certè reſpectu ſui ſit oportet, proprij inquam Microcoſmi accuratè terminos circumſpiciat, iuſtamque eius capiat menſuram, ac ſuo, vt aiunt, ſe pede metiatur, quiſquis virtutem conſequi, veræque Philoſophiæ præceptionibus excolere animum cupit. Proportiones inſuper variæ hominis cum rebus aliis, ac veluti dimenſiones cuique obſeruandæ, quo pacto ſcilicet Deo comparatus nihil ſit, imo reſpectu etiam aliorum hominum quàm exiguus, ac nullius prope momenti. Omnes denique explere in ſe Geometræ partes debet, idque omni ſtudio curare, vt ſidi plenè innoteſcat, propriâque tenuitate & imbecillitate perſpectâ, non vanè extollatur, ſed intra ſuos ſeſe limites coërceat. II.

Tuo te pede metire.

Alcibiades, ſummo apud Athenienſes loco natus, iuuenis fuit tum eximiâ corporis pulchritudine, tum ingenij III.

genij

Plutarchus in vita Alcibiadis, non longè ab initio.

genij præſtantiâ, aliiſque naturæ dotibus inſtructus. Hunc generis nobilitas, ac ſplendor natalium, honores item ampliſſimi ac dignitates, opumque & facultatum ingens copia, aſſentatorum denique greges, Principum ſemper virorum appendices, ita inflatum ac tumidum reddiderant, vt elato incedens ſupercilio, omnes aſpernaretur, haberetque contemptui: ac demum, vt vitiorum omnium origo eſt ſuperbia, moribus erat profligatiſſimis, ad omnem turpitudinem proiectus.

IV. *Familiaritatem cũ ſocrate init Alcibiades.*

Florebat eâ tempeſtate Athenis ſocrates, ſapientiæ laude, virtutiſque commendatione inſignis. Huius modeſtiâ primùm & ſummâ, quam præ ſe ferebat, grauitate delectatus, mox etiam conſuetudine captus Alcibiades, aliis omnibus reiectis, maximam cum eo neceſſitudinem & amicitiam contraxit, eiuſque quàm familiariſſimè conſortio vtebatur.

V. *Quo pacto Alcibiadẽ ad meliorem frugẽ reduxerit ſocrates.*

Vbi Adoleſcentis indolem plenè perſpexiſſet ſocrates, omnem captabat occaſionem, honeſtæ & integræ vitæ principia ei quædam inſtillandi, vt affectæ eius menti opem ferret, illumque ad meliorem ſenſim frugem reduceret. Cum vero in animi elatione, ac ſummâ quam de ſe, ſuæque familiæ ſplendore conceperat exiſtimatione, vim morbi præcipuè ſitam eſſe animaduerteret, omnem adhibebat operam, vt hunc ei errorẽ euelleret malumque tolleret in radice.

VI. *Vera & falſa nobilitas. Pares omnes naſcimur, & ſolâ virtute diſtinguimur.*

Docebat proinde, quantumcunque ex illuſtri quis ac ſplendida ſit ſtirpe oriundus, ſi tamen vitam inſtituat maiorum vitæ & factis decolorem ac degenerem, non hunc nobilem cenſendum, ſed ſub ſpecioſo nobilitatis titulo animum gerere plebeium. Non enim in fumoſis illis tabellis, antiquitatis teſſeris, ſed in generoſâ mentis indole, vera ſita eſt nobilitas: nec multarum homo imaginum, quæ fucus tantùm quidam ſunt & vmbræ, ſed variarum virtutum, cæteris dignitate antecedit. Pares quippe omnes naſcimur, & ſola virtute diſtinguimur: hac ergo quiſquis caret, nihil ab infimæ ſortis homine diſtat:

diſtat: & quantumuis magnus ſibi videatur, & fœlix, re tamen verà vilis eſt & abiectus, viuitque hominum miſerrimus.

VII. *Magna, ex ſui cognitione, in Alcibiade mutatio.*

His & aliis ferocientem iuuenis animum temperabat Philoſophus, & velut iniecto fræno coërcebat. Qui proinde, inquit Plutarchus, dimiſit criſtas, *& alas ad terram depreſſit*: atque, vt Tuſculanarum tertio ſub finem, ait Cicero, *Cum perſuaſum ei fuiſſet, nihil inter Alcibiadem ſummo loco natum, & quemuis baiulum intereſſe, afflictauit ſe Alcibiades, lachrymanſque ſocrati ſupplex fuit, vt ſibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret.* Aliis ergo ſe intueri oculis cœpit, ſuique iam ſibi conſcius, aliam longè viuendi rationem inſtituit, ac priore excuſſo Alcibiade, nouum induit. Nihil illo deinceps humanius, nihil affabilius, tantaque facilitate & comitate cum cuiuſcunque ſortis hominibus verſabatur, vt omnes in eo tantam morum mutationem obſtupeſcerent. Vnde inter nobiliſſimas, quibus Græciam illuſtrauit victorias, hæc, quam de ſe tulit, meritò cenſetur prima: nec vllus glorioſior Alcibiadis, quàm de Alcibiade triumphus. Tanti ad probam & honeſtam vitam intereſt cognitio ſui, tanti ad flagitioſam ignoratio.

Nullus glorioſior Alcibiadis, quàm de Alcibiade triũphus.

Et ſanè, ſeipſum maturè quiſquis inſpicit, hominiſque conditionem accuratè ac ſeriò perpendit, vberem cum Alcibiade cauſam inueniet altos ponendi ſpiritus, & alas ad terram deprimendi. Si quis namque hominem

VIII. *Miſera mortaliũ conditio.*

à primo ed vltimum vitæ inſtans conſideret, nihil in eo aliud, quàm concatenatam quandam malorum, ſeſe conſertis veluti manibus trahentium, quæque alia ex aliis naſcuntur, ſeriem deprehendet: nec ad eorum prius, quàm vitæ finem perueniet. Eius itaque in orbem ingreſſus eſt mane nubilum ad diem procelloſum, exitus vero, turbulentæ tragœdiæ triſtis epilogus: tot ſcilicet illius ſemper capiti impendent calamitates & miſeriæ, tot eum premunt anguſtiæ, tot vrgent curæ, tot cruciant dolores, tot diu noctuque timores ſolicitant, ac pene

pene de ſtatu mentis deiiciunt. Hominem proinde ſcitè ſuis depinxit coloribus Ariſtoteles vulgato illo dicto, ſupra ex alia occaſione allato: *Homo*, inquit, *eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus, inconſtantiæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina.* Eſt, inquit Triſmegiſtus, *Malorum congeries:* eſt ſentina vitiorum, errorum labyrinthus, theatrum infœlicitatis, miſeriarum microcoſmus. Hæc laudum eius epitome, hic catalogus excellentiarum: vt meritò dixerit Herodotus? *Omnino calamitoſa res eſt homo:* & Homerus, *Nil in terra ſpirat, nil repit homine miſerius.*

Omnino calamitoſa res eſt homo.

IX. *Cur homini data à natura lachryma.*

Hanc ob cauſam datas ei à naturâ lachrymas affirmant aliqui, tum vt tot ſibi miſeriarum conſcius, harum profuſione ſuum ex parte mœrorem leuet, tum vt illis velut tacitis quibuſdam oratoribus alios ad commiſerationem pertrahat, partemque aliquam calamitatum vnà ſecum, per mutuam doloris communicationem perferendam, vt eo minùs premant mala, quo in plures fuerint diuiſa. Sed, vt rectè Seneca, *Lachrymæ priùs deerunt, quàm cauſa flendi*, illarumque citiùs quàm miſeriarum fons exhaurietur. Hinc etiam in ipſo ſtatim viuendi exordio vagitus omnibus cum fletu erumpit, quaſi malorum inſequentium præſaga vox, index nimirum quales aliquando fructus latura ſit vita, quæ in radice ſalſis & amaris vndis, lachrymarum ſcilicet riuulis irrigatur.

Lachrymæ priùs deerunt, quā cauſa flendi.

X. *Thraces ortum hominis luctu & lachrymis proſequebantur.*

Quare hanc omnium recens in lucem editorum vocem, quam naturæ vocem interpretabantur, pari modo comitantes Thraces, pueri lachrymis ſuas iungebant, ortumque hominis, non feſtis acclamationibus & triū-phis, lætique animi teſtificatione (quod pleriſque nationibus in more poſitum cernimus) ſed luctu & lamentationibus proſequebantur, miſerandam nempe illius ſortem potius, quam ei gratulandum rati, vtpote in illud ſtadium iam ingreſſo, vbi tot tamque acerbæ calamitates per totum illi vitæ curſum ſine intermiſſione eſſent

eſſent ſubeundæ. Earum quippe tantus eſt numerus, & omni omnino loco tam frequentes reperiuntur, vt dicere ſolitus feratur Solon, *Vrbes atque oppida nihil aliud eſſe, quàm humanarum ærumnarum domicilia, quibus luctus, mœrores ac triſtitia mortalium, quaſi ſeptis includuntur.* Naſcuntur nimirum cum hominibus, vnà cum iis adoleſcunt, nec niſi illis extinctis extinguuntur. *Dictum Solonis.*

XI. Nihil vero ad hoc declarandum, quamque miſera ſit hominis conditio intelligendum accommodatius illo, quod de Sileno Philoſopho refert in Eudemo Ariſtoteles. Cum is bello captus eſſet, vbi illum Philoſophum eſſe compererunt, hanc ei propoſuerunt quæſtionem, *Quid eſſet homini optimum?* ſubſiſtit aliquantiſper, quaſi cogitabundus: ſed reſponſum dare iuſſus, *Optimum,* inquit, *eſt non naſci: huic autem proximum, quamprimùm mori.* Ob ſummas ſcilicet quibus humana vita obnoxia eſt calamitates & miſerias. Quo dicto, veluti lytro perſoluto, aureâ nempe hac prolatâ ſententiâ, gemmis omnibus præſtantiore, libertate donatus eſt, & ad ſuos redire permiſſus. *Optimum non naſci, proximum quamprimùm mori.*

XII. Ex his ergo deducitur, quanti omnium interſit, vt ſincerè in ſe oculos coniiciant, ſuiſque ſe momentis ponderent: quod accuratè quiſquis fecerit, cauſam cur ſe extollat, omnino nullam inueniet, innumeras vero cur deprimat ac demittat. Quod multo adhuc clariùs conſtabit, ſi ſe intus exploret, inordinatoſque animi affectus peruestiget. Quare ad hoc ipſum monet S. Auguſtinus, vt quiſque identidem ſe ſibi ſiſtat, & ad ſuum veluti tribunal vocet, dicta ſua omnia, facta, cogitata ſeriò expendat, vt ſui ſemper memor, non fatuè euaneſcat, ſed in aureâ ſe mediocritate contineat. De quo plura capite ſequente. *Siſtere ſe ſibi quiſque debet, & ad ſuũ tribunal vocare.*

CAP.

CAPVT TERTIVM.

Ex nullo clariùs, quàm ex Dei conſideratione homo ſibi innoteſcit.

I. *Primum in vnoquoque genere mẽſura eſt reliquorum.*

PRimum in vnoquoque genere menſura eſt reliquorum. Deus ergo, cùm primum Ens ſit, Ens Entium, vt loquuntur Philoſophi, res ſcilicet omnes creatas infinitis gradibus excedens, earumque perfectiones longè in ſe præſtantiore modo complectens, in nullo melius Geometram quis aget, iuſtamque ſuiipſius commodiùs menſuram capiet, quàm ſi huic ſe regulæ applicet, & ad Deum, rectitudinis *omnis* normam exploret. Quamuis enim *Finiti ad infinitum nulla ſit proportio*, vel hinc tamen quantulus quiſque ſit dignoſcet, dum illius amplitudini confertur, qui nullos omnino præſcriptos ſibi fines habet, nullis limitibus coërcetur. Vnde & cæleſtes ipſi ſpiritus, ſupremique etiam Angelorum Ordines, qui fulgore & radiis millies ſolem antecedunt, Deo tamen collati, in ſummi inquam illius ſolis præſentiâ, nec lucis quidquam habent, nec ſplendoris, imo (vt in libro de diuinis nominibus non ſemel affirmat D. Dionyſius) omnino non ſunt: tanto nimirum eos ſuperat interuallo, vt præ illo nihil eſſe videantur.

Finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

II. *Curuum recto appoſitum clariùs dignoſcitur.*

Ita enimuero eſt: *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.* Nunquam curuum clariùs dignoſcitur, quàm cùm apponitur recto: nec humiliores vnquam apparent myricæ, quàm dum cedris creſcunt intermixtæ. Quis ergo naturæ Diuinæ ſplendorem, maieſtatem, præſtantiam, perfectionumque omnium, quas in ſe habet, complexionem animo reuoluens, & mox oculos in ſeipſum coniiciens, quis inquam non ſe myricam, imò myricis omnibus abiectiorem exiſtimabit, cùm tantum in ſe miſeriæ, tantum imbecillitatis & indigentiæ perſpiciet: quis

quis tumorem omnem & arrogantiam non ponet, ſuæque cenſens vilitatis, rubore non ſuffunderetur potius, quàm intumeſcet.

III.

Philoſophus quidam ex antiquis (Anacharſem nonnulli fuiſſe autumant) morti iam proximus, cum à diſcipulis rogaretur, vt præceptum aliquod ad acquiſitionem virtutis, rectamque morum inſtitutionem maximè conducens, in vltimo illo vitæ articulo iis traderet, poſtulato calamo, duos in charta duxit circulos, iiſque abſolutis è vita exceſſit. Variè ænigmaticum hoc magiſtri ſui teſtamentum interpretati ſunt diſcipuli, longaque, multis etiam poſt annis, quid per duos hoſce circulos, infinitatis ſymbola, intellexerit, habita eſt inter Philoſophos diſceptatio. *Philoſophus quidam moriens duos duxit circulos:* O.O.

IV.

Illa cæteris anteponenda mihi videtur expoſitio, quæ per geminum hunc circulum, Deum & hominem ab eo adumbratos fuiſſe aſſerit. Deus ſiquidem, infinitus quidam circulus dici quodammodo poteſt, perfectiones ſcilicet omnes in ſe ſine termino complectens, nulliſque omnino finibus circumſcriptus. Ad quod alludens Triſmegiſtus: *Deus*, inquit, *eſt circulus, cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam.* Homo quoque circulus non incongruè dici poteſt, circulus, inquam, in ſuo etiam genere infinitus, ita ſcilicet naturæ manu & circino ductus, vt innumeras intra ſe calamitates & miſerias complectatur, vtpote in quem tot vndique mala deriuantur, ac veluti in centrum confluunt. *Duo illi circuli Deum denotant, & hominem.*

V.

Quadratura circuli humani.

V.

Ad vitæ ergo ac morum integritatem, conſtanſque virtutis exercitium, expeditiſſimam cenſebat viam hic Philoſophus, vt quiſque in duobus hiſce circulis mentis oculos fixos ſemper haberet, ſuamque *imbecillitatem, abiectionem, infœlicitatem, inopiam* perdens, hâc inquam circuli ſui quadraturâ repertâ, plenamque ſuiipſius dimenſionem ac notitiam ex comparatione cum ſummâ illâ Dei amplitudine adeptus, non vanè efferretur, ſed

demitteret ſe potius, ſuique ſemper memor, intra ſuos ſeſe limites coërceret.

VI. Altius rem hanc, hauſtâ nimirum è cœlo luce, penetrauit regius Propheta, qui proinde ſummam Deum inter & hominem diuerſitatem ac diſtantiam perpendens, vtrumque Abyſſum nominat. *Abyſſus*, inquit, *Abyſſum inuocat: Abyſſus* ſcilicet tenebrarum *Abyſſum* lucis, *Abyſſus* ignorantiæ *Abyſſum* ſcientiæ, *Abyſſus* infirmitatis *Abyſſum* virtutis, *Abyſſus* denique malorum & miſeriæ *Abyſſum* boni omnis ac fœlicitatis.

Deus perfectionis, homo miſeria Abyſſus.

VII. Ex hac conſideratione, ſuique cum Deo collatione maximi quique viri ad eum virtutis gradum peruenerunt, vt toto orbe conſpicui, cunctiſque admirationi extiterint. Sic doctrinâ & ſanctitate, ſiquis alius, inſignis D. Auguſtinus nihil in mente reuoluebat magis, nihil in ore frequentius habebat, quàm vt Deum alloquens diceret, *Nouerim te, nouerim me*: hæc duo, polos veluti & cardines perfectæ omnis vitæ exiſtimans. Sic pietatis & miraculorum gloriâ illuſtris S. Franciſcus, integras ſæpe noctes in his duobus impendebat: *Quis tu Domine? quis ego?* In quibus vberem adeo ſeſe coram tantâ maieſtate ſubmittendi, & ad terram vſque proſternendi materiam inuenit, vt hoc modo in omni virtutum genere, humilitate præſertim, ſuique abiectione longè eminentiſſimus euaſerit, & duplici hac cogitatione, veluti duabus alis ad perfectionis culmen aſcenderit, eoſque longè lateque radios emiſerit, quos Orbis miratur vniuerſus.

Nouerim te, nouerim me; *perfectæ vitæ cardines.*

CAP.

CAPVT QVARTVM.

Proſecutione eiuſdem oſtenditur quantum ad ſui cognitionem conducat conſideratio Dei.

EX his ergo conſtat, promptiſſimam, maximeque compendiariam viam ad ſe cognoſcendum, perfectamque ſuiipſius menſuram capiendam eſſe, vt quis mentis oculos in Deum ſine intermiſſione habeat intentos, ſuæque tenuitatis memor, & quicquid habet, à Deo, fonte omnium ac largitore habere ſe animaduertens, ſe ei vt par eſt ſubiiciat, gratoque ſemper in eum animo ob ſummam illam munificentiam perſiſtat. I. *Ad Deum bona omnia tantùm quam ad fontem referenda.*

Nonnulli etenim, dum ſe eximiis quibuſdam naturæ dotibus inſtructos vident, non eas ad primam, vnde profluxerunt, originem referunt, ſed Dei obliti, quaſi ex ſuo eas haberent, magnificè ſeſe circumſpiciunt ſingulareque laude ſibi & admirationem ab omnibus deberi exiſtimant, ac ſtulto hoc morbo, amore ſcilicet ſui correpti, toti euaneſcunt: digni ſanè qui donis hiſce exuantur, meritaſque tantæ arrogantiæ, ineptæque fatuitatis dent pœnas. II. *Peruerſa quorundã cõſuetudo.*

In hos proinde aptiſſimè quadrat, quod olim contigiſſe ferunt, vel non inſcitè fingunt antiqui. Cereris Eleuſinæ ſacra dorſo aſini, pretioſiſſimo integumento inſtructi, frenoque & phaleris aureis, appenſis hinc inde tintinnabulis, ornati, ſtatis anni temporibus per agros & ſata deferebantur. Qua is cunque ſacra illa geſtans incedebat, populus in genua prouolutus, variis geſticulationibus, rituque ſuperſtitioſo pignora illa Cereris, vt fruges fortunaret, meſſemque iis copioſam mitteret, venerabantur. Stolidum illud animal, vbi ſe tam ſplendidè inſtructum, feſtoque hoc apparatu glorioſum vidit, aſinum ſe eſſe obliuiſcens, ſibi honorem il- III. *Vani hominis ſymbolum.*

lum exhiberi interpretabatur. Subſilire itaque cœpit illico, inconditoque tum vocis ſono, tum motu corporis, immodicam præ ſe ferre lætitiam: donec tandem vehemente illa agitatione impoſitum ſibi onus excuteret, Cererisque ſacra in terram deiiceret. Stupidiſſimam ergo beſtiam, fuſtibus prius exceptam, veſtitu illo ſplendido exuerunt, ac tum demum ad ſe, vbi ad clitellas rediit. Hinc abiit in prouerbium: *Aſinus portans ſacra.*

Aſinus portans ſacra.

IV. *Varia à Deo in homines conferuntur dona.*

Tantundem non raro vſu hominibus venire ſolet. Eximiæ ſæpenumero à Deo dotes in eos cumulatiſſimè conferuntur, quibus veluti pretioſiſſimo quodam integumento, tot gemmis quot donis intertexto induuntur. Hic ſummo ingenij acumine, mentiſque perſpicaciâ eſt præditus, ille præſtanti formâ, elegantique oris ac totius corporis eſt habitu: vnus ſummam in honeſtiſſimis quibuſque artibus ac diſciplinis, omniq; literaturæ genere peritiam eſt adeptus, alius opes amplas & facultates, alius ſummos honores nactus.

V. *Homines de Dei donis gloriãtur, datoris obliti.*

Hi ergo, vbi ſe tam ſplendidè ornatos vident, manus, vnde hæc proueniunt obliti, nec recordantes Cereris, vt ita dicam, ſe ſacra portare, donis inquam è cœlo tranſmiſſis inſtructos eſſe, ſtolidi illius animalis inſtar, ſubſilire quodammodo, immodicaque geſtire lætitiâ, ſibi applaudere, ſe admirari incipiunt: ſe ſolos magnos, ſolos æſtimatione dignos exiſtimant, quoſque omnes in oculis ferant, alios flocci faciunt, habentque contemptui, viles animæ, opprobrioque potiùs, quàm honore digniſſimæ.

VI. *Dictum quoddam* Democratis.

Huic hominum generi apprime congruit, quod de ſe affirmabat Democrates. Is cum iam ſenex in arcem Athenienſem aſcenderet, totus anhelans, ob ſpirandi, quâ in eâ ætate ſummopere laborabat, difficultatem, idem ſe facere dixit, quod paſſim faciebant Athenienſes, nempe *Se magnum ſpirare, parum valere.* Sic hi, non ſe, ſed ſplendorem, quem ex collatis ſibi aliunde donis hauſerunt, intuentes, *Magnum ſpirant*, ſublatis nimi-

rum ſuperciliis, altoque & magnifico greſſu incedunt, tantoque omnes faſtu aſpiciunt, quaſi vno halitu totum difflare mundum poſſent. *Aſini* ſunt *portantes ſacra*, quibus interdum excuſſis, bonis inquam hiſce ob intolerandam illam arrogantiam exuti, & a ſummo honore ad ſummum dedecus prolapſi, ac veluti ad clitellas redacti, tum demum ſtultitiam ſuam animaduertunt, maliſque edocti, ſapere tunc primùm incipiunt, cùm ſe fatentur inſipientes.

Teſtis huius rei Nabuchodonoſor, qui amplis opibus ac diuitiis, regiaque ad quam euectus erat dignitate elatus, ſibi de tantis facultatibus, ſplendore, potentiâ applaudens, in has voces prorupit. *Nonne*, inquit, *hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei.* En *aſinum ſacra portantem*, qui vbi ſe iam ſplendidè phaleratum vidit, tot inquam donis magnificè ornatum, vnde ea acceperat non perpendens, nec ſuo ſe metiens pede, fatuè gloriari & exultare cœpit, ſibique, quaſi ex ſe ea haberet applaudere. Sed ſubſiliendo ſacra excuſſit, regno namque orbatus eſt, & ab hominum quoque conſortio eiectus, atque inter feras relegatus, earum ritu modoque victitans, corporis etiam formâ in beſtiam commutatâ, vtpote qui animo belluinos antè mores induerat, ſeque fœdâ metamorphoſi in pecudem tranſmutauerat. Nempe, *Cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Hæc vero dona tunc denuo recepit, cùm non ſua, ſed Dei eſſe agnouit: regnumque quod faſtus, animique elatio ademerat, reddidit modeſtia, mentiſque demiſſio.

VII. *Nabuchodonoſoris faſtus.*

Pœna.

Reſipiſcentia.

VIII. *Herodes Agrippa diuinos honores non reſpuens, humanos etiam amiſit.*

Aptiſſimum etiam ad hoc declarandum eſt, quod Herodi Agrippæ contigiſſe antiquorum monumenta, ipſaque adeo ſacra pagina teſtatur. Sedebat is pro tribunali Cæſareæ, quo ob ſolennes pro ſalute Cæſaris habitos ludos magna nobilium ac procerum multitudo

confluxerat. Sedebat, inquam, pretioſiſſimâ indutus veſte, *totâ*, inquit Ioſephus, *ex argento mirabili opere contextâ, quæ radiis exorientis ſolis percuſſa, diuinum quendam fulgorem emittebat.*

Ioſephus lib. 9. Antiq Iudaic. cap. 8.

IX. *Aſſentatores perpetuum Regum & Principū malum.*

Hoc ergo veſtitu, cæteriſque regni inſignibus ornatus orationem ſummâ cum maieſtate & pompâ ad circumſtantem vndique coronam habuit. Aſſentatores quidam, perpetuum Regum ac Principum malum, ad cœlum eum illico extollere cœperunt, & Deum conſalutare: nec humanas eas ſed diuinas eſſe voces, ſeque in ipſo aliquid mortali maius cernere clamabant. Non coërcebat portentoſa illa ſceleratorum dicta, imo iis auditis gaudebat in ſinu homo ſtolidus, tacitoque conſenſu admittebat potiùs quàm repudiabat, & tantum non ſe Deum arbitrabatur. Adeſt è veſtigio vltio diuina, plagamque ei lethalem infligit: acutiſſimis namque viſcerum doloribus ſtatim correptus, & à vermibus corroſus, paucos intra dies fœdum ſanè in modum extinctus eſt, documento omnibus futurus quàm periculoſum ſit quemquam ſui oblitum fatuè euaneſcere, ſed vt Dei ſemper memor, ſe coram tantâ maieſtate obiiciat, ſeque intra ſeipſum contineat.

Herodis ſtultitia, & caſtigatio.

X. *Reges ſapientes.*

Quanto ergo his ſapientiores Reges illi ac Principes, qui cùm ad ſummos euecti eſſent honores, non iis ad animi elationem abutebantur, ſed quo altiorem adepti erant dignitatis gradum, eo ſe demittebant magis, nulliſque aut blandientis fortunæ lenocinius, aut peruerſorum hominum adulationibus adduci poterant, vt vel Dei vel ſui obliuiſcerentur. Vnicum ex infinitis in hoc genere exemplum producam, quod omnium conſignatum monumentis video, & tanquam præclarum facinus, æternaque memoriâ dignum, accuratè ad poſteros tranſmiſſum.

XI. *Regium Canuti Regis facinus.*

Regnabat olim in Anglia Canutus, vir tum belli tum pacis artibus inſignis, virtute tamen vitæque ſanctitate multò illuſtrior. Nec Angliæ tantùm, ſed Daniæ etiam

ac Noruegiæ, & vt aliqui dicunt, ſcotiæ eodem tempore ſcepra moderabatur. Aulici ergo, qui nihil vnquam habent antiquius, quàm vt Principum auribus ſeruiāt, eoſque ſui veris ſeu fictis laudibus extollant, variis de more aſſentationibus eius demulcere animum, & quoquo modo illum demereri, ſibique deuincire ſtudent. Mirum itaque in modum eius potentiam prædicant, Regem illum maximum, Regem Regum appellant, quique non terræ tantum & hominibus iura det, ſed mari etiam imperet ac dominetur. Nihil denique omittunt, quod ſtolidis adulandi affectus ſuggerit, quoque eius ſibi conciliareſe gratiam poſſe exiſtimant. *Aulicorū ſtudia.*

XII. *Polydo: Virg. lib. 7. fine.*

Cum huiuſmodi vanis importunorum hominum vocibus in dies fatigaretur pius Princeps, nulluſque eſſet aſſentandi modus, vt ab hac ſe aliquando moleſtiâ expediret, magno nobilium ſtipatus comitatu, in litore iuxta portum Suthhamtonienſem, animi velut oblectandi gratia deambulabat, re tamen verâ vt hanc eorum fatuitatem compeſceret. Veſtem itaque ſupremam exuens, & in globum conuoluens, quàm poteſt proximè eam vndis in arenâ collocat, ſuperque ſedet, intuentibus aulicis, & quo res vergeret demirantibus. Tum mare, cuius eo tempore acceſſus erat, alloquens: *Tibi,* inquit, *præcipio ne pedes meos tangas.* At mare, ad alterius imperium & vocem ſurdum, præterquam illius, qui *legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos,* ſequente ſtatim vndâ, non illius pedes tantùm, ſed totum Regem aquâ perfudit, ac pene obruit.

XIII. *Canutus aulicos affatur.*

Tum ſurgens vir humilis, & ad ſuos conuerſus, vos, inquit, me regem potentiſſimum, Regem Regum appellatis, qui ne vni quidem aquæ guttulæ imperare, iuſſuque coërcere poſſum: hunc ex animo errorem deponite, nos vmbræ tantùm ſumus & ſimulacra Regum, is ſolus Regis appellatione dignus, qui cœlum condidit ac terram, reſque omnes ſummâ ſapientiâ adminiſtrat, nutuque & imperio moderatur. Mox *Vintoniam*, pri-

mariam illiûs Angliæ partis ciuitatem profectus, ibique Chriſti è cruce pendentis effigiem in templo conſpicatus, quâ ipſe vti ſolebat coronam Crucifixi capiti impoſuit, nec totâ deinceps vitâ induci vnquam potuit vt Regis inſigne gereret, caputque diademate ornaret: adeo in conſpectu ſummi Regis, quem ſemper animo habebat præſentem, ſe regis nomine arbitrabatur indignum.

XIV. *Inſipiens eſt, qui ſuiipſius non nouit quantitatem.* Si ergo, vt rectè Ptolemæus, *Inſipiens eſt, qui ſuiipſius non nouit quantitatem*, ita iure maximè is habetur ſapiens, qui nouit, perfectamque ſui capit menſuram: qui nimirum ſincero ſeſe oculo inſpiciens, ſuam tenuitatem, vilitatem, & indigentiam agnoſcit. Nec alio magis nomine ſapientiſſimus olim habitus eſt Socrates, quàm quòd ſe fateretur ignorantem, nullumque eius dictum tantopere ab omnibus celebratur, ac illud: *Hoc vnum ſcio, quòd nihil ſcio.* Quare Seneca, quãti hoc eſſet momenti indicans: *Tunc*, inquit, *maximè me hominem cogitabo, cum Deus ab omnibus ſalutor.*

DISPVTATIO VLTIMA.

Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Ad Hebræos cap. 13. ver. 14

Lib. 1. contra Creſconium, c. 13. & 14. SAnctus Auguſtinus Diuum Paulum appellat Dialecticum, quippe qui acutè & ſubtiliter diſputãs (quod Logicæ proprium eſt) altiſſima fidei noſtræ myſteria aduerſus Ethnicos probauerit, firmiſſimiſque ſtabiliuerit argumentis. Non minore certè ratione Philoſophum quis eum moralem nuncupauerit, qui nimirum ſaluberrimas vbique ad vitam honeſtè ac piè traducendam, rectamque morum inſtitutionem præceptiones tradiderit, hominumque mentes ſanctiſſimis imbuerit diſciplinis. Ex innumeris vero, diuiniſque eius ſen-

ſententiis hanc potiſſimùm delegi, qua finem huic tractatui imponerem, quòd per eam Apoſtolus mortales præſentium vt plurimùm dulcedine captos ac delinitos, fluxiſque & caducis rebus affixos, ab infimis hiſce auocare, eorumque animos ad cœlum erigere contendat. Sancti igitur Doctoris ſcopum ſecutus, hoc eius dogma paucis in præſenti exponere, ac pro viribus declarare conatur.

CAPVT VNICVM.

Non habemus hic manentem ciuitatem: &c.

SEcundus ſapientiâ & eruditione ex ſui temporis Philoſophis nulli ſecundus, ab Adriano Imperatore, cuius tempore florebat, interrogatus quid eſſet Homo: *Eſt*, inquit, *mancipium mortis, hoſpes loci, viator transiens, aceruus niuis.* Et ſanè ita res ſe habet: hoſpes eſt non incola, eiuſque in terrâ commoratio iter quoddam eſt, in quo nunquam ſiſtit, ſed peregrini inſtar graditur ſemper, momentiſque ſingulis ad viæ & vitæ finem appropinquat. Rectè proinde dixit Seneca: *Quotidie propius ab vltimo ſtamus, & illo vnde nobis cadendum, hora nos omnis impellit.* Quare appoſitiſſimè ad rem præſentem Sanctus Bernardus: *Eſt*, inquit, *hoc habitaculum noſtri corporis, non ciuis manſio, non domus indigena, ſed aut tabernaculum militantis, aut hoſpitium viatoris.*

I. Secundi *Philoſophi dictum. Hominis deſcriptio.*

Seneca epiſt. 120. *Sermone* 26. *in cantica: circa initium.*

Alia ergo nobis quærenda ciuitas, alius habitandi locus, Ieruſalem ſcilicet illa cæleſtis, *Ieruſalem* inquam, *quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum:* eadem nimirum permanet, ſuique ſemper ſimilis & immutata perſiſtit. Nulla nempe hic temporum varietas, lucis & tenebrarum, æſtatis & hyemis, aliarumque anni tempeſtatum alterna ſeries ac viciſſitudo, ſed *Dies vnus, Dies* quem nulla nox intercipit, cuius lucem nullus

II. *Quæ ſit ciuitas permanens.*

veſper imminuit, *Dies* ſemper *Meridies*, ab illo ſcilicet ſole ſplendorem ſuum accipiens, qui nunquam occidit, nullam patitur eclipſin, nullâ nubis, aut alterius cuiuſcunque interpoſitione impeditur, ſed lucidiſſimos ſemper emittit radios, diuinoque fulgore intuentium oculos oblectat.

III. Hæc eſt fœliciſſima illa Beatorum ſedes, tot ſanctiſſimorum iuxta eruditiſſimorumque hominum linguis & calamis celebrata: qui velut exploratores quidam terræ promiſſionis, eius nobis amplitudinem, amœnitatem, delicias enarrarunt, eamque, non ſuis (*Nec* enim *oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum*) ſed quibus mortali fas eſt, coloribus expreſſerunt, miriſque exornarunt præconiis. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei:* glorioſa quidem, ſed quæ gloriam tuam multis gradibus non adæquant, nec enim ab iis, qui in exilio verſantur, laus tibi tribui par vlla poteſt. Longum eſſet ſingulorum hac in re dicta referre: ipſam proinde Eccleſiam pro omnibus loquentem, ac diuinæ huius ciuitatis, ſub nobiliſſimæ, ſpecioſiſſimæque ſponſæ typo encomia celebrantem, ac veluti Epithalamium ei canentem audiamus. Eius itaque ſplendorem & magnificentiam admirans ſic habet.

1. Corinth. 2. v. 9.

Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.

In Dedicatione Eccleſiæ.

Cæleſtis vrbs Ieruſalem,
Beata pacis viſio,
Quæ celſa &c.
O ſorte nupta proſperâ,
Dotata Patris gloriâ,
Reſperſa Sponſi gratiâ,
Regina formoſiſſima,
Chriſto iugata Principi,
Cæli coruſca ciuitas: &c.

IV. Fœliciſſima planè regio, bonorum ſcilicet omnium complexione ditata. *Quid enim ibi deeſſe poteſt*, inquit S. Auguſtinus, *vbi Deus eſt, cui nihil deeſt?* Vbi ſcilicet ſummum

Quid ibi deeſſe poteſt, vbi Deus eſt, cui nihil deeſt.

mum & infinitum bonum ſe clarè conſpiciendum fruẽdumque exhibet, plenâque manu, ſua in omnes dona cumulatiſſimè deriuat. Hunc proinde beatiſſimum ſtatum vlterius deſcribens idem Sanctus Doctor: *O vita dulcis, inquit, & ſemper memorialis, vbi ſumma & certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla iucunditas & iucunda fœlicitas, & fœlix æternitas, & æterna beatitudo, & beata ſine fine Dei viſio & laudatio.* *S. Auguſt. in ſpeculo, to. tertio.*

V. Hæc itaque nobis quærenda ciuitas, huc in exilio conſtituti tanquam ad patriam ſuſpirare debemus; totque fluctibus iactati velut tranquilliſſimum portum exoptare: eius denique ſpe & expectatione nos in tot ac tantis, quibus hæc vita implicatur, ærumnis & difficultatibus, ſuſtentare. Nam, vt rectè Sanctus Auguſtinus, *Vita vitæ mortalis, ſpes eſt vitæ immortalis:* hanc nimirùm ſperando ſpiramus, nouaſque inde ad labores ſubeundos, ac mala fortiter ferenda vires haurimus, ne (quæ naturæ noſtræ eſt imbecillitas) cadamus animo, miſeriiſque & calamitatibus fracti ſuccumbamus. *Vita vitæ mortalis, ſpes eſt vita immortalis.*

VI. Quærit S. Ioannes Damaſcenus, cur facie ad Orientem verſâ oremus. Priſcis namque illis temporibus (quod etiam hodie fere obſeruari videmus) templa omnia, præter Antiochenum, ita exædificabantur, vt pars ſummo altari deſignata ad Orientem ſemper locaretur. Cauſam huius aſſignat S. Damaſcenus, quòd nimirum Paradiſus, patria noſtra vnde per primi parentis peccatum excidimus, in Orientali orbis parte ſitus eſſet: cuius videlicet recordatione mens eleuabatur, piorumque deſideriorum igniculos quoſdam concipiebat quibus alebatur quodammodo, atque ex iis nouus illi vigor accedebat. Si terreſtris Paradiſi memoriam tanti arbitrabatur ſummus hic vir, quid de cæleſti exiſtimandum? quas in hominum animis flammas accẽdet, quod inquam ſui deſiderium, rerumque caducarum nauſeam excitabit? *Plùm templa omnia, præter Antiochenũ, ſpectabant Orientem.*

VII. Imitandus proinde nobis Daniel Propheta, qui cum exul

Modus orandi Propheta Danielis. Dan. 6. 10. exul à patriâ degeret Babylone, quoties orabat, illas cœnaculi feneſtras aperiebat, quæ Hieroſolymam reſpiciebant, clauſis iis, è quibus in Babylonem patebat proſpectus. Tantundem nobis præſtandum: mente ſcilicet mundo clauſâ, cœlum tantummodo reſpiciẽdum, oculique animi feneſtræ Hieruſalem verſus, cæleſtem inquam Hieruſalem aperiendæ, iiſdem Babyloni, rebuſque caducis & corruptibilibus occluſis ſemper & obſeratis.

VIII. Glorioſiſſima ergo hæc ciuitas perpetuò ante oculos habenda, nobiſque in hac peregrinatione & ſtadio tanquam meta proponenda, ad quam ſummâ quâ poſſumus celeritate pertingamus. *Curramus, curramus*, inquit S. Auguſtinus, *quia in domum Domini ibimus. Curramus, & non fatigemur, quia illuc perueniemus, vbi non laſſabimur. Curramus in domum Domini* &c. *S. Auguſt. in pſal. 121. initio.* Currimus autem, non pedibus ſed affectibus, non incedendo, ſed amando. Amor namque iter omne in hac vita moderatur, pro cuius proinde diuerſâ indole mortales ad diuerſos fines perueniunt. *Sicut amor immundus*, inquit idem Sanctus Doctor, *inflammat animam, & ad terrena concupiſcenda & peritura ſectanda vocat perituram, & in ima præcipitat: ſic amor ſanctus ad ſuperna eleuat, & ad ea quæ non tranſeunt, neque moriuntur, excitat animam:* &c. Et paulo poſt: *Vis noſſe qualis amor ſit? Vide quo ducat: non enim monemus vt nil ametis, ſed monemus ne mũdum ametis, vt eum qui fecit mundum liberè ametis.* *S. Auguſt. ibid.* Quod pulcherrimè declarat ſententia ducenteſima vigeſima prima earum, quæ ex Diui Auguſtini operibus a ſancto Proſpero ſunt decerptæ: *Faciunt ciuitates duas amores duo, Hieruſalem facit amor Dei: Babyloniam amor ſæculi. Interroget ergo ſe quiſque quid amet, & inueniet vnde ſit ciuis.* *S. Aug. de ciu. l. 14. c. 28. to. 5. Lib. ſenten. ſent. 221. to. 3. fine.*

IX. Properemus itaque, rebuſque omnibus, quæ currentibus impedimento eſſe poſſint, excuſſis, ſummâ feſtinatione ad iucundiſſimam hâc patriam tendamus. Huc nos

nos inuitant victrices illæ turmæ, quæ grauiſſimis in hoc mundo ærumnis & calamitatibus perpeſſis, aditum ſibi ad feliciſſimam illam ciuitatem patefecerunt, vitæque huius peregrinatione peractâ ſedem illic perpetuò fixerunt In hos mentis oculos conijciamus, eorumque concertationibus, victoriis, triumphis ad ardua queque amplectenda impellamur, dulciſſimoque eorum conſortio per labores ſummos ac difficultates perfruendum. *Cæleſtis ciuitatis incolæ nos eo inuitant.*

X. *Cæleſtium ciuium exempla nobis imitanda.*

Horum inquam nos virtus, ac nobiliſſima perpetrata facinora moueant, totoque conatu ac viribus præclara eorum exempla imitemur: nec adeò ſe quiſquam degenerem præbeat, vt labore, qui in hoc certamine ſubeundus eſt, perterritus, otio ſe ac deſidiæ tradat, torporemque ſibi obrepere, ac glorioſiſſimam hanc palmam è manibus eripi patiatur. Concludo itaque pulcherrimis Diui Laurentij Iuſtiniani verbis, quibus cunctos qui ad beatiſſimæ huius ciuitatis gaudia aſpirant alloquitur: *Proſpectant ſancti Angeli, veſtri certaminis exitum, coronas geminis coruſcantes tenentes in manibus, vt illas perſeuerantibus largiantur. Pudeat vos, oro pudeat in conſpectu cæleſtu ſenatus, & Imperatoru æterni ſegniter dimicare* Quibus neruoſiſſimis, atque ad rem præſentem efficaciſſimis verbis, & præſenti diſputationi, & toti huic tractatui finem imponam. *B. Laur. Iuſtin in faſciculo amoris, c. 16. circa medium.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
QVÆ
IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

Abſinthium.

MEl abſinthio miſcendum d. 4.*c*.3.*n*.11.

Adoleſcens.

Vani adoleſcentis deſcriptio.d 3.*c*.2 *n* 3.

*Diſciplina adoleſcentia, vita viaticum.d.*4.*c*.2.*n*.5.

Iuuentus difficulter coërcetur.d. 4.*c*.3 *n*.1.

*Adoleſcentis eſt maiores natu reuereri. diſputation.*15.*c*.7. *numer* 1.

Aegrè ſocors iuuentus ſedulam parit ſenectutem.diſput. 17. *c* 4.*num*.3.

*Philoſophia moralis pracepta iuuentuti neceſſaria diſputatio.cap.*3.

Adulatio.

Adulatio Regibus perniciosiſſima. diſputat 15.*cap*.7. *numer*.7.

*Aſſentatorum greges, Principum ſemper virorum appendices.d.*18.*c*.2.*n* 3.

Aſſentatores perpetuum Regum ac Principum malum. d. 18.*c*.4.*num*.9.

Aër.

*In tres regiones diuiditur.d.*10.*c*.2.*n*.8.

Suprema aëris regio animam refert diuinarum rerum contemplationi deditam. ibid.

Ægyptij.

*Quodnam ſtatuerint Dei ſymbolum.diſputat.*11. *cap*.1. *numer*.3.

Aegypti coloni cœlum non aſpiciunt.d 11.*c*.3.*n*.8.

Aegyptia-

Aegyptiorum mos quidam in conuiuiis. diſputat.17.cap.1. numer.7.

Ætas.

In quot ætates vita hominu diuidatur. d.4.c.1.
Aetas viridis, firma. & praeceps. ibid. n.8.
Omni ætate eſt diſcendum. d 4.c.4.n.1.

Æthiopes

Primi vident ſolem orientem, colorem tamen retinent noctis. d.1 c.3.n.4.
Mira eorum conſuetudo. d.5.c.1 n.4.
Aethiopia Catadupa. d.11 c.2 n.6.

Alcibiades.

Elati admodum animi adoleſcens. diſputat.18.cap.2. numer.3.
Quo pacto eum Socrates ad meliorem frugem reduxit. ibid. numer.5
Magna ex ſui cognitione in Alcibiade mutatio. ibid. numer.7
Nullus glorioſior Alcibiadis, quàm de Alcibiade triumphus d.18 c.2.n 7.

Alexander.

Mereaturne nomen Regis. d 5. c.2.n.5.
Prauos eius mores omnes reprehendunt. diſputat.13.cap.3. numer.4.
Quantum ſibi dedecus inuſſerit ob occiſum Calliſthenem. d.15.c.7.n.8.
Conſpecto Cyri ſepulchro mirè percellitur. diſputat.17.c.1. numer.5.

Ambitio.

Spes ſpem excitat, ambitio ambitionem diſputat.10.cap.2. numer.3.
Quàm lubrico loco ſint, quorum animos hoc malum occupat. d.16.c 2 n.10.
Ambitioſi & Polityci ſibi ſunt ruina. ibid.

Amor.

Amor haud æquus rerum arbiter. d.8.c.2.n.1.

Non

Non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.d.15.c.4.n 7.

Amor amore compenſandus. diſputatio. 15. cap.7. numero 2.

Difficile eſt ſimul amare & ſapere. diſputatio.16.cap.2.numer.5.

Faciunt ciuitates duas amores duo. diſputatio. vlt. numer.8.

Anglia.

Anglia ferax ſanctorum Regum tellus. diſputat. 9.cap.3. numer.1.

Hoc nomine inter Inſulas Fortunatas *olim aſcripta. ibid. numer.1.*

Sanctorum in Anglia Regum numerus.ibid.n.2.

Anaxagoras.

Quid ad ſui memoriam conſeruandam fieri iuſſerit. diſp.9. cap.1.num.5.

Anima.

Animæ munus eſt præeſſe, corporis ſubeſſe. diſputat.5.cap. 3. numer.3.

Anima à paſſionibus occupata, pharetra eſt ſagittis venenatis plena.d.5.c.3.n.11.

Animarum cibus ſunt opera d.8.c.4.n.3.

Nunquam ſerena erit anima, quam terrei vapores obnubilant.d.10.c.2.n.8.

Animam penitus negabat Ariſtoxenus, diſputatio.13.cap 1. numer. 4.

Animæ immortalitas præcipuum honeſtæ vitæ principium. diſp.14.c.1.

Probatur animam eſſe immortalem.ibid.n.2.

Anima in capitis diſcrimen à nonnullis vocata, ſui ſuſcipit patrocinium.ibid.

Magis eſt vbi amat, quàm vbi animat. diſputat.16.cap.1. numer.8.

Anima peccatis, vt nauis fluctibus iactatur.diſputat.16.c. 3.numer.7.

Annulus.

Annulus.

Annulum arctum ne geſtato.d.16 c.3.n.5.

Diadema non curat dolorem capitis, nec annulus pretioſus reduuiam. ibid.

Antigonus.

Antigoni Regis virtus.d.5.c 1.n.5.

Zenonem, à quo inſtruatur accerſit. ibid.

Eius ad Zenonem litera d.5.c.1.n.6.

Pulchrum Antigoni dictum.d 5.c.2.n.4.

Pulchrius eiuſdem Regis facinus.ibid.

Antiſthenes.

Cynicorum Princeps.d.13.c.2. n.6.

Dictum quoddam eius circa puerorum inſtitutionem. d.4. c.2.numer.7.

Acutè eum perſtringit ſocrates.d.9.c.1.n 2.

Illas dicebat parandas diuitias, quæ ſimul cum naufrago enatent.d.10.c.1.n 7.

Hominis libertatem cum Cynicis defendit. diſputat.13.c.2. num.6.& 7.

Ariſtoteles.

Ariſtoteles liberum in hominibus dari arbitrium affirmat. d.13.c.2.n.4.

Errauit circa diuinam prouidentiam. diſputat.13.cap.5. numer.3.

Pulchrè deſcribit hominem.d.17.c.2.n.5.

Duo vitio vertebat Athenienſibus.diſputatio.15. cap.3,numer.7.

Ars.

Artium liberalium numerus, officium, dignitas. diſputat. 2.cap.1.

Magna ars eſt ſilere poſſe in tempore. diſputat.2.cap.1. numer.3.

Ars maxima animorum tractatio. diſputatio.4.cap.3.numer 8.

Ars artium regere poſſe ſeipſum. diſputatio.5.cap.2. numer.9.

Ars rectè gaudendi mortalibus difficillima. diſputat 16.c. 3 numer.1:

Aſtrologia.

Eius munus d.2.c.1 n.9.

Aſtrologi dum nimium ſapere volunt, deſipiunt. ibid numer.10.

Aſtrologos quo nomine reprehendat Diogenes. diſputat.6.c. 2 numer.2.

Athei.

Morte mulctabantur Athenis d.11.c.1.n 8.

Non vnâ eos morte dignos cenſet Plato ibid.

Athei inſtar eorum, qui ad Aethiopia Catadupa habitant. d.11.c 2.n.6.

Athei, & ſurdaſtri ſunt, & malè audiunt ibid.

Atheorum dogma homines in belluas tranſmutat.diſput.11. cap 3 num.5.

Atheiſmi fructus.ibid.

Athei ſunt ſicut noctua ad ſolem ibid.n.7.

Athei ingratum hominum genus ibid n.10.

Atheorum reſponſio refutata.ibid.n.11.

Athenæ.

Cur Athenas bello captas non euerterit ſylla. diſputat.1.c. 2.numer.7.

Tutiores erant Philoſophorum monumentis, quàm bellicis munimentis ibid.

Corona præmij loco Athenis dari ſolita. diſputat.13.cap.3. numer.6.

Cur Athenienſes peculiariter colerent Mineruam. diſp.15. c.2.num.6.

Agriculturam & leges primi inuenerunt Athenienſes. d. 15.c.3 num.7.

Athenodorus.

Athenodori regula Auguſto data. diſputatio.2. cap.2. numer.2.

Auarus.

Auarus eſt inter opes inops.d.7.c.1.n.3.

Inopi

Inopi deſunt multa, auaro omnia. diſputatio.7. cap.1. numer.4.

Auari deſcriptio.ibid.n.5.

Auarus nulli bonus, ſibi autem peſſimus. ibid.n.6.

S.Auguſtinus.

Illius circa mores hominum obſeruatio. diſputat. 3. cap.2. numer.1.

Mortalem vitam comparat cum immortali. diſputat.10. cap.3.num.3.

Oſtendit Dei praſcientiam non obſtare hominum libertati. d.13 c.5.num 6.

Neruosè exagitat eos, qui fatale ſtellarum in homines imperium ſtatuunt.d.13.c 5.n.9.

Aula.

Aulicorum ſtudia.d.18.c.4.n.11.

Præfecti aula Adriani Imperatoris Epitaphium. diſput.17. c.4.num.6.

Aulicos reprehendit Rex Canutus.diſputatio.18.cap.4.numer.13.

Aurum.

Aurum corporibus medicina, mentibus venenum.diſput.7. cap.2.num.1.

Aurum animarum laqueus, mortis hamus. diſputat.7.c.2. numer.4.

Aurum contemptum ſaluti quibuſdam, obtentum internecioni fuit.d.7.c.1.n.9.

Auri & argenti theſauri, non tam nummorum ſunt, quàm curarum cumuli.In epiſt.dedicat.

B.

Beatitudo.

QVa in re ſita ſit hominis beatitudo.d.7.

Vnde tot olim diuerſa de beatitudine ſententia.ibid.

Beatitudo non conſiſtit in diuitiis.ibid. cap.1. & ſequentibus.

Nec in voluptate.d.8.per totam.
Nec in honore.d.9.
In ſolo Deo vera beatitudo.d.10.c.2.per totum.
Summum hominis bonum d.10 c.3.
Nulla beatitudo vera, niſi aterna. diſputatio.14.cap.3.numer 4.
Beatitudo, & gloria caleſtis.d vltima.

Bonum, Bonus.

Bonum ex integrâ causâ d.4. c 3.n.7.
Boni & mali arbitrium nonnulli ſenſibus permittunt.d.8. cap.1.num.1.
Haud facilè quiſquam gratuito bonus eſt. diſputat.11.cap. 1.numer.6.

Canutus.

Regium Canuti regis facinus. diſputat.18.cap.4.numer.11. 12.& 13.
Inſignis eiuſdem Regis pietas.ibid.
Aulicos ſuos affatur.ibid n.13.

Catadupa.

Catadupa, ſeu cataracta Aethiopia. diſputatio.11.cap.2. numer.6.

Cato.

Cato gloriam fugiendo, quarebat. diſputatio.9.cap.1. numer.5.
Trium pœnituit Catonem d.17.c.4.n.5.

Circulus.

Deus quo ſenſu dicatur circulus.diſp.15 c.1. num.4. & d. 18.c.3 num.4.
Duplex OO. Deum & hominem denotat. ibid.n.6.
Quadratura circuli humani reperta. diſputatio.18. cap.3. numer.5.

Ciuitas.

Ciuitatis caleſtis gloria & ſplendor. diſp.10.c.3. per totum, & D.vltima.
Hac ſola ciuitas eſt permanens.d.vltimâ,n.2.
Caleſtis ciuitatis incola nos eo inuitant.d.vlt.n.9.

Eorum

Eorum nobis exempla imitanda.d vlt.n.10.
Faciunt ciuitates duas amores duo.d.vlt.n.8.

Cœlum.

Cœlum idiotarum liber d 11.c.2 n.4.
Concentum cœli quis dormire faciet. ibid n.6.
Cæleſtium ſpharatum harmonia enarrat gloriam Dei. ibidem.
Coloni Aegypti cœlum non aſpiciunt. diſputatio.11. cap.3. numer 8.
Cœlum quem habeat in hominem influxum. diſputat.13.c. 4 numer.6.
Diuerſa cœli plaga magnam in hominibus pariunt diſſimilitudinem ibid.
Stellæ nullam homini inferunt neceſſitatem. ibidem numer.7.
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt d 16.c.3.num.3.

Cognitio ſui.

Noſce teipſum, *humana vita Cynoſura. d.18.*
Quanti vniuſcuiuſque interſit, vt ſui habeat cognitionem. d.18.c.1.per totum.
Tecum habita ibid.n.4.
Nihil nouit animus ſui neſcius ibid n.5.
Cur Noſce teipſum *valuis templi Delphici fuerit inſcriptum.ibid.num 6.*
Tuo te pede metire.d.18.c 2.n.2.
Siſtere ſe ſibi quiſque debet, & ad ſuum identidem tribunal vocare ibid n 12.
Ex Dei conſideratione homo optimè ſibi innoteſcit.diſput.18. cap.3.& 4.
Homines de Dei donis gloriantur, Datoris obliti. diſput.18. c.4.num.5.

Concionatores.

Sunt vigiles caſtrorum Eccleſiæ.d.8.c.2.n.9.
Dici poſſunt terræ promiſſionis exploratores. diſputat.10.c. 3.numer.3.

In Scriptura, Patribus, & ſacrâ Theologiâ, debent eſſe verſatiſſimi. d.10.c.3 n.3.

Concordia.

Stabilimentum Reipublicæ animorum coniunctio. diſput. 15. c.1. num.3.

Nulla inter malos ſocietas, aut amicitia. ibid. n.10.

Conſuetudo.

Vis conſuetudinis. d 15.c.4.n.8.

Vitam delige optimam, dulcem eam conſuetudo efficiet. d.17. cap.4. num.9.

Cor.

Cordis fabrica hominem ad ſuperna inuitat. diſputat.5. cap. 3. numer.8.

Fortiſſimum neceſſitas, ſapientiſſimum tempus, maximum cor hominis. d.10.c.2.n.3.

Corona.

Varia apud Romanos coronarum genera. diſputat.13. cap.3. numer.6.

Corona Athenienſium. ibid.

Corona non curat dolorem capitis. diſputat.16. cap.3. numer.5.

Crates.

Singulare Cratis in contemnendis opibus exemplum. diſp.2. cap.2. num.8.

Crœſus.

Crœſi arrogantia. diſput.3. cap.1. num.11. & diſput.7. cap.3. numer.3.

Accerſit ſolonem d 7.c.3.n.3.

Suas ei opes oſtentat. ibid.

Solonis monita malo ſuo contemnit. ibid. n.6.

Præſtetne Crœſum eſſe, an ſocratem. d.17.c.3 n.6.

Crotoniatæ.

Qua arte vicerint ſibaritas. d.8.c.1.n.6.

Cygnus.

Cygni & ſerena mors diuerſiſſima. diſputatio.8. cap.4. numer.2.

D. De-

D.

Democrates.

Acuto quodam dicto notat mores Athenienſium. d.18. c.4.num 6.

Democritus.

Pulchrum illius dictum circa hominis libertatem. diſp 13. c.2.num.9.

Demetrius Phalereus.

Quot ei Athenis erectæ fuerint ſtatuæ. diſputat.1. cap.2. numer.5.

Quas virtus erexerat ſtatuas, inuidia deiecit. Diſputat.9.c.1.numer 7.

Deus.

Centrum animæ. diſp.10.cap.2.num.1. & d.15.cap. 1. numer.4.& 5.

In ſolo Deo vera deliciæ.d 10.c.2.n.6.

Dei notitia præcipuum honeſtæ vitæ fundamentum. diſputat.11.cap.1.

Dei oculus nunquam clauditur. ibid.n.1.

Deus ſol ſolis.d.11.c.1.n.4.

Oſtenditur dari Numen aliquod ſupremum. diſputatio.11. cap.2.& 3.

Philoſophi Deum agnouerunt d.11.c.2.n.5.

Variis rationibus oſtenditur Numinis exiſtentia. diſputat. 11.cap.3.

Deus eſt, quo maius aut melius cogitari nihil poteſt. d.12.c. 2.numer.2.

Ad omnia extenditur eius prouidentia. diſputat.13.cap.5. numer.4.

Hæc tamen nil officit hominum libertati.n.6.

Deus eſt circulus, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam.d 15.c 1.n 4.& d.18.c 3.n.4.

Deus perfectionis, homo miſeriæ Abyſſus. diſputat.18.cap.3. numer.6.

Ad Deum bona omnia tanquam ad fontem referenda. d.13. cap.4.num.1.

Quid ibi deeſſe poteſt, vbi Deus eſt, cui nihil deeſt. d. vltimâ, numer.4.

Dij falſi.

Olim ſuo quiſque arbitratu Deos cudebat. diſputat.12.cap. 1.numer.1.

Farrago Deorum, quos colebat antiquitas. ibid.n.3.

Res quæque viliſſima quondam pro Diis culta. ibid. numer.6.

Romanorum Dij.d.12.c.1.n.7.

Febris à Romanis pro Deâ colebatur. ibid.n.9.

Aliarum gentium Deos Romam transferebant. ibid numer.7.

Cur Hebræorum Deum non admiſerint. diſputat.12.cap.1. numer.11.

Oſtenditur plures exiſtere Deos non poſſe. d.12.c.2.

Qui plures quàm vnum Deos ſtatuit, nullum ſtatuit. diſputat.12.

Dialectica.

Munus Dialecticæ.d.2.c.1.n.3.

Eſt ſcientiarum clauis ibid.

Diogenes.

Diogenes cur canis dictus.d.3.c.1.n.9.

Cum Diogene in dolio habitabat gloriæ cupiditas. diſput. 9. cap.1.num.3.

Imitari ſe dicebat chori magiſtros. diſputat.13.cap.2. numer.6.

Eleemoſynam petebat à ſtatuis.d.13. c.2 n 7.

Quanti fecerit magiſtrum ſuum Antiſthenem. diſputat.15. c.5.num.4.

Tria præcipuè hominum genera reprehendebat. d.16.c.2.n. 6.& d.6.c.2 n.2.

Pulchrum eiuſdem dictum.d.17.c.3.n.3.

Dion.

Dionis & Dionyſij ſimultas.d.4.c.3.n.4.

Filium

Filium in vitia prolapſum, fruſtra ſtudet ad meliorem frugem reducere. ibid.

Diuitiæ.

In diuitiis non eſt ſita hominis felicitas. d.7.c.1.

Diuitiæ dolorũ & curæ filiæ. ibid n.2.

Diuitiæ multis immaturæ mortis cauſa. diſputat.7.c.1.n.6. & ſequen.

Diuitiæ homicidæ. ibid. n.12.

Opes ſapienti ſeruiunt, ſtulto imperant. diſputat.7. cap.1. numer.12.

Diuitiarum amor, omnis improbitatis Metropolis. diſp.7. cap.2.num.3.

Lubrica diuitiarum conditio. d.7.c.3.n.1.

Diues ſimilis eſt Chamaleonti. ibid.

Diuitiæ cur appellentur bona Fortunæ. ibid. n.2.

Opes, non habitæ, ſed contemptæ ad beatitudinem conducunt. ibid. n.8.

Veræ diuitiæ. d.10.c.1.

Opes bona ſunt mobilia, virtutes immobilia. diſputat.10. cap.1.num.3.

Aliud eſt hominem eſſe pecunioſum, aliud diuitem. diſp.10. cap.1.num.8.

E.

Ebrietas.

Eius fœditas. d.3.c.2.n.6. & deinceps.

Cur tam ſeuerè puniebatur apud Lacedæmonios. ibid. num.8.

Mala ex ebrietate prouenientia. ibid. n.9.

Vino dediti, iure arceantur publicis conſiliis. diſputat.3.cap.2.numer.10.

Vini vſu cur Magiſtratibus interdixerit plato. ibid.

Ebrietatem ſequitur ſemper dolor. d.8.c.3.n.8.

Emendatio.

De nullius emendatione deſperandum. d.4.c.3.n.5.

In animo curando indoles cuiuſque obſeruanda. ibid. numer.8.
Non eodem cum omnibus modo agendum.d.3.c.1.n.4.5.& 6.& d.4.c.3 n 9.10 & 11.

Epicurus.

Cur plures habuerit diſcipulos, quàm alij Philoſophi. d.8. cap.3.numer.1.
Ex varijs Gracia ciuitatibus pulſi Epicurei. diſputat.14. cap.1.numer 4.
S.Auguſtini de Epicuro iudicium ibid.n 5.
Epicuri conſilium ibid.
Epicuri venenum quomodo ſe diffuderit ibid n.7.
Aetas noſtra non paucos nutrit Epicuri diſcipulos. diſp 14. cap 1.num.8.

Eupheme.

Cur ab antiquis dicta ſit Muſarum nutrix.diſputat.9.numer.2.

Exemplum.

Longum iter per pracepta, breue per exempla diſputat.9. cap.2.num.1.
Exempla eorum, qui gloriam varijs vijs quarebant.diſp.9. cap 1.num 5.
Eorum exempla, qui gloriam contempſerunt. diſputat. 9.c. 2 3.& 4.
Nihil ad mouendum efficacius exemplo.d.9.c.2.n.1 & 2.& cap.3 num 10.
Vis mali exempli.d.15.c.6.n 2.

F.

Fatum.

TRia olim ſtatuebantur fati genera. diſputat.13.cap.4. numer.3.
Fatum Mathematicum.ibid.n.4.5 & 6.
Stella hominem inclinant, non neceſſitant. ibid.n.7.
Fatum non ponunt niſi fatui. ibid.

Quid

Quid ſit fatum naturale d.13.c.4.n.8.
Omne huiuſmodi fatum reiicitur.ibid.n.9. & 10.
Reiicitur etiam fatum, quod appellant diuinum. diſputat. 13.cap.5.
Fati nomen ſanctis Patribus ſuſpectum. ibid.n.5.
Ethnici etiam docent fatum non officere libertati. ibid. numer.7.

Felicitas.

Infelix felicitas in ore vulgi ſita, d.9.c.1.n.6.
Felicitas incerta eſt certa infelicitas. diſp.10.c.1.n.2.

Vide Beatitudo.

Finis.

288 *Diuerſa olim de fine hominis ſententia. diſputat. 6.c. 2.numer.1.*

Fortuna.

Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet frangitur. diſputat.3. cap.1.num.10.
Quod non dedit fortuna, non eripit.ibid.
Fortuna multis dat nimis, nulli ſatis. d.7.c.1.n.7.
Faber quiſque fortunæ ſuæ. d.13.c.4.n.10.

G.

Gaudere, Gaudium.

ARs rectè gaudendi mortalibus difficillima. diſput.16. cap.3.num.1.
Inter gaudia & gaudia diſcernendum.ibid.
Quidam ipſo gaudio dolorem augent.ibid.n.2.
Corporis oblectamenta morbos animi non curant. ibid. numer.3. & 4.
Solum verum gaudium, quod ex virtutis radice naſcitur. d.16.c.3.num.9.

Geometria.

Eius munus.d.2.c.1.n.8. & *c.2.n.8.*
Plato in ſuam ſcholam non admittebat niſi geometras.d.18. cap.2.num.1.

Quiſque

Digitized by Google

Quiſque reſpectu ſui eſſe debet geometra. ibid.num.2. & d. 2.cap.2.num.8.

Getæ.

Cur legationes de pace cum cit haris obibant. diſputat.2. cap.1.num.5.

Gloria.

Vanum & volatile quiddam gloria. diſpu.9.c.1.n.9.
Cæca quorundam circa gloriæ adeptionem inſania. diſp.9. cap.1.num.8.
Solius virtutu laus eſt immortalis. ibid n 10.
De gloria cæleſti.diſp.10. cap 3 & diſp.vltimâ per totam.
Vide Honor.

Gratitudo.

Eſt ingenuæ mentis virtus d.15.c.7.n.2.& 3.
Generoſæ indolis indicium. ibid.n.4.

H.

Hadrianvs Imperator.

IN *quas eum in morte anguſtias coniecerit malè acta vita. d 8.c.4.n.4.*

Henricus.

Henrici primi Imperatoris viſio & pietas. diſputat.17.c 1. num 8.& 9.
Henrici quinti Angliæ Regis ad Agincourt victoria. d.15. c 2.num.13.
Prudens & pium eiuſdem Regis conſilium.ibid.n 14.
Deum ſolum victoriæ autorem agnoſcit. ibid.n.16.

Hermes.

Hermes Triſmegiſtus Aegyptiorum legiſlator. d,15.c.3,n.2.
Vnde dictus ſit Triſmegiſtus ibid.

Homerus.

Homerus Deorum faber.d.12.c.1.n.2.
Mente magis, quàm oculis captus. ibid.n.5.

Homo.

Homines in quibuſdam, beſtiis peiores.d.3.c.2.n.7.

Homo

Homo herba ſolſtitialis.d.4.c.1,n.5.
Homo ſtateræ ſimilis.d.5.c.3 n.4.
Ex hominibus quidam viuunt vitâ plantæ tantùm, quidam vitâ animalis.ibid n.5 & 6.
Homo arbor inuerſa.ibid.n.7.
Nihil in terris magnum præter hominem. ibid.
De fine hominis.d.6.
Stolida quorundam hominum ingenia. diſputat.13. cap.3. numer.9.
Perfectiſſimum hominis emblema d 17.c.1.n.4.
Homo mutabilitatis & inconſtantiæ theatrum. diſput.17. c.1.num.5.& 6.
Miſera hominis conditio.d.18.c.2.n.8.9.10. & 11.
Cur homini data à naturâ lachryma.ibid.n.9.
Vani hominis ſymbolum d.18.c.4.n.3.& 4.
Homo eſt viator tranſiens,hoſpes loci.d.vlt.n.1.
Homo homini lupus.d.3.c 1.n.2.

Honor.

Honor alit artes.d.9.n.2.
Gloria vnicus quibuſdam ſcopus.d.9.c.1.n.4.
Varia huius rei exempla.ibid n.5.
Lectus ille honoris multis eſt lectus æterni doloris ac dedecoris.d.9.c.1.n.8.
Virtutem cole dum viuis,famam inuenies in ſepulchro.d.9. c 1.num.11.
Honoris & virtutis templa.d.13.c.3.n.6.
Honor mortuis haberi ſolitus probat eorum animas viuere. d.14.c.5.num.2.

I.

Immortalitas.

QVanti ſit cognoſcere animam eſſe immortalem. d.14.c. 1 per totum.
Periculoſiſſima perſuaſio eſt exiſtimare animam eſſe mortalem.d.14.c.1.n.2.

Ex

Ex hac perſuaſione orta eſt Epicureorum ſecta. ibid.numer. 4.& 5.
Probatur animæ immortalitas.diſputat.14.cap 2.3.4 & 5.
Ethnici animæ immortalitatem agnouerunt. diſputat.14. cap.4.num. 2.

L.

Lacedæmonij.

PEculiaris eorum conſuetudo in conſiliis.diſputat.1.cap.3. numer.5.
Seueriſſimè apud eos interdicta ebrietas. diſputat.3. cap.2. numer.8.
Apud Lacedæmonios ſenectus maximè honorata. diſput.4. cap.4.num.5.
Ante prælium ſacrificabant Muſis.d. 15.c.2.n.7.
Eaſdem Muſas pingebant armatas.ibid.
Lacedæmonij quo pacto ex fortibus redditi imbelles. diſp.15. cap.3.num.8.

Lachrymæ.

Cur homini data à naturâ lachrymæ. diſputat. 18. cap. 2. numer.9.
Lachrymæ prius deerunt,quàm cauſa flendi.ibid.

Lex.

Leges nerui Reipublicæ.d.15.c.3.n.1.
Conſuetudo quorundam in legibus tradendis. ibid.n. 4.
Leges Heraclitus mœnibus comparat. ibid.n.5.
Lex *&* Lux,*vt nomine,ita re affines. ibid.n.6.*
Lex eſt ſpirans Dei imago.d.15.c.3.n.6.
Vigentibus legibus viget,languentibus languet Reſpublica. ibid.num.8 & 9.
Lex liberi hominis anima.d.15.c.3.n.10.

Libertas,

Libertas præcipuum moralis Philoſophiæ fundamentum. diſputat.13.
Quatuor eius genera.ibid.c.1.n.1.2.& 3.

Quinam

Quinam libertatem hominis negauerint. ib.n.4.
Auctoritate probatur hominis libertas. diſputat.13. cap.1. num.7.8 & 9.
Libertas oſtenditur ex Philoſophis.d.13.c.1.per totum.
Variis rationibus probatur dari in hominibus liberum arbitrium.d 13.c 3.

Lucius.

Lucius ex toto orbe Rex primus Chriſtianus. diſputat.9.c. 3.numer 4.
Et primus Regem Chriſti causâ exuens.ibid.
Boiorum Apoſtolus nuncupatus.ibid.

Lycurgus.

Lacedamoniorum legiſlator d.15.c.3.n 2.
Voluntario ob bonum Reipublicæ ſe mulctat exilio, ibid. numer.3.

M.

Menedemus.

Quo pacto Antigonum Principem à luxurioſo conuiuio detenuerit. d 5.c.1 n 9.

Metrodorus.

Metrodori Epicurei monita.d.14.c.1.n.6.

Miltiades.

Miltiadis trophæa Themiſtoclem dormire non ſunt paſſa. d.9.num 1.

Mora.

Mora torporem iniicit.d.17.c.4.n 3.
Morbus perículoſiſſimus.ibid.n 8.
Procraſtinatio maximè vitanda.d.17.c.4. n.9.

Mors.

Quibus mors ſit terribilis d.8. c.4 n.9.
Varia bona & mala mortis exempla.d.8.c.4.num.4.& ſequentibus.
Mortis cogitatio vtiliſſima.d.17.c.1. per totum.
Mortis memoria mentis myrrha.ibid.n.2.

Nulla

Nulla pulchrior virtutis imago , quam cui mors umbras adiicit. d.17 c.1.n.9.

Cur Gentiles morti nec templum, nec altare unquam erexerint. ibid.n.2.

Mille mortis via. ibid.n.7.

Mortis vitanda ſolicitudo, quibuſdam mortis cauſa fuit. ib. num 8.

Mors ſola, in rebus ſublunaribus, morti non obnoxia. d.17. c.2.num.12.

Mundus.

Mundus eſt muſica laudans Deum. d.11.c.2. n.5.

Mundani hominis deſcriptio. d.15.c.1.n.6. & 7.

Mundana politicorum ſapientia eſt ſtultitia. d.16.cap.2. num.10.

Muſica.

Muſica artium Siren. d.2.c.1.n.4.

Eius obiectum ſonus artificioſus, & artificium ſonorum. ib.

Feroces hominum animos mitigat. ibid.n.5.

Fera ipſa, auditâ muſicâ, manſueſcunt. ibid.n.6.

Quid muſicis vitio vertebat Diogenes. d.16.c.2.n.7.

Nullâ harmoniâ curatur animus, ſibi diſſonus. diſp.16. cap. 8.num.7.

N.

Narſes.

QVo pacto longobardos in Italiam vocauerit. diſput.11. numer.1.

Natura.

Opus natura eſt opus intelligentia. d.6.c.1.n.1.

Natura dictat, Deum exiſtere. d.11.c.2.num.2. & cap.3. num.3. & 4.

Nulla vox clarior , quàm Natura. diſputat.3.cap.1. numer. 6.

O.

Oculus.

Oculus quot morbis ſit ſubiectus.d.18.c 1. n.1.
Omnia intuetur, prater ſeipſum.ibid.
Sexcentis oculis te circumſpicito. ibid.n.2.

Olympus.

Mons Olympus, hominis pietati dediti ſymbolum.d.10.c.2. num.8.

Orpheus.

Ad Orphei tumulum ſuauiſſimè cecini ſſe feruntur philomela.d.2.c.1.n.6
Cur ſaxa & ſyluas traxiſſe dicatur.d.15.c.3.n.4.

P.

Tria P.P.P. ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem maximè neceſſaria d.15.initio.

Parcæ.

Parcæ cur dicta ſint Iouis ſcribæ.d.13.c.5.n.1.

Parentes.

Liberi facilè in parentum mores tranſeunt. d.15.c.6.n.1.
Parentum vitia eoſdem perdunt.ibid.n.2.
Quid præcipuè attendere debeant parentes. ibid.n.4.

Pecunia.

Pecunia neminem diuitem facit.d.7.c.1.n.2.

Phidias.

Mineruæ clypeo ſuam artificioſiſſimè effigiem inſculpſit.d.9. cap.1.num.5.
Quanti eum fecerint Athenienſes.d.15.c.5.n.1.

Pietas.

Fundamentum Reipublicæ.d.15.c.1.n.2.
Quo magis hominum animi Deo ſunt vniti, eo magis vniuntur ſibi.Ibid.n.4.
Virtutes omnes ſunt Virgines; earum chorum ducit pietas. d.15.c.1.n.8.

Legiſlatores præcipuam ſemper habebant curam pietatis: ibid.num.9.
Vis maxima pietatis ad arcendos hoſtes. d.15.c.2.
Varia per pietatem obtenta victoria.ibid.n.9.& ſequen.
Tela pietate tincta, acutiora. d.15.c.2.n.17.
Vnica cuſtodia pietas.ibid

Philoſophia.

Quid ſit.d.1.C.1.n.1.
Humano generi vtilis eſt, & neceſſaria.ibid.
Philoſophia triplex. ibid.n 2.

Philoſophi.

Honor habitus Philoſophis.d.1.c.2. n.5.6.& 7. & d.15.c.5. n.4.5 & 6.
Nemo naſcitur Philoſophus d.1.c.3.n.2.
Antiquorum Philoſophorum vita dictis decolor.d.1.c.3.n.4. & d.9.c.1.n.2.
Erant inſtar Aethiopum.d.1.c.3.n.4.
Virtutes habebant vitiis permixtas. d.4.c.3.n.7.
Foris oculati erant, domi cæci.d.6.c.2 n.3.
Quatuor præcipua Philoſophorum ſecta.d 13.c.2.
Philoſophi antiquitatis ſydera d 13.c.3.n 1.

Philoſophia Moralis.

Varia illius proprietates declarantur.d.1.c.1.n.5.
Eius dignitas, & encomia ibid.c.2.
Eſt ſimilis Phœnici.d.1.C 2.n.1.
Illius origo.d.1.c.3.
Artium omnium liberalium in ſe perfectiones complectitur. d.2.cap.2.
Moralis Philoſophia ſcopus eſt, vt homines faciat. diſput.3. cap.1.
Omne medicina genus parat.d 3.c.1.n. 4.
Non eodem cum omnibus modo agit Philoſophus.ibid.n.5.
Herba omni venenata ſalutarem opponit Philoſophia. d.3. c.1.num.12.
Philoſophia aliud nihil eſt, quàm mortis meditatio. d 17.c. 1.num.1.

Philo-

Philoxenus.
Grauis ſibi collum optabat.d.8.c.1.n.4.
Immodicâ edacitate extinguitur.ibid.
Phœnices.
Cur Deos pinxerint gerentes loculos.d.7.c.1.n.1.
Plato.
Hominis felicitatem in prima Mentis contemplatione conſtituit.d 10.c. 2.n 4.
Atheos non vnâ morte dignos cenſebat.d.11.c.1.n.8.
Docebat ineſſe hominibus liberum arbitrium d.13.c.2.n.3.
Errauit circa diuinam Prouidentiam.d.13.c.5.n.3.
Pœnas ſceleratorum poſt mortem ſtatuit æternas.d.14.c.4. num 10.
In ſuam ſcholam non admittebat niſi Geometras. d.18.c.2. num.1.
Poëtæ.
Ingenioſa hominum natio. d.13.c.5.n.2.
Maximam laudem merentur.ibid.
Cur olim legiſlatores Poëtarum operâ vtebantur. d.15.c.3. num.4.
Nil caſtâ poëſi pulchrius,nil tetrius impudicâ. d.15.cap.4. num.4.
Polemon.
Bacchantis inſtar in Xenocratis ſcholam cum æqualibus irruit.d.3.c.1. n.13.
Quanta ſubitò in eo facta mutatio.ibid.
Polemon victricis Philoſophia monumentum.ibid.
Præceptor.
Quales eſſe debeant iuuentutis inſtitutores. d.15.c.4.num. 2.& 3.
Monita Præceptoris quid in puerorum animis efficiant.ib. n.9.& c.5.n.1.
Antiquitatis teſtimonio oſtenditur, quàm neceſſarij ſint docti & pij iuuentutis inſtitutores.d.15.c.5.
Honor iiſdem à Regibus, & Rebus publicis habitus. d.15.c. 5.num.5.

Polycrates.

Polycratis, felicis dicti infelix exitus d.7.c.1.n.8.

Pompeius.

Poſſidonio Philoſopho faſces ſubmittit. d.1.c.2 n.6.

Dum eius capiti ſumma impendet infelicitas, ſomniat ſe feliciſſimum.d.8.c.2.n 8.

Deiectas poſt pugnam Pharſalicam Pompeij ſtatuas, denuo erexit Caſar.d. 9.c.1.n 5.

Præmium & pœna.

Pramium & pœna duo humana vita cardines.d.11.c.1.n.6.

Impunitas, maxima peccandi illecebra ibid.n 7.

Sola libera actiones pramio & pœnâ digna.d.13.c.3.n.11.

Metus pœna, peccandi frenum d.14.c.1.n.3.

Deus serò punit, ſed ſeriò.d.14.c. 4.n.3.

Grauia in Deum crimina poſcunt pœnam aternam.. d.14. c.4.num. 8.

Ethnici inferorum pœnas nullum habituras finem dixerunt.ib.n.10.

Princeps.

Princeps in Republicâ ſicut caput in corpore.d 5.c.1.n.1.

Magni in vtramque partem eſt vita Principis. ib n.2.

Principes ſibi ſolis nec boni vnquàm ſunt, nec mali.ib.n.3.

Principis vita aliis viuendi norma.d.5 c.1.n.7.

Quod facit Princeps, iubet. ibid.n.8.

Princeps, animus Reipublica.d. 5.c.2.n.8.

Quis cenſendus ſit verus Princeps.d.5.c.2.

Vide Rex.

Protagoras.

Proſcriptus eſt Athenis, quòd num Deus eſſet dubitaret.d.11. c.1.n.8.

Pueritia.

Quanti interſit vt prima atas rectè inſtituatur.d.4.c.1.

Pueritia atas cerea ibid.n.2.

Eſt inſtitutioni aptiſſima ibid.n 7.

Aurium munimenta pueris potiùs quàm athletis apponenda.d.15.c.4.n.5.

A pri-

A prima ætatis inſtitutione reliqua vita pendet. d.15.cap. 4.& 5.
Pueris parentum vita eſt norma viuendi d.15.c.6.n.1.
Ritus quo puer olim, poſitâ prætextâ, virilem togam induit. d.16.c.1.n.4.

R.

Rex.

QVam Rex ſpirat, aliis inſpirat pietatem. d.5.c.1.n 1.
Sui priùs Rex quis eſſe debet, quàm aliorum. ibid.
Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. ibid.n.2.
Regum vitia tranſeunt in ſubditos. ibid.n.4.
Quis cenſendus ſit verus Rex. d.5.c.2.
Malus, etiamſi regnet, ſeruus eſt ibid.n.2.
Rex ſol quidam terreſtris. d.5 c.2.n 7.
Reges praui, non ſoles, ſed cometa. ibid.
Vt ſol annorum, ita Rex animorum arbiter. ibid.n.8.
Rex auaritiæ deditus, aureum mancipium. d.7.c.1.n.3.

Roma.

Qua ratione in tantam amplitudinem imperium ſuum prouexerint Romani. d.15.c.1.n.2.
Roma victrix Orbis, ſuccubuit ſibi. ibid.
Romani plus fiducia in pietate poſuerunt, quàm in armis. d.15.c.2.n.2.4.& 5.
Vter meliùs de Romanâ Republicâ meritus, Romulus an Numa. ibid n.3.
Varij antiquorum Romanorum Dij d.12.c.1.n.7.8 & 9.
Gentium deuictarum Deos in Vrbem transferebant. ibid. & d.15.c.2 n.5.
Laudatiſſima Romanorũ conſuetudo circa puerorũ inſtitutionem. d.4.c 2.n.6.
Virtutem virili habitu pingebant. d.16.c.1.n.5.

Roſa.

Roſæ encomia d 8 c.3.n.3.
Pulchra eſt, ſed breuis ib n.4.

Eſt Symbolum voluptatis ibid.n.5.
Roſa rubeſcit, voluptas erubeſcit d.8.c.3.n.6.
Ex ſpinis roſa naſcuntur, ex roſis ſpinæ.d.10.c.2.n.5.
Roſa, gemma florum d.12.c.2.n.3.

S.

Sabor.

SAboris, Perſarum Regis ſtultitia.d.7.c.2.n.2.

Sapiens.

Septem Graciæ ſapientes.d.1 c.3.n.3.
Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit.d.7.c.12.
Sapiens dominabitur aſtris.d.13.c.4.n.7.
Solus probus ſapiens d.16.c.2.
In quo ſita ſit vera ſapientia.ibid.n.2.
Vter titulus præſtantior, Optimus, *an* Sapientiſſimus. *ibid.n 3.*
Difficile eſt ſimul amare & ſapere.d.16.c.2.n.5.
Tria ad veram ſapientiam neceſſaria.ibid.n.8.
Callidus & ſapiens quomodo differant.ibid n.9.
ſtulta politicorum quorundam ſapientia ibid n.10.
Perfectum ſapientis viri ſymbolum. d.16.c.2.n.11.
Inſipiens eſt, qui ſuiipſius non nouit quantitatem. d.18.c.4. num.14.

Sardanapalus.

Sardanapali luxus.d.8.c.1.n.2.
Colo, quàm ſceptro aptior.ibid.
Eius Epitaphium.ibid.
Noſtra etiam tempora ſuos habent ſardanapalos ibid.n.7.

Senectus, ſenex.

Senectutem maximè decent præcepta Philoſophica.diſput.4. cap.4.
Canities galeâ premenda.ibid n.1.
Mens in ſenibus corpori eſſe debet concolor.ibid.n.3.
Senectus apud nationes omnes ſemper honorata.diſp.4 c.4. num.4.

Ara

Ara olim ſenectuti erecta.ibid.n.6.
Autoritas ſenum maxima.ibid.n.7.
Non annorum,ſed animorum canities laudanda. ibid.n.8.
Inanis quorundam ſenum conſuetudo.d.17.c.2.num.9.10. & 11.

Serena, auis.

Voluptarij ſymbolum.d.8.c.4.n.6.

Sibaritæ.

Mirus eorum luxus d.8.c.1.n.5.
Quas artes intra vrbem exerceri vetabant. ibid n 6.
Gallos gallinaceos intra ciuitatem nutriri non patiebantur.ibid.& d.13.c.1.n.5.
Eorum luxus in luctum verſus ibid.

Silere.

Magna ars eſt ſilere poſſe in tempore.d.2.c.2.n.3.
Tacere quiſquis neſcit,hic neſcit loqui.ibid.

Socrates.

Iuſta ſocratis de lapicidis querela.d.3.c.1.n.1.& 2.perſtringit Antiſthenem.d.9.c.1 n.2.
Prudens reſponſum ſocratis.d.16.c.3.n.4.
Dictum Socratis ad mortem iam damnati.d.17.c.2. n.3.
Non moritur ſocrates,niſi qui vixit ſocrates. diſput.17.c.3. num.6.
Auditores ſuos à rebus aliis ad vnam Ethicen auocabat.d.18.c.1.n.3.
Alcibiadem ad meliorem frugem reduxit.d.18.c.2.n.3.

Sol.

Sol & Rex ſimulacra Dei. d.5.c.5.c.2.n.6.

Solon.

Vnus fuit ex ſeptem ſapientibus.d.1 c.3.n.3.
Athenienſium legiſlator.d 15.c.3.n.2.
Crœſi arrogantiam retundit d.3.c.1.n 11.
Solonis cũ Crœſo de felicitate diſcurſus.d 7 c.3.n.4.5.& 6.
Nomen Solonis Crœſo vitam ſeruauit.ibid.n.7.
Dictum Solonis circa humana vita miſerias. d 18.cap.2. num.10.

Sphinx.

Sphinx ſagacis hominis ſymbolum d.16.c.2.n 9.
Sphinx in templi veſtibulo ſita ſapientem denotat.ibid.
*Politici nonnulli aptè per ſphingem exprimuntur. ib. n.*10.

Superbia.

*Superbia punita.d.*18.*c.*4.*n.*7.
*Herodes diuinos honores non reſpuens, amittit etiam humanos.d.*18.*c.*4.*n.*8 *&* 9.
Quidam magnum ſpirant, parum valent.d. 18.*c.*4.*n.*6.

Symbolum.

*Dei Symbolum.d.*11.*c.*1.*n.*3.
*Symbolum hominis.d.*17.*c.*1.*n.*4.*& d.*18.*c.*1 *n.*2.
*Voluptatis ſymbolum.d.*8.*c.*3.*n.*5.*& c.*2.*n.*2.
*Symbolum ſapientis d.*16.*c.*2.*n.*9.*&* 11.
*Symbolum Politici.ibid n.*10.
*Humanæ vitæ ſymbola.d.*17.*c.*2.*n.*4.
*Vani hominis ſymbolum.d.*18.*c.*4 *n.*3.
Animæ quietæ ſymbolum.d 10.*c.*2.*n.*8.
Hominis pij ſymbolum.ibidem.
*Symbolum voluptarij.d,*8.*c.*4.*n.*6.

T.

Tempus.

*VNius temporis honeſta eſt auaritia.d.*17.*c.*4 *n.*4.
*Noſce tempus.ibid n.*5.
Res eſt longè pretioſiſſima.ibid.

Thales.

*Sapiens Thaletis dictum.d.*11.*c* 1.*n* 2.

Themiſtocles.

*Miltiadis trophæa ſomnum ei eripiebant.d.*9.*n.*1.

Titus.

*Dictus humani generis deliciæ.d.*17.*c.*4,*n.*7.
Cur diem ſe perdidiſſe clamabat.ibid.

Triſ-

Triſmegiſtus *Vide* Hermes.

V.

Verecundia.

Verecundia rubor, virtutis color.

Victoria.

Obtenta ſub Marco Aurelio Chriſtianorum precibus victoria.d.15.c.2.n.9.

Victoria Conſtantini.ibid.n.11.

Theodoſij aduerſus Eugenium expeditio, & victoria.d.15.c. 2.num.12.

Henrici Quinti, Angliæ Regis Victoria ad Agincourt. ibid. num.13.

Vir.

Virum non vires, ſed virtus facit.d.19.c.1.

Quinam cenſendi ſint viri, qui pueri.ibid.n.2. & 7.

Virilis animi munus.ibid.n.9.

Virtus.

Fons, eſt, qui nunquam exhauritur.d.4.c.4.n.2.

Virtus nulli præcluſa.d.5.c.3.n.1.

Nihil amittit, qui virtutem retinet.d.10.c.1.n.4.

Virtus ludibrij ſecura.ibid.n.6.

Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum.d 10.c 3.n.1.

In virtutis oculis viuendum.d.11.c.1.n.1.

Sitne virtus ſibimet præmium ſufficiens. d.14.c.4.n.4.

Characteres, virtutis penicillo ducti, pulcherrimi. d.15.c.7. num.3.

Virtus, ſola fortitudo.d.16.c.1.

Virtutem Lacedamonij pingebant armatam. ib.n.5.

Nulla ſine virtute ſapientia.d.16.c.2.

Virtus vnicum gaudium.d.16.c.3.

Nunquam ſecuriores virtutis ſcintillæ, quàm dum mortis cineribus inuoluuntur.d.17.c.1.n.9.

Multis poſtrema eſt virtutis cura.d.17.c.4.n.2.

Pares omnes naſcimur, ſola virtute diſtinguimur. d.18.c.2. num.6.

Vita, Viuere.

Viuentis in vitiis anima mortua. d. 3. c. 1. n. 6.
Vita in virtute acta ſecuritatem parit morientibus. d. 8. c. 4. num. 8.
Comparatio præſentis vitæ cum futura. d. 10. c. 3. n. 2. 3. & 4. & diſp. vltimâ.
Homines quidam viuunt tantùm vitâ plantæ, & alij vita animalis. d. 5. c. 3. n. 5. & 6.
Soli viuunt, qui vacant ſapientiæ. d 16. c. 2. n. 12.
Nihil humanâ vitâ fragilius. d. 17. c. 2. n. 3.
Noſtrum viuere, à vita tranſire eſt ibid.
Varia humanæ vitæ ſymbola. ibid. n. 4.
Bene viuere quiuis poteſt, diu nullus. d. 17. c. 3. n. 1.
Diu vixit, qui bene vixit. ib. n. 2. & c. 4. n. 6.
Quanti facienda ſit bona vita. d. 17. c. 3. n. 3. & 4.
Viuere qui diſcit, diſcit mori. ibid. n. 4. 5. 6. & 7.
Sera nimis vita eſt craſtina. d. 17. c. 4. per totum.
Quidam multos annos habent, viuunt paucis. ib. n. 6.
Vitam delige optimam, dulcem eam conſuetudo efficiet. ib. num. 9.
Optimum non naſci, proximum quamprimum mori. d. 18. c. 2. num. 11.
Vita vitæ mortalis, ſpes eſt vitæ immortalis. diſput. vltim. num. 5.

Vitis.

Tres vuas profert. d. 8. c. 3. n. 8.

Vitium.

Vitium ſibi ſemper ſimile. d. 3. c. 2. n. 14.
Vitia ſine magiſtro addiſcuntur. d. 4. c. 2. n. 2.
Difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt. d. 4. c. 3. n. 2.
Propenſiones prauæ, vitiorum fomenta. d. 5. c. 3. n. 10.
Nemo non ad vitia pronus. d. 8. c. 3. n. 1. & d. 11. c. 1. n. 7.
Diuerſitas inter næuos corporis & animi. d. 13. c. 3. n. 4.
Faciliùs præueniuntur vitia, quàm extirpantur. d. 15. c. 4. num. 2.

Voluptas.

Voluptas.

Voluptas ſireni ſimilis d 3.c.1.n.4.

Sodoma poma eam apprime referunt.d.8.c.2.n.2.

Mala ex voluptate prouenientia.ibid n.3.

Voluptas obliuionem inducit.ibid n.7.

Voluptas & animam, & corpus replet putredine.d.8.cap.3. num.6.

Voluptatis roſa nunquam ſine ſpinis naſcitur ib n.7.

Vna hora hilaris inſania longam parit triſtitiam. d 8.c.3. num.8.

Mortis articulus, lapis lydius voluptatis.d.8 c.4. per totum.

Vera voluptas.d.8.c.4.n 13.& d.16.c 3.

Voluptates terrena dolorem animi non curant.d.16.c 3.n.3. 4.5 & 6.

Vulgus.

Clariſſimum inconſtantia vulgi exemplum. diſp.9.cap.1. num.7.

Nil firmum, quod in populi voluntate fundatur. d.9.c.1. num.7.

X.

Xenocrates.

PLatonis auditor, & in Academia ſucceſſor.d.3.c.1.n.3. *Mira eius in dicendo conſtantia.ibid.*

Xenophon.

Dictus eſt Muſa Attica.d.3.c.2.n.14.

Xerxes.

Cur Babylonios bello captos iuſſerit pulſare citharas, pſallere, choreas agere, &c.d.8.c.2.n.4.

Z.

Zeno.

TVnc bene nauigauit, quando naufragium fecit.d.2.c. 2.num.9.

Ex

Ex auaro quomodo factus diuitiarum contemptor. diſp. 4. c. num. 6.

Quo nomine gratias agat Fortunæ. ibidem.

Zenonem accerſit Antigonus Macedoniæ Rex, vt ab eo inſtruatur. d. 5 c 1 n. 5 & 6.

Hominis libertatem aſtruit Zeno cum Stoicis. d. 13. cap. 2. num. 5.

Seruo , fatali morbo laboranti aptiſſimum adhibet remedium. ibid

Zenoni mortuo honor ab Athenienſibus habitus. d. 15. c. 5. num. 6.

Eiuſdem ſepulchrum. ibidem.

FINIS.

Facultas R. P. Præpoſiti Prouincialis.

EGo Franciſcus Forſterus in Prouincia Anglicana Præpoſitus Prouincialis poteſtate ad id mihi factâ ab Admodum R.P. Goſvvino Nickel Vicario Generali, facultatem concedo, vt liber Moralium à P. Thoma Comptono S. Theologiæ Profeſſore è Societate noſtrâ conſcriptus, & trium doctorum virorum noſtræ Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Romæ 13. Ianuarij 1652.

Franciſcus Forſterus.

APPROBATIO.

PRometheus hic Chriſtianus, eleganter clarè & eruditè conſcriptus à R. P. Tho. Comptono, è Societate Ieſu, Orthodoxę fidei conformis eſt. & ad diuinam in homine imaginem dignis Deo moribus exornandum peridoneus. Quare luce publicâ digniſſimus vt. Actum 25. Maij 1652.

Guilielmus Bolognino
S. Th. L. Can. & Lib. Cenſor.

Summa

Digitized by Google

Summa Priuilegij Regij.

PHilippus Dei gratiâ Hiſpaniarum Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtricæ, dux Burgundiæ Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps diplomate ſuo ſanxit ne quis *Prometheum Chriſtianum* R. P. THOMÆ COMPTONI CARLETON Societ. IESV præter IACOBI MEVRSII Typographi Antuerpienſis voluntatem vllo modo in Belgio intra decem annos proximos imprimat aut alibi terrarum impreſſũ importeret venaléue habeat, qui ſecus faxit confiſcatione librorum & aliâ graui pænâ mulctabitur vti latius Patet in litteris datis Bruxellæ 3. Iunij anno 1652.

Signat

Gaillard.

4

A01 1454356

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B 11